






# INSTITUTIONES THEOLOGICÆ

AD USUM STUDIOSÆ JUVENTUTIS

*AUCTORE*


CAJETANO DE FULGURE

AVERSANÆ

CATHEDRALIS ECCLESIÆ CANONICO

*OLIM*

IN AVERSANO CLERICORUM SEMINARIO
S. THEOLOGIÆ PRÆCEPTORE



*Editio quarta auctior, et emendatior.*

## TOMUS II.

Continens Tractatus.

De Trinitate.

De Rerum Creatione.






NEAPOLI 1822.

EX TYPOGRAPHIA JANUARII REALE.

*Superiorum Facultate.*

*Quodcumque in hac Ecclesiae agricultura fide Patrum satum est, hoc idem filiorum industria decet excolatur, et observetur; hoc idem floreat, et maturescat; hoc idem proficiat, et perficiatur. Fas est etenim, ut prisca illa caelestis Philosophiae dogmata processu temporis excurentur, limentur, poliantur; sed nefas est, ut commutentur, nefas, ut detruncentur, ut mutilentur.*

Vincentius Lirinensis *Commonit. I. cap.* 30.

Πιστιν ημεις ουτε παρ αλλων γραφομενην ημιν νεωτεραν παραδεχομεθα, ουτε αυτοι τα της ημετερας διανοιας γεννηματα παραδιδοναι τολμωμεν, ινα μη ανθρωπινα λογιζωνται τα της ευσεβειας ρηματα αλλ᾽ απερ παρα των αγιων πατερων δεδιδαγματα, ταυτα τοις ερωτωσιν ημας διαγγελλομεν.

Basilius *Epist. ad Antioch. Eccl.*

# LIBER QUARTUS

## *SEU*

## TRACTATUS DE TRINITATE

### *Praefatio.*

Quae superiori libro de Deo disputavimus, aliqua ex parte rationi penitus impervia non erant. *Invisibilia enim ipsius, a creatura mundi, per ea, quae facta sunt, intellecta, conspiciuntur: sempiterna quoque ejus virtus, et divinitas*, inquit Apostolus *Rom.* 1. 20.: *ita ut sint inexcusabiles*, qui aut Dei notitia caruerunt, aut cognoscentes Deum, non sicut Deum glorificaverunt. Nunc autem altius mentis aciem oportet attollere ad ea, quantum possumus, contemplanda, quae de Trinitate personarum in una Divinitate, non rationis lumen, non creaturarum testimonium, sed ipse nobis Dei Spiritus, ac Sapientia revelavit. Sileat igitur hic humana ratio, totamque divinae se auctoritati, ac veritati subjiciat. *Qui enim scrutator est majestatis, opprimetur a gloria* Prov. XXV. 27. *Quaenam autem vis intelligendi, quae vivacitas rationis, quae acies cogitationis ostendet, . . . quomodo sit Trinitas?* inquit Augustinus *Lib. XV. de Trin. cap.* 6. *Scrutari hoc temeritas est, credere pietas est, nosse vita, et vita aeterna est*, inquit *Bernardus Lib. V. de Consid. cap.* 8. Unum erit rationis munus, ut quae increduli, atque haeretici contra Trinitatis mysterium, quod totius Christianae Religionis fundamentum est, objecerunt, ut evincerent illud esse rationi contrarium, dissolvat.

In eo autem positum est hoc mysterium, quod in uno Deo tres sint personae, quarum prima secundam, et utraque simul tamquam unum principium tertiam producat. In quo explicando, ut ordine procedamus, primum exponemus errores varios, in quos haeretici inducti

 sunt,

sunt. Tum trium personarum existentiam probabimus. Deinde tres illas personas unam eandemque *numero* habere naturam ostendemus. Quarto dicemus de ipsarum personarum processionibus, circuminsessione, et missione. Quinto de earum ad se invicem relationibus, ac notionibus. Sexto de variis ipsarum nominibus. Denique, ne quis detur errandi locus, nonnullas addemus regulas ex quibus de Trinitate loquendum est.

## C A P. I.

### *Variae recensentur haereses contra veritatem Mysterii SS. Trinitatis exortae.*

I. Praeter Gentiles, Judaeos crassiores, et Mahumethanos, qui Trinitatem irrident, vetustiores haeretici *Simon* magus, ejusque discipuli *Menander*, *Saturninus*, et *Basilides*, nec non *Valentinus*, aliiq. contra hoc mysterium portenta quaedam errorum evomuerunt, quae hic explicare longum esset, et inutile. Docebat *Simon*, teste Irenaeo *Lib. I. cap.* 20., unam esse in Divinitate personam, quae modo Pater, modo Filius, modo Spiritus Sanctus dicta sit: hanc autem personam esse seipsum, nempe Simonem, qui Judaeis apparuerit ut Filius, Samaritanis ut Pater, Gentilibus ut Spiritus S. Licet autem paulo aliter rem explicet Augustinus *Lib. de haeres. cap. I*; tamen *Irenaei* hac in re sicut vetustior, ita major videtur auctoritas; ideoque *Maurini* Patres in recentiori editione *Augustini* ea tamquam supposititia resecuerunt, quae hac in re *Irenaeo* erant contraria. Ab hac una divina persona productas esse creaturas aliquas ajebat nobilissimas, quas appellabat *Æonas*, inter quas ipsum quinto loco ponebat Verbum. *Valentinus* Æonas istos multiplicabat usque ad numerum tricenarium, inter quos et Verbum, et Spiritum S. collocabat. Vide de his haereticis *Epiphanium*, *Irenaeum*, *Theodoretum*, *Augustinum*, *Tertullianum* (a).

II.

(a) Inter recentiores Pearson *In Ignatianis*, Tillemontium *in Notis de Simonianis*: et inter heterodoxos Bullum *Lib. II. cap. I.*, et Itigium *De haeresib. I. Saec.*

II. *Praxeas* primum ob fidei confessionem conjectus in carcerem, deinde *Montani* haeresim professus, mox ejusdem Montani hostis accerrimus, et accusator apud *Zephyrinum* Romanum Pontificem, a quo Montanus damnatus est. Ob ea gesta tumens superbia, novae haeresis fuit auctor, docens, Patrem, Filium, et Spiritum Sanctum unam esse personam; atque hinc Patrem ipsum incarnatum, et passum: qua in re a Simone, ceterisque vetustioribus haereticis ejus dogma discrepabat; unde ejus erroris sectatores *Patripassiani* dicti sunt. Contra ipsum scripsit *Tertullianus*, Montani veneno jam infectus, Librum *contra Praxeam*. Damnatum Praxeam occultasse haeresim, deinde iterum eam disseminasse, idem *Tertullianus* est auctor.

III. In eundem scopulum post *Praxeam* impegit *Noëtus* Smyrnensis ex Theocreto *Lib. III. haeret. fab. cap.* 3. vel *Ephesius* ex Epiphanio *Haeres. LVII.* circa annum CXLV., et *Sabellius* Ptolemaidensis circa annum CCLVII., qui errorem magis disseminavit, sectamque fecit celebriorem, ita ut discipuli jam non *Praxeani*, aut *Noetiani*, sed *Sabelliani* dicerentur. Hic haeresim suam hoc exemplo explicabat: Sicut sol unus est, et in se vim habet duplicem illuminandi, atque calefaciendi; sic Deus una est hypostasis, quae si in sua substantia spectetur, dicitur Pater: si vero quoad virtutem homines illustrandi, edocendique, dicitur Filius; si demum quod ad vim eos inflammandi per gratiam, Spiritus Sanctus. Sabellium damnavit *Dionysius Alexandrinus* in Synodo, eumq. variis Epistolis confutavit, praesertim ad *Sixtum* S. Pontificem, ut scribit Eusebius *Lib. VI. Hist. cap.* 6. Legendus de hac haeresi Basilius *Homil. XXVII.* contra *Sabellianos, Arianos etc. et Epist. LXIV. ad Doctores Eccl. Neocaes.*, Athanasius *Orat. contra Gregales Sabellii*, Theodoretus *Lib. II. haeret. fab. cap.* 10. Quarto saeculo *Priscillanus* in Hispania Sabellii, et Manichaci dogma est amplexus, ex Augustino. *Lib. de haeres. cap.* 70. Inde secta Priscillianistarum, quae misere turbavit Hispanias. Damnati sunt Priscillianistae pluribus synodis, imprimis Caesaraugustana anno CCCLXXX. Toletana I. anno CCCC., Bracarensi anno DLXIII. et aliis. Priscillianus cum sociis capite damnatus est Imperia-

riali judicio, quod primum videtur capitalis poenae in haereticos exemplum.

IV. *Paulus* patria *Samosatenus*, Antiochenus Patriarcha, circa annum CCLXII. docuit et ipse, Deum unam esse personam, nempe Patrem; deinde post *Cerinthum*, *Hebionem*, *Carpocratem*, *Theodotum*, *Artemam*, aliosque veteres haereticos, asserit, Christum purum esse hominem, cui Deus Pater verbum, seu sapientiam, et virtutem suam indidit; Spiritum Sanctum vero esse gratiam a Patre in homines diffusam. In eo itaque, ut observat Leontius *Lib. de Sectis Act.* 3., *Paulus Samosatenus* a *Sabellio* discrepabat, quod *Sabellius* unam esse Dei personam dicebat, quae tria haberet nomina; *Paulus* vero non eundem dicebat esse Patrem, Filium, et Spiritum Sanctum; sed Patrem, ajebat esse Deum, qui omnia creasset; Filium purum hominem, nempe Christum sapientia, et virtute a Deo plenum; Spiritum Sanctum gratiam Dei in homines effusam. Duo Concilia Antiochiae habita sunt contra Paulum Samosatenum, unum anno CCLXIV. alterum anno CCLXX. In priori quidem callida dissimulatione Patres elusit, at in posteriori convictus, anathemate perculsus, atque e sede sua dejectus est. Cum autem Episcopali domo nollet abscedere, interpellatus *Aurelianus* Imperator, licet ethnicus, eum expulit, jussitque iis domum tradi, quibus Itali Antistites, et Romanus Pontifex scriberent concedendam. Vide Eusebium *Lib. VII. Hist. cap.* 23. *et* 24., et Theodoretum *Lib. II. haeret. fab. cap.* 9.

V. *Photinus Syrmiensis* Episcopus, saeculo IV. Pauli Samostateni haeresim ab inferis revocare aggressus, paucis mutatis, agente *Basilio Ancyrano*, damnatus est in Synodo Syrmiensi anno CCCLI. ut omnes memoriae prodiderunt veteres, Epiphanius *Haeres. VXX.* Theodoretus *Lib. II. haeret. fab. cap.* 12. aliiq. ita ut falsus hac in re videatur *Garnerius Dissert. de haeres et lib. Nestor.* §. 5., qui *Photinum* aliqua ex parte excusare nititur.

VI. *Arius* Presbyter Alexandrinus, saeculo IV. magnam Ecclesiae pestem intulit. Docuit, Filium Dei meram esse creaturam, ante mundum quidem conditam, sed tamen in tempore. Damnatus est primum in Synodo Alexandrina ab *Alexandro* ejus Episcopo: sed cum lon-

longe lateque haeresim disseminasset, pluresque infecisset Episcopos, Presbyteros, omnisque conditionis homines, habitum est anno CCCXXV. Concilium Nicaenum primum oecumenicum, in quo damnatus est, jussuque Constantini M. pulsus in exilium, ejusque libri combusti sunt. Post, fraude Arianorum revocatus ab exilio, misere periit.

VII. Post Concilium Nicaenum latius Ariana haeresis est diffusa. Innumerabiles Synodi habitae sunt ab Arianis, novaeque in dies procusae fidei formulae. Omnes tamen Ariani in tres partes scissi sunt. Prima fuit rigidiorum Arianorum, qui, duce *Aëtio* et *Eunomio*, Verbum Patri dissimile *ανομοιον* affirmarunt. Hinc dicti *Eunomiani*, *Aetiani*, et *Anomoei.* Altera *Semiarianorum*, qui duce *Basilio Ancyrano*, Verbum per omnia Patri simile docebant, non tamen *Consubstantiale*. Tertia, inter duas priores media, concedebat, Verbum esse Patri simile, sed non quoad substantiam; eorum caput extitit *Acacius Caesariensis.* Longa est Arianismi Historia. Vide *Athanasium*, *Theodoretum*, *Epiphanium*, aliosque veteres. Multa de iis habet *Tillemontius. Natalis Alex.* concilia omnia tum Catholicorum, tum Arianorum, Scriptoresque Catholicos, qui Arianos olim oppugnarunt, accurate recenset. Historia autem Arianorum, quam *Maymburgus* adornavit (*a*), variis rationibus improbata est a viris doctis.

VIII. *Macedonius* Semiarianus, Episcopus Constantinopolitanus, Spiritus S. divinitatem, quam negaverant omnes haeretici, qui de Verbi divinitate male senserant, acrius oppugnavit. Ejus discipuli *Pnevmatomachi*, seu Spiritus S. hostes vocati sunt. Damnatus est Macedonius in Concilio Constantinopolitano I., atque Episcopatu abdicatus anno CCCLXXXI. Scripserunt contra ejus haeresim Athanasius *Epist. ad Serapionem*, Basilius *Lib. de Spiritu Sancto*, Ambrosius tribus Libris *de Spiritu Sancto*.

IX. Tritheitae, duce *Joanne Philopono*, VI. saeculo docuerunt naturam divinam in Patre, Filio, et Spiritu

(a) *Histoire de l' Arianisme.*

tu S. multiplicari, sicut natura humana in tribus hominibus. Nicephorus *Lib. XVIII. Hist. cap.* 49. auctor est, eos statuisse in divinis tres substantias, et naturas; sed tamen non ausos dicere tres esse Deos: aut tres Deitates, ita ut obscurius locuti videantur.

In hunc errorem, paucis immutatis, impegisse videtur saeculo XII. Abbas *Joachim* vir pietate conspicuus, sed in rebus Theologicis parum acutus, qui, cum legisset apud Magistrum sententiarum naturam divinam non gignere, non gigni, nec procedere, eam propositionem tamquam haereticam traduxit, quasi inde sequeretur, in Deo non Trinitatem, sed quaternitatem esse ponendam. Hinc librum scripsit contra *Petrum Lombardum*, quo probare conatus est, ipsam naturam divinam in Patre gignere, in Filio gigni, in Spiritu Sancto procedere, ac proinde multiplicari naturam divinam in tribus personis. Et tamen fatebatur, unum esse Deum ex tribus illis naturis coalescentem; sicut multi homines unum populum constituunt; quemadmodum etiam *Act. IV.* 32. dicitur: *multitudinis credentium erat cor unum et anima una.* Damnata est haec Ioachimi sententia in Concilio Lateranensi IV. sub Innocentio III. non tamen ipsa auctoris persona, quippe qui moriens omnia scripta sua Apostolicae Sedis judicio subjecerat. Vide Nat. Alexandrum *in Hist. Saec. XII.* (*a*).

X. *Michael Servetus*, Medicus Hispanus, Sabellii haeresim revocavit saeculo XVI. Genevae combustus est vivus, agente Calvino.

XI. Post ipsum *Laelius Socinus* Senensis, Calvinista, et *Faustus* ejus nepos eandem haeresim latius propagarunt. Docuerunt cum *Sabellio*, *Noeto*, et *Praxea*, u-

(*a*) Eamdem haeresim ab inferis revocare conatus est Petrus Fayditius anno 1696 in Libro, quem inscripsit: *Alteration du dogme Theologique par la Philosophie d' Aristote.* Eum refutavit Lud. Hugo. in Libro, cui titulus *Refutation du Systeme de M. l' Abbè Faydit sur la Trinitè*;

nam esse in Deo personam: cum *Paulo Samosateno*, Christum esse merum hominem, quem ipsi dicunt a Deo missum ad homines verbo, et exemplo edocendos, ideoque constitutum Ecclesiae caput, vocarique improprie Deum: quod nomen apud ipsos non naturae est, sed honoris, et potestatis; Spiritum S. non esse personam, sed virtutem, et efficaciam Dei. Incredibile dictu est, quot subtilitatibus, et sophismatis conati sint Sociniani catholicorum argumenta eludere, et suum stabilire dogma. Egressi ab Italia in Poloniam, et Transylvaniam se receperunt, ubi eorum secta adhuc perdurat, quae naturalem quandam potius, infinitis scatentem erroribus, quam Christianam religionem profitetur. Contra eos scripserunt non solum Catholici, ut *Petavius*, *Bossuetus*, et alii, sed etiam Protestantes *Zanchius*, *Bullus*, *Hoornebeklus* etc.

XII. Porro omnes istae haereses dividi possunt in tres classes. Prima negat Trinitatem personarum in divinis, ut *Simon*, *Menander*, *Basilides*, *Praxeas*, *Noëtus*, *Sabellius*, *Paulus Samosatenus*, *Michael Servetus*, *et Sociniani*. Altera fatetur tres personas, sed non unius naturae divinae, hoc est non consubstantiales; ut *Ariani*, *Semiariani*, *Macedoniani*. Tertia tres personas docet habere tres divinas naturas, ut *Tritheitae*. His autem omnibus addendi sunt Graeci Schismatici, qui saeculo XI., duce *Michaele Cacrulario*, ab Ecclesia Romana recesserunt, docentes Spiritum Sanctum a solo Patre, non etiam a Filio procedere: quod dogma olim a *Photio*, aliisque Graecis informatum, jampridem in Oriente spargi coeperat.

Nunc contra hos errores catholica veritas stabilienda est. Sed ne in obscuro laboremus, explicanda prius sunt nomina quaedam, quorum in hoc Tractatu frequentior erit usus. Omnis enim, quae recte instituitur aliqua de re disputatio, ab ipsa debet nominum definitione proficisci.

CA-

## CAP. II.

### *Explicantur nomina nonnulla, quorum frequentior in hoc Libro est usus.*

I. Mysterium Trinitatis est una numero, eademque in tribus personis subsistens natura divina. *Natura* autem est *essentia* rei, prout in seipsa, non in individuo, in quo est, consideratur. Sic cum dico naturam humanam, non *Petrum*, non *Paulum*, non denique ullum singularem hominem intelligo; sed ipsam communem omnibus hominibus essentiam, quamvis essentia haec non in se, sed in ipsis singularibus existat hominibus.

II. *Persona* vero definitur: *substantia*, *singularis*, *intelligens*, *tota in se*, *et incommunicabilis alteri*. Singulae definitionis partes attendendae sunt. Dicitur enim 1.° *substantia*, ut accidentia excludantur, et significetur ens aliquod per se existens: 2.° *singularis*; quia persona est aliquid existens: nihil vero existit nisi in singularibus individuis: 3.° *intelligens*; quia substantia ratione carens non dicitur persona (quod nomen dignitatem aliquam exprimit) sed *suppositum*; licet aliquando substantia intelligens vocetur etiam suppositum: 4.° *tota*, ut significetur, substantias etiam intellectu ac ratione praeditas, quae sunt totius compositi partes, qualis est anima hominis, dici non posse personas: 5.° *in se*, quia si existit in alio, a quo perficiatur, ut natura humana in Christo, persona non dicitur; 6.° *incommunicabilis alteri*; quia cum persona ultimo compleat, ac terminet naturam, jam alteri communicari non potest. Igitur ipsa natura tota in individuo existens dicitur persona, vel suppositum: persona quidem si est intelligens; suppositum vero si intellectu careat. Hinc persona brevius a Boetio definitur, *Rationalis naturae individua substantia*: quam definitionem a *Laurentio Valla* immerito reprehensam *Petavius* erudite defendit *Lib. IV. cap.* 4. Sed cum personae usurpamus nomen, directe quidem sive, ut ajunt, in recto, illud, quod est uni singulare intelligimus: oblique vero, sive in obliquo ipsam commu-

munem pluribus naturam. Sic cum Socratis personam dico, singularem illum intelligo, qui naturam habet humanam. Caeterum personae nomen ad refutandam Sabellii impietatem a Patribus usurpatum est inopia vocabulorum. Unde Augustinus *Lib. V. de Trin. cap. 9. Cum quaeritur*, inquit, *quid tres? magna prorsus inopia humanum laborat eloquium; dictum est tamen tres personae, non ut illud diceretur, sed ne taceretur.*

III. Illud vero, quodcumque sit, per quod efficitur, ut natura intelligens ultimo compleatur, ac terminetur, ideoque alteri communicari nequeat, Scholastici barbare *personalitatem* appellant; vel *subsistentiam*, si natura intellectu careat, quamvis aliquando *subsistentiae* nomen pro ipsa persona, vel supposito adhibere soleant.

IV. Quod Latini naturam, Greci *ϰσιαν*, et *φυσιν* vocant. Sed vocis hujus varia fuit apud veteres Graecos significatio. Usurpata est enim aliquando ad significandam personam; atque hinc oritur aliquando in explicandis eorum locis ambiguitas. Certe Paulus Samosatenus dixerat Patrem, Filium, etc. Spiritum Sanctum esse *μονοϰσιϰσ*, seu *unius usiae*: quae propositio vera est, si *usia* usurpetur pro natura: et tamen ob id à Patribus est damnatus; quia *usiae* nomen tum ab ipsis, tum à Samosateno pro persona usurpabatur. Imo et post exortam Arianam haeresim nonnulli Scriptores Catholici dixerunt Filium esse *ϰσιαν γεννητην*, *genitam usiam*, utique *usiam* pro persona usurpantes. Sed paulatim post Nicaenam Synodum receptum est, ut *ϰσια* tantum pro natura adhiberetur, ideoque numquam dicerentur in Deo tres *usiae*. Ab *ϰσια* factum est vocabulum *ομοϰσιον*, seu *consubstantiale*, et *ομοιϰσιον* seu *similis substantiae.*

V. Sed quod Latini personam appellant, Graeci dicunt *ϋποςασιν*. De hoc tamen vocabulo magna olim extitit controversia; quia sicut *ϰσια* aliquando dicta est ad significandam personam, ita e contrario aliquando hypostasis usurpata pro natura; atque hinc veteres aliquando tres in Divinitate hypostases, aliquando unam hypostasin esse affirmabant: qua de re celebris est epistola *Hieronymi ad Damasum* (a). Vide Petavium *Lib. IV.*

(a) Cum enim duo facti essent Antiochiae Episcopi *Meletius*, et *Paulinus*, ideoque schisma ortum esset (qua de re

*IV. cap* 1., Tandem sublata ambiguitate, et retenta voce hypostasis ad personam significandam, tres in Deo constanter dictae sunt *hipostases*, et una *usia*.

VI. Explicanda est etiam hic differentia inter causam, et principium: Causa enim 1°. non est ejusdem *numero* naturae cum effectu; 2°. producit effectum a se pendentem; 3°. est prior effectu saltem natura. Sic arbor est causa fructus. At principium, prout a causa distinguitur, est ejusdem naturae cum re producta; ac proinde non producit effectum a se pendentem, nec prius est re producta. Sic materia, forma, et privatio, ex doctrina Peripateticorum, sunt principia corporum; et natura principium proprietatum cujusque rei. Omnis ergo causa est principium, sed principium, cum stricte loquimur, non est causa. Vetustiores tamen Patres hanc strictam loquendi rationem non ubique servarunt. Nam Graeci aliquando Patrem vocarunt *αιτιαν*, *causam* Filii; quos imitatur etiam Augustinus *Lib. LXXXIII. Quaest. Quaest.* 16. Quippe *αιτιαν* causam pro *principio* dixerunt. At Latini Patres communius nomen causae tum Deo tribuunt, cum refertur ad creaturas. Sed respectu divinarum personarum principii nomine utuntur; atque ideo dicunt, Patrem esse principium Filii; causam creaturarum.

## C A P. III.

### *Asseritur Trinitas Personarum in divinis.*

*Advertendum.* SOciniani fatentur, Trinitatem personarum ab omnibus Patribus, qui vel Concilio Nicaeno adfuerunt, vel post ipsum Concilium floruerunt, fuisse traditam; ac proinde contendunt, hoc dogma probandum vel ex una Scriptura, vel addita ad sum-

---

vide Ruffinum *Lib. I Hist.* Socratem *Lib. II. cap.* 24) Meletiani tres hypostases, Pauliniani unam dicendam esse hypostasin contendebant, seque mutuo haereseos accusabant, et *Hieronymum* utrique in suas partes trahere conabantur; qua de re illa R. Pontificem consuluit.

summum traditione Patrum *Antenicaenorum*. Nos quamquam ex iis, quae diximus in secundo Libro de Ecclesiae infallibilitate, et auctoritate Traditionis, possemus etiam sine Scripturis illos revincere; tamen juvat omni eos argumentorum genere confutare, ut et simul refellamus haereticos, et obstruamus ora nunnullis, qui se profitentur catholicos, et tamen causam agunt haereticorum, docentes vel ex Scriptura catholicam doctrinam demonstrari non posse, ut Richardus Simonius *in Hist. Crit. Novi Test.* contra quem scribit *Bossuetus*; vel Patres Antenicaenos in hac parte contrarium docuisse, ut de iis ferme omnibus docet *Petavius*, qui tamen in Praefatione sententiam retractavit, vel saltem emollire studuit.

## PROPOSITIO.

*Trinitas personarum in divinis demonstrari potest obscurius quidem ex Veteri Testamento: clarissime vero ex Novo, et ex Patrum Antenicaenorum Traditione.*

*Prob.* 1. *pars.* Licet in Veteri Testamento Mysterium Trinitatis obscurius revelaverit Deus, tum quia periculum erat, ne Judaei crassiores Polytheismum, in quem erant propensi, profiterentur, ut Chrysostomus *Hom. V. de Incompr.* aliique Patres advertunt; tum quia decebat ut ipse Unigenitus, qui est in sinu Patris hoc mysterium clarius enarraret; tamen non desunt Veteris Testamenti loca, quibus plures esse Personas in divinis ostenditur.

I. *Genes. cap. I.* 26. ait Deus: *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram.* Atqui haec verba dicta non sunt ad Angelos; quia homo factus ad imaginem Dei *Ibid. v.*27., non est ad imaginem factus Angelorum; imo nec poterat simul ad imaginem Dei fieri, atque Angelorum, quorum natura infinito intervallo a natura Dei distat, ut recte observat Basilius *Hom. IX. in Hexam.* Ergo ad alias personas divinas dicta sunt (*a*) Unde Theodoretus *Quaest. XIX. in Genes.* Sub-

(a) Accedit, quod absurdum est opinari Angelos Deum in creatione hominis adjuvisse: *Malach.* II. 10 *Numquid non Deus unus creavit nos?* Is. XL. 13. *Quis adjuvit Spiritum Domini?*

*Subjungens*, inquit, *illud faciamus*, *expressit numerum personarum. Similiter cum iterum singulari numero dixit imaginem*, *eamdem naturam ostendit.*

Rursus *Ibid. cap.* III. 22. ait Deus *Jeovah* יהוה, quod nomen, fatentibus Judaeis, est Dei proprium: *Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est*: irridens scilicet ejus stultitiam, qua uxori indulserat, similitudinem Dei appetenti. Atqui haec verba explicari non possunt, nisi fateamur plures in Divinitate personas; alioqui sensus esset: *ecce Adam quasi unus ex me*; quo quid ineptius? Ergo.

Praeterea *Ibid. cap. XI.* 7. ait Dominus: *Venite*, *descendamus*, *et confundamus ibi linguam eorum.* Atqui haec verba dicta non sunt ad Angelos, tum quia nulla eorum ante mentio facta fuerat, tum quia si eorum ministerio uti voluisset Deus in eo opere, potius imperandi modo dixisset: *ite*, *descendite*, *et confundite etc.* Ergo ad duas alias personas divinas, ut observat *Chrysostomus*, vel quivis auctor *Homil. de Trinitate Inter Opp. Chrysost. Tom. I. Vide, obsecro*, *quomodo Patris vox Filium*, *et Spiritum Sanctum vocet*; *nam si ad unum solum hoc dictum esset*, *debebat dicere*: *veni*, *et descendamus*: *quia autem dixit*, *venite*: *unius est vox ad duos honore aequales.* Et *Genes.* XIX. 24. *Dominus pluit super Sodomam*, *et Gomorrham ignem a Domino.* Adde quod Moyses Deum nominans, saepissime utitur, sicut et posteriores Prophetae, plurali numero *Elohim*, cujus rei nulla ratio reddi potest, cum facile uti potuerit singulari numero *Eloah*, vel *Jeovah*, nisi ad plures personas respexerit: ipsique Judaei in hoc esse aliquod mysterium confitentur.

II. *In Psalmo XLIV.* ait David: *Sedes tua*, *Deus*, *in saeculum saeculi*, *virga directionis virga regni tui. Dilexisti justitiam*, *et odisti iniquitatem*: *propterea unxit te Deus Deus tuus oleo laetitiae*; ubi manifeste recensentur tres personae divinae. Et *in Psalmo CIX. Dixit Dominus Domino meo*: *sede a dextris meis.* Et *in Psalm. XXXII. Verbo Domini caeli firmati sunt*: *et Spiritu oris ejus omnis virtus eorum*: ubi vides Patrem, Verbum, et Spiritum Sanctum.

III. Isaias *cap. IV.* 8. non obscure innuit plures in Di-

Divinitate personas, dicens: *Audivi vocem Domini dicentis*: *Quem mittam, et quis ibit nobis? Et dixi, Ecce ego, mitte me*: ubi unus est Deus, qui mittit: *quem mittam? mitte me*: et tamen plures personae *quis ibit nobis?* Eas autem personas esse tres, ibidem innuit trina repetitione laudum Dei, quas Seraphim canebant, dicentes *Sanctus*, *Sanctus*, *Sanctus Dominus Deus exercituum*. Haec loca contra Judaeos simul, et Socinianos valent.

IV. Patres ante Nicaenum Concilium laudata Vet. testamenti loca de Trinitate personarum unanimi consensu explicuerunt, ut Justinus *Dial. cum Tryph.*, Theophilus Antiochenus *Lib. II. ad Autolyc.*, Irenaeus *Lib. III. cap.* 6., Tertullianus *Lib. cont. Prax. cap.* 12. *et* 13. Novatianus *Lib. de Trin cap.* 21.: et post Concilium Nicaenum omnes Patres eundem sensum perpetua, et constanti doctrina tradiderunt (a); ita ut mira sit temeritas *Bonfrerii*, *Simonii*, *Calvini*, *Castalionis*, et aliorum, qui loca Vet. Testamenti alio detorquere conati sunt.

V. Docent etiam Patres, Mysterium Trinitatis non fuisse omnino Judaeis, saltem sapientioribus, ignotum licet obscurius. Ita Origenes *Homil. II. in Josue*, Epiphanius *Haeres. V.*, Ambrosius. *Lib. de Cain et Abel. cap.* 8.; et Augustinus *Lib. II. cont. Maximin. cap.* 26. id probat ex *cap. XVIII. Genes.*; ubi Abraham tres vidit, et unum adoravit.

VI. Philo Judaeus *Lib. de mundi Opificio, et alibi*, docet, Mundum a Verbo Dei creatum esse, quod distinguit a Patre, docens, ipsum esse Filium Dei, aeternam Dei imaginem; eumque veteribus Patriarchis apparuisse. Ergo saltem obscure revelatum est, et creditum in Vet. Testamento Mysterium Trinitatis. Licet enim *Philo* acci-pe-

(a) Athanasius *Lib. cont. Gent.*; Nyssenus *Lib. de testim. cont. Judaeos.* Basilius *Lib. V. cont. Eunom.* Cyrillus Hieros. *Catech.* X., Ambrosius *Lib. VII. Hexam cap.* 7. Chrysostomus *Hom. VIII. in Genes.*, Augustinus *Lib. I. De Trin. cap.* 1. Theodoretus *Quaest. XXI. in Genes.* et alii, Imo in Concilio Syrmiensi anathema dictum est iis, qui ea loca aliter explicarent.

cipere ista potuerit a Christianis, cum tempore Apostolorum floruerit; non tamen ea credidisset homo Iudaeus nisi vidisset habere in Scripturis Vet. Testamenti fundamentum.

*Prob.* 2°. *pars.* 1. *Joan. XIV.* 16. ait Christus: *Ego rogabo Patrem, et alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in aeternum, Spiritum veritatis . . . v.* 26. *Paraclitus autem Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia.* Vides hic aperte Patrem, Filium, et Spiritum Sanctum non quidem ut virtutem, et efficientiam Patris; sed ut tertiam in Divinitate personam: ait enim *alium Paraclitum*: *ille vos docebit*: et *cap. XV. Ille testimonium perhibebit de me*: et *cap. XVI. Cum venerit ille arguet mundum de peccato ... Ille me clarificabit*, quae nonnisi de persona subsistente, atq. distincta possunt intelligi.

2. Matth. XXVIII. 19. *Euntes docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et spiritus Sancti*; ubi nomine Filii, fatentibus Socinianis, persona a Patre distincta intelligitur, nempe Christus. Ergo etiam nomine Spiritus Sancti tertia persona est intelligenda, ab utroque distincta; absurdum enim est dicere, homines baptizari in nomine Patris, Filii et virtutis Dei.

3°. I. Joan. *V.* 7. *Tres sunt, qui testimonium dant in caelo, Pater, Verbum, et Spiritus Sanctus: et hi tres unum sunt.* Sed quia locus hic omnino obstruit ora Socinianorum, idcirco nullum non moverunt lapidem, ut eum e Scripturis expungerent, quorum inferius cavillationes refutabimus.

*Prob.* 3. *pars.* 1. *ex Symbolo Apostolorum*, quo ante Nicaenum concilium tota Ecclesia usa est. 2. *Irenaeus* de universa Ecclesia sui temporis ait *Lib. I. cont. haeres. cap.* 2. *Ecclesia per universum orbem usque ad fines terrae seminata . . . . accepit eam fidem, quae est in unum Deum Patrem Omnipotentem . . . . et in unum Jesum Christum Filium Dei, et in Spiritum Sanctum* Justinus *Apol. II. Patrem, et qui ab eo venit Filium, et Spiritum Sanctum Propheticum colimus, et adoramus.* Tertullianus *Lib. cont. Prax. cap.* 30. *Judaicae fidei ista res est sic unum Deum credere, ut Filium Dei adnumerare nolis; et post Filium Spiritum. Quid*

*erit inter nos, et illos, nisi differentia ista?* (a). 3.° Haeretici, qui ante Concilium Nicaenum Trinitatem sustulerunt, statim ab Ecclesia proscripti sunt, ut *Sabelliani*, *Paulus Samosatenus*, et alii, quos *Dionysius Alexandrinus* damnavit, et confutavit adeo vehementer, ut apud nonnullos male audiens, quasi in contrarium errorem declinasset, purgare se debuerit apud *Dionysium* R. Pontificem. 4. Denique quovis saeculo baptismus in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti datus est: alioqui tamquam irritus habitus est, ac repetitus. Ergo etc.

*Solvuntur objectiones.*

Non est opus omnia Judaeorum commenta, et Socinianorum subtilissimas tricas, et inania sophismata refellere. Sed praecipua confutabimus.

*Objic. I. contra* 1m. *part.* Verba illa Vet. Testamenti *faciamus*, *descendamus*, et alia in plurali numero scripta sunt ad Dei loquentis dignitatem, ac majestatem exprimendam; sicut etiam hodiedum viri prinipes facere consueverunt, in quorum edictis nihil frequentius, quam *volumus*, *jubemus*: vel sunt verba cohortantis se ad opus; sicut solent artifices dicere: *faciamus statuam*, *etc.* Ergo non ostendunt plures personas.

℟. *Neg. ant.* Quis enim princeps, aut artifex dixit aliquando, aut dicere potuit ad semetipsum: *Venite*, *et faciamus*: sicut dixit Deus: *venite*, *descendamus*? Praeterea mos iste principum loquendi de se in plurali numero non erat usu receptus in prisca illa morum simplicitate tempore Moysis, qui refert alia magnorum Regum dicta, ut *Abimelech*, *Pharaonis*, *etc.* in singulari numero: imo ipse Deus cum Legem suam jussit, ac promulgavit, ubi praecipue auctoritatem suam ostendere oportebat; ut advertit Theodoretus *Q.XX. in Genes.*, in singulari numero de seipso loquitur. Mos autem artificum cohortantium se ad opus praeterquam quod in- B di-

(a) Add. Athenagoras *Legat. pro Christian.* Clemens Alex. *Lib. I. Paedagogi cap.* 6., Dionysius Alex. *ap. Athanas. Lib. de Dionysii sentent.*, Gregorius Thaumaturgus *ap. Nissen. in ejus vita*, Cyprianus, Minucius Felix, Novatianus, etc.

dignus Deo est, in quo nulla est animi suspensio, ut cohortatione hac indigeat; etiam in mente artificis sic loquentis supponit aliquos saltem in imaginatione sua praesentes, qui audiant, et exequantur opus. Caeterum *quis faber ferrarius, aut lignarius, aut quis sutor solus inter artis instrumenta sedens, adjuvante ipsum nemine, dicat ipse sibi: Faciamus gladium, aut aratrum compingamus?* inqnit Basilius *Homil. IX. in Hexameron.*

*Objic.* II. Verba Psalmorum *Sedes tua Deus in saeculum saeculi. Dixit Dominus Domino meo, etc.* intelligenda sunt de *Salomone*, aut *Ezechia*, aut alio viro principe; quem Propheta appellat Deum improprie: sicut *in Psalmo LXXXI.* ipsos judices appellat *Deos*, *Ego dixi: Dii estis.* Ergo non significant plures in Divinitate personas.

℟. *Neg. ant.* Ipsimet enim Judaei fatentur, laudata Psalmorum verba non de Salomone, sed de Messia intelligenda esse. Sociniani vero id negare nullo modo possunt, cum Paulus *Heb. I.* 8., et Christus *Matth. XXII.* 42. ea de Messia intelligenda esse doceant. Quod autem nomen Dei, et Domini non improprie ibi accipiendum sit, patet ex contextu sermonis. Scriptura enim, cum nomen Dei improprie usurpat, semper aliquid addit, ne in errorem inducamur, sicut in laudato *Psal. LXXXI.* post ea verba: *Ego dixi: Dii estis, et filii Excelsi omnes*: statim addit: *vos autem sicut homines moriemini.* Cum autem personam aliquam sine ullo additamento constanter Deum vocat, nonnisi proprie intelligendum est; alioquin sciri non poterit quandonam de vero Deo sermo sit. Hinc Irenaeus *Lib. III. cap.* 6. *Neque Dominus*, inquit, *neque Spiritus Sanctus, neque Apostoli, qui non esset Deus, definitive, et absolute Deum nominassent aliquando, nisi esset verus Deus.*

*Objic.* III. *contra* 2.m *part.* Locus ille *I. Joan. V.* 7. *Tres sunt, qui testimonium dant in caelo etc.* supposititius est, nihilque inde confici potest. Etenim ille versiculus suppositius est, qui in veteribus codicibus Syriacis, Arabicis, Graecis, et Latinis praesertim manuscriptis desideratur, nec laudatus est a Patribus; licet ad revincendos Arianos, Sabellianos, aliosque, contra quos illi

illi disputabant, maxime esset opportunus. Atqui laudatus versiculus in veteribus codicibus Syriacis, et Arabicis desideratur, ut patet ex Polyglottis Bibliis *Waldonis*; nec non in Graecis, et Latinis, ut patet ex manuscriptis codicibus, quos consuluit *Erasmus*, qui hunc versiculum in sua Editione praetermisit; et ex iis, qui asservabantur in Bibliothecis Vaticana, Barberiniana, Regia Parisiensi, Colbertina, Anglicana, Sangermanensi etc.; nec laudatus est a Patribus, qui contra Saballianos, Arianos etc. disputabant, Ergo etc. Hinc *Erasmus* (cui accessit Socinus) *Comment. in Epist. Joan.* putat, hujus fraudis auctorem fuisse *Hieronymum*, cujus nomine extat *Prologus* in Epistolas Canonicas. At *Ricardus Simonius* hunc *Prologum Hieronymo* abjudicat *Hist. Critic. Textus Novi Test. cap.* 18. quasi commentitium recentioris auctoris opusculum, aitq. hunc versum primo in margine a pio aliquo interprete scriptum esse; deinde incuria amanuensium irrepsisse in textum; cumque Latini Constantinopoli potiti sunt sub Innocentio III., a Latinis in Graecos codices fuisse transfusum. *Simonio* adhaeret *Clericus Part. III. Art. Crit. sect.* 1. *cap.* 14. *et in Quaest. Hieronymianis cap.* 9.

℟. *Transeat Maj. Dist. min.* Desideratur hic versiculus in aliquibus codicibus incuria amanuensium, et non laudatur ab aliquibus Patribus, qui mendosis usi sunt exemplaribus, *conc.* Desideratur in omnibus codicibus, et a nullo ex Patribus laudatur, *neg.* Dixi *transeat major*; quia non librariorum, et Criticorum, sed Ecclesiae est definire, quinam sint Libri Canonici, et quae genuinae eorum partes. Porro Ecclesia in Concilio Tridentino *Sess. IV.* declaravit Canonicas *singulas* Sacrorum Librorum *partes*, prout in Ecclesia legi consueverunt; sicut legitur hic versus in Ecclesia Latina in Officio Dominicae I. post Pascha, et in Ecclesia Graeca, ut patet ex eorum *Lectionario*, fatente *Simonio*; nec poterat ad Graecam Ecclesiam manare error a Latinis, quibus Graeci erant infensissimi, ab eisque tanquam ab haereticis, et hostibus cavebant: nec omisissent iis objicere corruptionem Scripturae, cum minora objecerint. Imo nec constanter in utraque Ecclesia receptus esset

versus, si fuisset falsus; *variare enim debuerat error*, ut ait Tertullianus *Lib. de Praescrip.*

Quod ergo spectat ad veteres codices Graecos (nam Syriacos, et Arabicos, cum sint versiones ex textu Graeco originali, non multum moramur) legebatur hic versus in manuscriptis vetustissimis ante Latinorum expeditionem in Graeciam, ut testatur *Correctorium Librorum* Saeculo X. scriptum, quod in Bibliotheca Sorbonica servabatur. *Calvinus* etiam, et *Beza* testantur, aetate sua in melioribus Graecis manuscriptis extitisse. *Robertus Stephanus* ex sexdecim vetustissimis Graecis codicibus, quos consuluit, septem tantum invenit, in quibus non integer versus deerat, sed tantum verba duo: *in caelo*: quae nihil sensui textus officiunt. Cardinalis *Ximenius*, conquisitis undique, praesertim ex Vaticana Bibliotheca, melioris notae codicibus, eum versum in Editione Complutensi anni MDXVII. retinuit. Imo ipse *Erasmus*, qui in prioribus editionibus eum praetermiserat, in tertia editione restituit ex vetusto codice Anglicano. Calumnia vero, quam ipse in *Hieronymum* doctorem sanctissimum pariter, et doctissimum impegit, intoleranda prorsus est. Si ergo *Prologus in Epistolas Canonicas* est revera *Hieronymi*, quod probabilius est, (conjecturae enim, quibus eum *Hieronymo* abjudicant *Simonius*, et PP. Benedictini in Editione ejus Operum, infirmae sunt) putandum est, Heironymum ex fide meliorum codicum eum versum retinuisse, et reprehendisse codices, qui eo carerent.

Quod spectat ad codices Latinos, negari non potest, in pluribus, et melioribus eum versum inveniri, ut testantur Lovanienses in Editione Scripturae, quam anno MDLXXX., magno manuscriptorum conquisito numero, fecerunt; PP. Benedictini in citatum *Prologum Hieronymi*, et alii. Sed quod caput est, et rem omnino conficit, *Cassiodorus*, qui Saeculo V. conquisitis undique antiquissimis, et probatissimis codicibus, quanta maxima valebat diligentia libros Sacros contulit, et emendavit, hunc versiculum landat in Libro, quem edidit *Maffejus* anno MDCCXXI., cui titulus *Complexiones in Epistolas, et actus Apostolorum*

*lorum.* Patet autem codices, qui tempore Cassiodori erant antiquissimi, vel ipsa Apostolorum tempora attigisse, vel ab iis parum abfuisse.

Falsum est autem, nullum ex veteribus Patribus hunc versiculum protulisse contra haereticos. Nam praeter *Hieronymum*, de quo paulo ante diximus, protulit illum Cyprianus *Lib. de Unit. Eccl. cap.* 4. *De Patre*, inquit; *et Filio*, *et Spiritu Sancto scriptum est*: *et hi tres unum sunt.* Ubi autem scriptum est, nisi in laudato loco *Joannis?* Protulit etiam *Eugenius* Episcopus Carthaginensis in professione fidei, quam nomine 400. Episcoporum *Hunnerico* Vandalorum Regi obtulit, dicens: *Ut adhuc luce clarius unius divinitatis esse cum Patre, et Filio Spiritum Sanctum doceamus, Joannis Evangelistae testimonio comprobatur; ait namque: tres sunt, qui testimonium perhibent in caelo: Pater, Verbum, et Spiritus Sanctus: et hi tres unum sunt: apud Victor. Vitens. Lib. III. de Persecutione Africana.* Insigne est hoc testimonium, quippe editum a tot Episcopis coram adversariis contentiosissimis. Protulit et Fulgentius *in Respons. ad* 10. *object. Arianor. Beatus Joannes Apostolus testatur dicens: Tres sunt, qui testimonium perhibent in caelo, Pater, Verbum, et Spiritus S.: et hi tres unum sunt. Quod etiam Beatissimus Martyr Cyprianus in Epistola de Unitate Ecclesiae testatur, dicens etc.* Protulerunt et alii, quos omittimus; ex regulis enim Criticae vel unum *positivum* testimonium vincere debet sexcenta *negativa* eorum Patrum, apud quos hic versus non citatur, vel quia aliqua eorum scripta perierunt: vel quia ipsi in mendosos codices inciderunt, in quibus versus ipse deerat.

*Inst. Ex concessis*, nonnulli codices hunc versum habent, in nonnullis deest. Cur ergo non potius judicamus mendosos eos codices, qui hunc versum exhibent, quam eos, qui illo carent?

℟. Quia 1.° facile fuit amanuensibus errare omittendo hunc versum, impossibile vero illud addendo. Cum enim uterque versiculus, septimus scilicet, et octavus ab iisdem verbis incipiant *tres sunt, qui testimonium dant* et in eadem verba desinant *unum sunt*, facile fuit, errante

rante oculo, ab uno ad alium versiculum transilire: quod et accidisse in aliis Scripturae locis, in quibus plures versus consequentes ab iisdem verbis incipiebant, notant PP. Benedictini *loc. cit.* At contra impossibilis erat additio, non solum quia piaculum erat aliquid addere verbo Dei; sed etiam quia cum per totum orbem Scripturae exemplaria sparsa essent, facile erat detegere fraudem: nec tanta consensione tota Ecclesia unius, aut alterius amanuensis additamenta, tamquam verbum Dei recepisset, aut ex margine in textum intrusisset.

2.° Quia si citatum versiculum septimum demas, jam mutila est *Joannis* oratio, et ipse contextus lacunam ostendit. Ait enim v. 6. *Spiritus est, qui testificatur, quoniam Christus est veritas*; v. 7. *quoniam tres sunt, qui testimonium dant in caelo: Pater, Verbum, et Spiriuts Sanctus: et hi tres unum sunt*; v. 8. *et tres sunt, qui testimonium dant in terra: Spiritus, et aqua, et sanguis: et hi tres unum sunt*; v. 9. *Si testimonium hominum accipimus, testimonium Dei majus est: quoniam hoc est testimonium Dei, quod majus est, quoniam testificatus est de Filio etc.* Deme versum septimum, jam, ut patet, tota oratio non cohaeret.

*Objic.* IV. Licet negari non possit, ex Novo Testamento demonstrari, Filium esse aliam personam a Patre distinctam, neque id diffiteantur Sociniani, quippe qui docent, Filium, nempe Christum, utpote purum hominem, esse personam a Deo Patre distinctam; tamen Spiritum Sanctum esse distinctam a Patre personam neque ex verbis Christi *Joan. IV.*, neque ex formula Baptismi, neque ex Epistola *Joan. I. cap. V.* 7. probari potest. Non quidem ex verbis Christi *Joan. XIV.*; nam sicut Christus ait, Spiritum esse alium Paraclitum, seu consolatorem; ita etiam David *Psal. XXII.* de virga et baculo Domini ait. *Virga tua et baculus tuus, ipsa me consolata sunt.* Quis autem dixerit, eas esse personas a Patre distinctas? Non etiam ex formula baptismi; sicut enim Paulus *Act. XX.* 32. ait: *Commendo vos Deo, et verbo gratiae ipsius*; et *Ephes. VI.* 12. *Confortamini in Domino, et in potentia virtutis ejus*, quibus locis conjungit cum persona Dei ejus operationes, quae personae non sunt; ita etiam forma ba-

ptismi

ptismi intelligi potest *in nomine Patris, et filii, et virtutis Dei.* Non denique ex verbis *I. Joan. V. 7.* nam sicut in versu 7. dicitur: *Tres sunt, qui testimonium dant in caelo: Pater, Verbum, et Spiritus Sanctus: et hi tres unum sunt*; ita etiam sequenti versu dicitur: *Tres sunt, qui testimonium dant in terra: spiritus, et aqua, et sanguis: et hi tres unum sunt.* Atqui ex his verbis non eruitur, spiritum, aquam, et sanguinem esse tres personas; ergo nec ex prioribus eruitur, Spiritum Sanctum esse personam a Patre distinctam, sed tantum aliquam ejus operationem. Ergo.

℟. *Neg. ant.* et similitudines allatas. *Ad* 1m. enim dicimus, longe disparem esse rationem inter laudata *Psalmi* verba, et ea, quae habentur apud *Joannem.* Ibi enim dicitur Spiritus testificari, arguere, clarificare, loqui quaecumque audierit: quod nonnisi personae subsistenti convenire potest; et distinguitur praeterea personali pronomine *ἐκεῖνος ille*: *Ille docebit, ille testimonium perhibebit, ille arguet mundum, ille quaecumque audiet loquetur.* Et haec loquendi ratio constans est in Scripturis; ita ut si liceret eam ad figuratum sensum transferre, nullus esset, qui non posset in alienum sensum detorqueri, locus; et Scriptura potius ad decipiendos, quam ad docendos homines composita videretur; uteretur enim nomine spiritus, quo nomine utique persona aliqua intelligitur; eum omnibus caracteribus personalibus insigniret; nullum daret locum *spiritum* in sensu figurato intelligendi; et tamen sensus figuratus esset. Ipse Filius dici posset non esse persona. At contra laudata *Psalmi* verba, et alia Scripturae loca; in quibus per *prosopopoejam* operationes personales rebus inanimatis tribuuntur, statim figuratum sensum praeseferunt.

Ad 2m. Recte dicere potuit Apostolus: *commendo vos Deo, et verbo gratiae: confortamini in Domino et in potentia virtutis ejus*; sensus enim est, nos commendari, et confortari in Deo, ut per verbum gratiae suae, suamque potentiam nos servet. At *in nomine* idem est, ac *in auctoritate*; auctoritas autem est personae, quis enim sanus dixerit: *in auctoritate sapientiae Regis, aut virtutis ejus?* ac proinde cum dicitur

in

*in nomine Spiritus*, sicut *in nomine Patris, et Filii*, tertia persona intelligenda est; nec potest nisi insulse virtus Dei significari.

*Ad* 3m. Dispar etiam ratio est versus octavi, et septimi. Nam praeterquam quod illa clausula versus 8. *hi tres unum sunt*, in plurimis deest codicibus, ut testantur Lovanienses Correctores, et Innocentius III. *Cap. cum Marthae de Celebr. Missar.* advertendum est; nullam ex tribus, versu 8. commemoratis, esse personam, nam *spiritus*, *aqua*, *et sanguis* ex Augustino *Lib. II. cont. Maximin. cap.* 22. est spiritus a Christo in Cruce emissus, aqua, et sanguis ex ejus mortui latere fluentes: quae testantur Christum esse verum hominem contra haereticos ejus temporis, qui id negabant. Ac proinde periculum non erat, ne aliqua ex iis pro persona acciperetur. Sed in versu 7. Verbum, et Spiritus conjunguntur cum persona Patris, et dicitur quod *tres sunt*; et *hi tres unum sunt*: quis ergo adeo caecus, ut non videat ibi tres personas?

*Inst.* Ideo virga, et baculus Domini, spiritus, aqua, et sanguis, et cetera non possunt intelligi de persona, quia statim unusquisque videt, operationes personarum iis tribui per *prosopopoejam*. Atqui idem dici potest de Spisitu Sancto. Nam Spiritus nomen saepissime in Scripturis usurpatur pro vento, aut aliis rebus, quas clarum est, non esse personas, ex. gr. pro voce, pro virtute, et *energia*, pro vita etc. quae colligit Joan. Clericus *Part. II. Art. Crit. Sect.* 1. *cap.* 5. Usurpatur etiam ipsum nomen Spiritus Sancti pro gratia Dei; sicut cum dicitur *Marc. I.* 8. *Ille baptizabit vos Spiritu Sancto*; quis enim dixerit, baptizari nos persona divina? Denique cum dicitur *Spiritus Dei*, id ipsam spiritalem Dei naturam significare videtur: sicut cum nos dicimus spiritum hominis, non intelligimus personam aliquam ab homine distinctam, Quam comparationem instituit Apostolus *I. Cor. II.* 11. *Quis enim hominum scit quae sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est? ita et quae Dei sunt, nemo cognovit, nisi Spiritus Dei.* Ergo.

℟. *Neg. min. Ad Confirm. Dist. ant.* Usurpatur pro rebus, quas constat non esse personas, sed semper additur

ditur aliquid, quo distinguatur a persona Spiritus Sancti, *conc.* Nihil additur, sed dicitur absolute *Spiritus Sanctus*, *neg.* Quoties igitur nomen spiritus pro rebus adhibetur, quae personae non sunt; semper aliquid additur, quo ad res illas coarctetur ejus nominis significatio. Sic cum dicitur *Isaiae* XL. 7. arefactum esse foenum, *quia Spiritus Dei sufflavit in eo*, unusquisque videt, accipi hic spiritum pro vento urente. Sic etiam cum dicitur *Spiritus procellae*, nemo nescit intelligendum esse de vehementi tempestate: et idem dicas de aliis Scripturae locis. Sed numquam *Spiritus Sanctus*, praesertim si in Graeco articulus praecedat *το πνευμα αγιον*, de alia re intelligitur, quam de ipsa Spiritus S. persona, ut observavit Didymus *Lib. I. de Spiritu Sancto.* Neque contrarium evincitur ex locis in objectione recitatis. Nam *Marci I.* 8. cum dicimur baptizari Spiritu Sancto, ipsa persona Spiritus Sancti intelligitur, non quia baptizamur persona divina: sed quia per metonymiam tribuitur gratiae ipsum Spiritus Sancti nomen, qui eam infundit: sicut cum lux dicitur sol, quia a sole diffunditur: et Lex Mosaica, librique Prophetarum dicuntur *Moyses*, et *Prophetae Luc. XVI.* 29. *Habent Moysen, et Prophetas*: *audiant illos.* Caeterum gratiam distinctam esse a Spiritu Sancto, tanquam effectum a causa, patet ex Apostolo *Rom. V.* 5. *charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum.* Comparatio autem instituta ab Apostolo *I. Cor. II.* 11. in eo solum sita est, quod sicut interiores hominis cogitationes nemo novit, nisi spiritus ipsius hominis; ita etiam abscondita Dei mysteria nemo novit, nisi Spiritus Sanctus: sed ipse Apostolus disparem rationem innuit; nam de homine ait: *spiritus hominis*, *qui in ipso est*: at de Deo: *Spiritus qui ex Deo est*; subdit enim post laudata verba: *nos autem non Spiritum hujus mundi accepimus*, *sed Spiritum qui ex Deo est*, sive procedit. Quis autem de anima hominis dixerit: *Spiritus qui ex homine est*?

*Objic.* V. Scriptura ubique praedicat Dei unitatem; idque etiam naturali lumine notum est. Ergo non sunt tres personae.

℟. *Neg.*

℟. *Neg. cons.* Licet enim in rebus creatis, ubi una est natura, unam etiam personam esse oporteat; id tamen fides docet, verum non esse de natura infinita, quae una est in tribus personis. Etsi autem nos id naturali lumine directe intelligere non possumus; tamen ipsa naturalis ratio nos edocet 1.° non valere argumentum, et comparationem a finito ad infinitum; 2.° si varietas ingeniorum inter ipsos homines efficit, ut unus clare percipiat, quae alius hebetiori ingenio intelligere non valet; multo magis putandum est, mentem divinam multa clarissime comprehendere, quae mens hominum percipere non potest. Idcirco si ineptus esset homo ingenii rudioris, qui negaret quidquid ipse non intelligit, licet ab homine docto, nec mendaci asseratur; multo magis ineptus esset, qui negaret quod a Deo constat esse revelatum, licet ipse non intelligat.

Instant hic Sociniani, et innumera sophismata promunt, ut probent, Trinitatem personarum esse rationi contrariam. Nos tamen istas eorum tricas infra dissolvemus, ubi expendemus, an Mysterium Trinitatis contrarium sit rationi.

*Objic. VI. cont.* 3m. *part.* Si priorum saeculorum Patres Trinitatem personarum in divinis credidissent, et scripto docuissent, utique Gentiles ipsis objecissent vel deorum numerum, quem Christiani passim iis exprobrabant, itaque par pari retulissent, vel saltem argumenta innumera, quae unicuique cogitanti de hoc mysterio veniunt in mentem. Atqui neutrum fecerunt. Ergo etc.

℟. *Neg. min.* tum quia non omnia supersunt scripta eo tempore a Gentilibus contra Christianos, et a Christianis contra Gentiles; tum quia, ex scriptis, quae supersunt, constat, gentiles, et haereticos revera utrumque objecisse Christianis, ut patet ex objectionibus *Celsi* apud Origenem *Lib. cont. Cels.*, ex objectionibus aliorum Gentilium apud Justinum *Apolog. I.*, ex objectionibus *Praxeae* apud Tertullianum *Lib. cont. Prax.*

CA-

## C A P. IV.

*Ostenditur, tres personas esse consubstantiales, h. e. habere eamdem naturam divinam.*

*Advertendum.* STatuta Trinitate personarum, demonstrandum modò est, tres illas personas esse *consubstantiales*, hoc est eandem habere numero substantiam, et naturam divinam. Qnod primo hic generatim exequemur de omnibus simul personis; deinde in sequentibns capitibus sigillatim idem de unaquaque ostendemus persona, hoc est personam Filii, et Spiritus Sancti esse consubstantiales Patri, quem habere unam, et individuam naturam divinam, nemo negat.

## PROPOSITIO.

*Tres personae Pater, Filius, et Spiritus Sanctus sunt consubstantiales, hoc est eamdem habent divinam naturam. Est dogma fidei.*

*Prob. I. Matth. XXXVIII.* 19. formam baptismi prascribens Christus, ait: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti.* Nón ait *in nominibus*, sed in *nomine*, hoc est in una eademque trium personarum auctoritate. Atqui quorum auctoritas una est, una etiam debet esse natura; nam si una persona increata esset, alia creata, non una eademque esset ambarum auctoritas; sed in una esset naturalis, essentialis, et infinita; in altera esset supernaturalis, *accidentalis*, finita, ac derivata. Ergo etc. Praeterea per eam formulam devoventur homines, et consecrantur simul Patri, Filio, et Spiritui Sancto sine ulla distinctione, atque discrimine. Ergo eorum debet esse eadem natura divina; sacrilegum enim esset consecrari hominem simul Creatori, et creatnrae, cum Deus honoris sui *Zelotes* sit *Exod. XX.* 5. nec illum cum rebus creatis communicari patiatur. Ergo.

*Prob.* II. ex celebri loco *Joannis Epist. I. Cap. V.* 7. *Tres sunt, qui testimoninm dant in caelo: Pater,*

*ter, Verbum, et Spiritus Sanctus: et hi tres unum sunt.* Quibus verbis nihil clarius dici poterat de una eademque trium personarum natura. Ejus autem versus veritatem supra adversus Criticorum objectiones vindicavimus. Ergo.

*Prob.* III. *ex traditione Patrum Antenicaenorum.* 1.° Justinus *Apolog. II. Hunc Patrem, et qui ab eo venit Filium, et Spiritum Peopheticum colimus, et adoramus, cum ratione, et veritate venerantes.* Atqui constat, uni, et soli Deo deberi adorationem, quam hic sine ullo discrimine exhiberi dicit Patri, et Filio, et Spiritui Sancto. Ergo etc. 2o. Athenagoras *Legat. pro Christianis: Deum asserimus, et ipsius Verbum, et Spiritum Sanctum, tria quidem secundum potentiam, Patrem, Filium, et Spiritum Sanctum; actu vero, et essentia unum.* Et clarius rem explicans, ait: *Quis igitur non miretur, cum audiat, nos qui Deum Patrem praedicamus, et Deum Filium, et Spiritum Sanctum, eorum in unitate virtutem, et in ordine distinctionem explicantes, Atheos vocari?* 3.° Tertullianus *Lib. contra Praxeam* totus est in hoc dogmate explicando, et asserendo. Sic ait *cap.* 2. *Custodimus oeconomiae Sacramentum, quae Unitatem in Trinitatem disponit, tres dirigens Patrem, et Filium, et Spiritum Sanctum. Tres autem non statu, sed gradu; nec substantia, sed forma; nec potestate, sed specie* (formam, et speciem pro personarum proprietate usurpat) *unius autem substantiae, unius status, et unius potestatis, quia unus Deus.* Idem repetit *cap.* 3. 12. *et* 22. 4.° Dionysius Romanus *in Episola contra Sabellianos,* cujus fragmenta refert Athanasius *Lib. de decret. Syn. Nic.* refellens *Sabellii* haeresim, qui tres personas non distinguebat, haec addit: *Audio quosdam apud vos esse Cathechistas, et doctores divini verbi, qui illius sunt opinionis auctores, qui ex diametro pugnant cum Sabellii placitis. Hic enim blasphemat, Filium ipsum esse asserens Patrem, et e converso Patrem esse Filium. At isti tres quodammodo praedicant, dum Sanctam Monadem dividunt in tres hypostases peregrinas, et a se invicem plane separatas.* Subdit: *Etenim necesse est, uniri omnium Deo Verbum, et in Deo manere, et habitare Spiritum Sanctum. Jam vero divinam*

*quoque Trinitatem in unum velut in caput quoddam, et summum Omnipotentem Deum universorum colligi, et coalescere prorsus est necesse.* Ecce manifeste praedicat Romanus Pontifex in Trinitate unitatem, et in unitate Trinitatem esse dogma fidei in Ecclesia universa. De Patribus vero, qui post Nicaenum Concilium floruerunt, nulla potest hac in re esse dubitatio. Ergo.

*Prob.* IV. *ex Symbolo Apostolico*, in quo a primis Ecclesiae saeculis fideles in Deum Patrem, Filium, et Spiritum Sanctum se credere professi sunt. Atqui credere in Deum est ei non modo per fidem, sed etiam per spem, et charitatem adhaerere, tamquam ultimo fini, Ergo cum non liceat hoc modo ahaerere creaturis, ipsum Filium, et Spiritum Sanctum Deum esse fideles semper professi sunt. Hic ubi primum aliquis docere coepit, vel Filium, vel Spiritum Sanctum non esse Deum, statim reclamarunt fideles: quae reclamatio tamquam antiquae fidei vox habenda est.: statimque Novatores tamquam haeretici proscripti sunt in Conciliis, ut in Nicaeno, Constantinopolitano etc. Ergo.

## *Objectiones solvuntur.*

*Objic.* I. Ex eo quod baptizamur in nomine Filii, et Spiritus Sancti, et credimus in Filium, et Spiritum Sanctum, non sequitur, utramque personam esse ejusdem cum Patre naturae; sed tantum nos baptizari baptismo Filii, seu Christi, et per gratiam Dei ablui a peccatis: sicut ex eo quod Apostolus *I. Cor. X.* 2. ait. *omnes in Moyse baptizati sunt*, non sequitur, Moysen esse Deum. Et ex eo quod legitur *Exod. XIV.* 31. *crediderunt Domino, et Moysi servo ejus*, non sequitur, Moysen Domino coaequari. Denique ex eo quod proponatur edictum *auctoritate Regis*, *et Praefecti*, non sequitur, eos eadem potestate pollere. Ergo.

℟. *Neg. ant. et comparationes allatas.* Qui enim dicit in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, ostendit unam eandemque in tribus auctoritatem, ideoque unam naturam, ut supra diximus. Item qui credit in Patrem, Filium, et Spiritum, aeque fertur erga eos eadem fide, spe, et charitate. Sed Apostolus non ait,

Israe-

Israelitas baptizatos *in nomine Moysis*, sed *in Moyse*, hoc est Moyse duce; quamquam etiamsi diceret in nomine Moysis, adhuc dispar esset ratio a forma baptismi; quia non dixisset, omnes baptizatos esse in nomine Patris, et Moysis, communem faciens utriusque auctoritatem; sicut nos baptizamur in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. *Exodi* vero *cap. XIV.* non legitur: *Crediderunt in Dominum, et Moysen*; sed *Domino, et Moysi*; aliud autem est credere Deo, aliud credere in Deum. Denique si quando edictum proponatur ipsissimis hisce verbis *auctoritate Regis, et Praefecti urbis* (quod nescio an umquam factum sit) ipse edicti textus ostendit, auctoritatem praefecti a Regia esse diversam, et in eo tantum esse positam, ut Regis voluntatem exequatur. At non ita se res habet in forma baptismi.

*Objic.* II. Sicut in laudato *Joannis* loco de Patre, Filio, et Spiritu Sancto dicitur: *et hi tres unum sunt*: ita et de spiritu, aqua, et sanguine dicitur *vers.* 8. *et hi tres unum sunt.* Atqui inde non eruitur, spiritum, aquam, et sanguinem esse ejusdem individuae naturae. Ergo nec ex superiori versiculo eruitur, Patrem, Verbum, et Spiritum unius esse naturae.

℟. *Dist. maj.* Et haec verba versus 8. *et hi tres unum sunt*, praeterquam quod in pluribus desunt codicibus, in ipso originali contextu evidenter ostendunt, longe disparem unitatem esse spiritus, aquae, et sanguinis ab ea, quae est Patris, Filii, et Spiritus Sancti, *conc.* Secus, *neg.* In textu enim Graeco de Spiritu, aqua, et sanguine non dicitur *οι τρεις εν εισιν*, sicut dicitur de Patre, Filio, et Spiritu Sancto; sed *οι τρεις εις ἑν εισιν hi tres in unum sunt*, hoc est in idem testimonium conspirant, et consentiunt. Dissimilis ergo est utriusque versus ratio.

*Inst.* Etiam unitas, quae de Patre, Filio, et Spiritu Sancto praedicatur, intelligi potest unitas voluntatis, et testimonii. Nam *Joan. XVII.* 21. ait Christus: *Pater ... rogo . . . pro eis, qui credituri sunt . . . ut omnes unum sint, sicut tu Pater in me, et ego in te . . . ut sint unum, sicut et nos unum sumus.* Orat igitur, ut fideles sint unum, sicut Pater, et Filius unum sunt.

sunt. Atqui fideles non possunt esse unum, nisi concordia voluntatis. Ergo Pater, et Filius, ideoque et Spiritus eodem sensu *unum sunt.*

℟. *Neg. ant. Ad confirm. Dist. maj.* Et haec similitudo unitatis in omnibus perfecta est, *neg.* In aliquibus, *conc.* Quoties igitur creatura Creatori comparatur, semper infinito intervallo minor est; et similitudo ex aliqua, non autem omni ex parte urgenda est: sicut cum ait Christus *Matth. V.* 48. *Estote perfecti, sicut et Pater vester caelestis perfectus est*, quis adeo desipiat, ut eandem dicat esse posse in creatura perfectionem, quae est in Creatore? Praeterea cum ibi Christus Patrem oret ut homo, potuit eam discipulis unitatem, atque concordiam, quantum capaces erant, adprecari, quam ipse homo cum Patre habet. Vide Theodoretum *Lib. II. Hist. cap.* 8., et Maldonatum *in comm.*

*Objic.* III. *Joan. XVII.* 3. Christus Patrem alloquens, ait: ***Haec est autem vita aeterna: ut cognoscant te, solum Deum verum, et quem misisti Jesum Christum.*** Ergo si solus Pater est Deus; Filius, et Spiritus Sanctus non sunt ei consubstantiales.

℟. *Dist. ant.* Pater est solus verus Deus, ita ut excludat inanes Deos, *conc.* Ut excludat Filium, et Spiritum Sanctum, *neg.* Nam ut observat Petavius *Lib. III. de Trin. cap.* 1. in Graeco adjectivum *μονον solum* non afficit pronomen Σε te, sed sequentia verba *verum Deum*; ait enim *ινα γινωσκωσι σε τον μονον αληθινον θεον*, *ut cognoscant Te, qui es ille solus verus Deus.* Porro aliud est dicere: *solus Pater est verus Deus*; aliud: dicere: ***Pater est ille solus verus Deus***, ut patet.

*Objic.* IV. Ait Apostolus *I. Cor. VIII.* 6. ***Nobis tamen unus Deus, Pater, ex quo omnia, et nos in illum: et unus Dominus Jesus Christus, per quem omnia, et nos per ipsum.*** Ergo soli Patri Dei nomen attribuit.

℟. *Dist. cons.* Ut excludat inanes Gentium Deos, *conc.* Ut excludat Filium, et Spiritum Sanctum, *neg.* Alioqui si dicendo *unus est Deus, Pater*, excluderet a divinitate Filium; dicendo etiam *unus Dominus Jesus Christus* excluderet a dominatione Patrem, quod ab-

absurdum est. Solos igitur inanes Gentilium Deos a natura divinitatis excludit, de quibus paulo ante dixerat: *nam etsi sunt qui dicantur Dii, sive in caelo, sive in terra ( siquidem sunt Dii multi, et domini multi ) : nobis autem unus est Deus.* Movere autem nos non debet quod de Patre dicat *ex quo omnia*, de Filio vero *per quem omnia*; Pater enim est principium, quod a nullo procedit, Filius a Patre.

*Objic. V. Dionysius Petavius*, inter Catholicos doctissimus, *Lib. I. de Trin.* fere omnes Antenicaenos Patres, paucis exceptis, ait, non agnovisse unitatem naturae divinae in Patre, Filio, et Spiritu Sancto. *Ricardus Simonius* Catholicae etiam communionis auctor, in *Hist. Critica Novi Test.* fatetur, veteres doctores numquam clare docuisse ταυτο σιαν seu unitatem naturae in tribus personis. Quomodo ergo revincemus heterodoxos, si ipsi nobis adversantur Catholici?

℟. *Neg. cons. Petavius* enim vel rei evidentia evictus, vel Catholicorum offensione commotus, quidquid scripserat de Patribus Antenicaenis, in *Praefatione* vel retractavit, vel, quantum potuit, sensu catholico explicavit, atque emollivit. Melius quidem nomini suo consuluisset, si omnia ex ipso opere expunxisset; sed cum se revocaverit, frustra Sociniani de ejus auctoritate gloriantur. *Simonius* magnam suo nomini labem aspersit. Sed sicut exiguae stipulae fumus lucem solis nequit extinguere, ita istorum sententia auctorum tenebras offundere non potest lumini scripturarum, et traditionis, quam non solum nostri, sed etiam heterodoxi scriptores, praecipue *Georgius Bullus*, eruditissime, et doctissime explicuerunt.

Nunc, quoniam trium personarum divinitatem, et *consubstantialem* naturam generatim ostendimus; jam de divinitate Filii, et Spiritus Sancti, sicut ante fuit propositum, sigillatim disseremus.

CAP.

## CAP. V.

*Ostenditur, Verbum divinum, sive Filium esse Patri ὁμοούσιον, seu consubstantialem.*

*Adv.* VErbi divinitas, et *consubstantialis* cum Patre natura potest demonstrari vel *directe* ostendendo scilicet ipsum Verbum esse Patri *consubstantiale*, vel *indirecte*, scilicet demonstrando, Christum esse Deum; ex eo enim evidenter sequitur, Verbum Deum esse, Patrique *consubstantiale*; quia persona Christi, ut in *Lib. VI. de Incarnatione* docebimus, ipsa Verbi persona est. Sed nos ista commodo tironum dividemus, atque hic directe solum demonstrabimus Verbi divinitatem 1°. ex Scripturis; 2°. ex traditione Patrum Antenicaenorum; 3.° ex Concilio Nicaeno, et sequentibus Patribus.

### §. I.

*Verbi divinitas, et consubstantialis cum Patre natura ex Scripturis ostenditur.*

### PROPOSITIO

*Ex Scripturis evidenter ostenditur Verbi divinitas. Est non solum contra Arianos, et Socinianos, sed etiam contra Simonium, qui, licet fateatur, Verbum esse Deum; negat tamen id clare ex Scripturis ostendi.*

*Prob. I.* ex Evangelio Joan. *cap. I. In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt: et sine ipso factum est nihil.* Quo ex textu sic concludimus. 1o. Æternitas est solius Dei, ut in *Lib. III. cap.* 7. docuimus. Atqui hic Verbo tribitur aeternitas; utitur enim *Joannes* verbo *erat*, quod omnia tempora transcendit; quia quodcumque temporis punctum fixeris, semper vera esse debet haec propositio: *Verbum erat*; ideoque semper erat; ac proinde

ab aeterno erat, ut observant Chrysostomus *Homil. III. in Joan.* Basilius *in haec verba*, Cyrillus *Lib. I. in Joan. cap.* 5. et alii. Unde Ambrosius *Lib. I. de fide ad Grotian. cap.* 5. *Erat apud Deum. Erat, erat, erat: ecce quater erat: ubi impius invenit, quia non erat?* Merito ergo in Concilio Nicaeno Arianis anathema dictum est asserentibus fuisse momentum, quando Verbum non erat. Praeterea ait Evangelista: *in principio erat*. Atqui verba ista *in principio* absolute posita significant in principio omnium rerum, in ipsa creatione rerum, a qua tempus incepit. Ergo Verbum erat ante omnia tempora, ac proinde ab aeterno.

2°. Ex laudato *Joannis* loco Verbum semper erat ac proinde non est factum, sed a seipso erat. Atqui quod non est factum, sed est a se, Deus est, ut ex *Lib. III. cap.* 2. manifestum est Ergo.

3°. Item *omnia per Verbum facta sunt.* Ergo Verbum factum non est, alioquin vel falsum esset, omnia facta esse per Verbum: vel aliud comminisci debebimus Verbum, per quod Verbum factum est; et tunc illud aliud Verbum Dei Filius vere esset; non hoc alterum, quod per illud factum est. Atqui quod non est factum, Deus est, ut patet. Ergo.

4°. Tribuitur Verbo in laudato textu omnium rerum creatio; ait enim; *omnia per ipsum facta sunt*: quod et *in Psalm. XXXII.* dicitur: *Verbo Domini caeli firmati sunt.*. Atqui creatio opus omnipotentiae, sive infinitae virtutis est. Ergo si Verbum est omnipotens, Deus est.

5°. Denique Verbum, ad omnem ambiguitatem tollendam, absolute et simpliciter dicitur Deus: *et Deus erat Verbum*: in qua propositione sive Deus ponatur ut *praedicatum* cum Hilario *Lib. I. de Trin. cap.* 7., sive ut *subjectum* cum aliis Patribus, idem omnino sensus est. Caeterum Ex Graeco constat textu, Deum esse propositionis *attributum*, seu *praedicatum*. Ergo etc.

*Prob.* II. ex Apostolo *in Epist. ad Hebr. cap. I.* ubi divinitatem Filii Dei magnifice praedicat. Ait enim: *Ad Angelos quidem dicit: qui facit Angelos suos spiritus, et ministros suos flammam ignis. Ad Filium autem: Thronus tuus, Deus, in saeculum saeculi: virga aequitatis, virga regni tui. Dilexisti justitiam, et odi-*
*sti-*

*sti iniquitatem? propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo exultationis prae participibus tuis. Et: Tu in principio Domine terram fundasti; et opera manuum tuarum sunt coeli. Ipsi peribunt, tu autem permanebis; et omnes ut vestimentum veterascent: et velut amicium mutabis eos, et mutabuntur: tu autem idem ipse es, et anni tui non deficient.* Quibus verbis Apostolus 1.° appellat Filium absolute *Deum*: *Thronus tuus, Deus, in saeculum saeculi*: 2.° ne qua esse posset de sensu hujus nominis dubitatio, ait, ipsum esse caeli, et terrae creatorem; 3.° ipsum habere aeternitatem, ac immutabilitatem. Atqui haec omnia impium esset tribuere nisi vero, et soli Deo. Ergo.

*Prob. III. ex Psalmo CIX.*, ubi Pater Filium alloquens, ait: *ex utero ante Luciferum genui te*, hoc est ab aeterno ex mea substantia te genui; non sicut creaturas, quas in tempore ex nihilo eduxi. Atqui ex substantia Dei creatura gigni non potuit: imo nec potest esse omnino Filius, nisi ejusdem sit cum Patre substantiae, ut Cyrillus *Lib. XXIII. Thesauri*, aliique Patres advertunt. Ergo.

Denique probatur etiam argumentis, quibus *Lib. VI.* in Tractatu de Incarnatione ostendemus, Christum esse Deum. Licet enim ex quo Verbum Deus est, non sequatur continuo, Christum esse Deum, nisi demonstretur antea contra *Nestorium*, Christi personam esse ipsum Verbum; tamen, ex quo Christus est Deus, evidenter Verbum esse Deum evincitur.

*Diluuntur objecta.*

Sicut argumenta, quae Christi divinitatem confirmant, alio in loco proferenda reservavimus; ita et objectiones, quae directe contra ipsius Christi divinitatem pugnare videntur.

*Objic. I.* Ex *cap. I. Joan.* non sequitur, Verbum esse verum Deum. Nam 1.° verba illa *in principio* multi Patres explicant *in Patre*, ut Clemens Alex. *Adhort. ad Graecos*, Cyrillus Alex. *Lib. I. in Joan. cap. 1.*, Augustinus *Lib. VI. de Trin. cap. 2.* et alii, quos vide apud Maldonatum *in Comment.* Alii explicant *in Deo*, ut Athanasius *orat. cont. Arianos.* Atqui sic explicata illa verba non probant ipsius Verbi aeternitatem: potest

enim dici, ipsum fuisse in mente Dei tanquam Verbum in tempore proferendum, ut Ariani arguebant apud Athanasium *Epist. de sentent. Dionys. Alexandr.*; aut saltem Verbum ibi non significare Filium Dei, sed aeternam Patris sapientiam, qua cuncta creavit. Praeterea possunt etiam intelligi cum Socinianis in principio praedicationis Evangelii, ita ut tota *Joannis* narratio metaphora sit, significans, omnia, quae ad salutem pertinent, et mundum spiritalem, facta esse per verbum Evangelicum. Denique verba Moysis: *in principio creavit Deus coelum et terram*: *Gen. I.*, et verba Christi de diabolo *Joan. VIII.* 44. *ille homicida erat ab initio* non probant, mundum, et diabolum esse ab aeterno. Ergo nec ista; *in principio erat Verbum*.

R. *Neg. ant. ad* 1um. *Confirm. neg. min.* Licet enim illa verba *in principio* explicentur *in Patre*, vel *in Deo*, non tamen significant, Verbum fuisse *objective* tantum in mente Dei, nam hoc sensu creaturae omnes, imo et omnia possibilia in Deo fuerunt; atque ideo nihil peculiare dixisset Joannes de Verbo: imo addidisset quando, aut quomodo ipsum Verbum productum esset, sicut de ceteris creaturis ait: *omnia per ipsum facta sunt.* Quod autem Verbum ibi sit ipse Dei Filius, patet ex sequentibus, ubi *Joannes* ait: *Verbum caro factum est*; *et vidimus gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti a Patre*; et ex Apostolo *Heb. I.*, ubi tribuit Filio, quod hic Joannes Verbo tribuit. Igitur verbum *erat υποστατικως substantive*, accipiendum est, ut significet *existebat*: quod verbum indefinite praeteritum ejus aeternitatem demonstrat, ut supra ex *Ambrosio*, aliisque Patribus ostendimus.

*Ad* 2. Valde ridicula est interpretatio Socinianorum, non solum quia contra rectissimam Augustini regulam *Lib. III. De Doct. Christiana cap.* 10. detorquet ad metaphoram, quod in litera nihil absurdum, sed valde naturalem habet sensum, et contra regulam Tridentini *Sess. IV.* proponit explicationem contrariam ei, quam semper tenuit, et tenet Ecclesia, et unanimis Patrum consensus; verum etiam quia figurata illa Socinianorum explicatio ipsa se se destruit. Ait enim Joannes: *mundus per ipsum factus est.* Si ergo juxta Socinianos *mundus* significat Ecclesiam, quomodo subjectit statim Evangelista: *et mundus eum non cognovit?*

*Ad* 3. Non ait Moyses: *in principio erat coelum*, *et terra*; sed *in principio creavit Deus coelum*, *et terram*: quae verba statim temporalem creationem ostendunt. Nec Christus ait de diabolo: *ille erat ab initio*, sed *homicida erat ab initio*, hoc est initio suae creationis in peccatum lapsus malum nocendi animum habuit. Unde longe dispar est ratio.

*Inst.* 1.° Ex eo quod ait Joannes: *omnia per ipsum facta sunt*, non sequitur, Verbum non esse factum; sicut cum dicimus, fabrum omnia per asciam, dolabram, aut serram facere, non sequitur, ipsam asciam non esse factam. Neque ait Joannes: *Omnia ab ipso facta sunt*, sed *per ipsum*: quod significat instrumentum, quod necessario debet esse creatum, et ab alio pendens. Ergo.

℞. *Neg. ant.* Non solum enim ait Joannes: *omnia per ipsum facta sunt*; sed addidit: *sine ipso factum est nihil*: quae generalis sententia clare ostendit, Verbum non esse factum; alioquin falsum esset, *nihil esse factum sine Verbo*. Particula autem *δια per* saepe in Scripturis causam principem significat, ut *Prov. VIII.* 15. *per me reges regnant*: et *I. Cor. I. Paulus Apostolus Jesu Christi per voluntatem Dei*. Quod autem in laudato Joannis loco revera causam principem denotet, patet non solum ex ipso contextu, in quo dicitur Verbum extitisse ab aeterno; verum etiam ex Apostolo *Heb. I.*, ubi de Filio Dei explicat, quod dicitur *in Psal. CI. et tu in principio Domine terram fundasti*: *et opera manuum tuarum sunt coeli*: quae verba certe non instrumentum, sed principem causam demonstrant.

*Inst.* 2.° In laudato *Joannis* loco Verbum non dicitur *ο θεος* Deus cum articulo, quemadmodum in eodem loco Pater Deus dicitur cum articulo emphatico *ο θεὸς* sed simpliciter *θεος Deus* sine articulo. Atqui Deus in Graeco textu sine articulo positus non ipsum summum Deum, sed inferiorem aliquam designat potestatem; sicut cum dicitur *Exod. VII.* 1. *Ecce constitui te Deum Pharaonis*; et *Psalm. LXXXI. Ego dixi*: *Dii estis*. Ergo etc.

℞. *Neg. min. Chrysostomus* enim Graecae utique linguae peritissimus *Homil. III. in Joan.* Arianis talia objicientibus respondet, ipsum Patrem aliquando vocari Deum *θεον* sine articulo, ut *Rom. I.* 7. *Gratia vobis*

et

*et pax a Deo Patre nostro* : in Greco *απο Θεε* sine articulo. Contra Filius *Rom. IX.* 5. dicitur *ο Θεος* cum articulo. Ratio igitur, cur *Joannes* Verbum appellans Deum, articulo non est usus, ea est; quia nomen *Deus* ibi *praedicatum* est propositionis; Verbum vero *subjectum*. Solent autem Graeci articulum subjecto non praedicato praeponere; ideo Joannes dixit *θεος ην ο λογος subjecto λογος* praeponens articulum. Moyses vero, et Judices non absolute dicuntur *Deus*; sed ille *Deus Pharaonis*, isti mortales quidam Dii, a Deo vero constituti super terram; addit enim: *vos autem sicut homines moriemini.* Imo, ut advertit Hilarius *Lib. VII. de Trin.* eo ipso, quod Moyses, et Judices dicuntur constituti Dii, patet non esse natura veros Deos. At de Verbo dicitur: *Deus erat verbum.* Nihil luculentius.

*Objic. II.* Sapientia, quae Verbum Dei est, dicitur creata *Eccli. XXIV.* 14. *Ab initio, et ante saecula creata sum.* Et *Prov. VIII.* 22. ubi vulgata legit: *Dominus possedit me in initio viarum suarum*, *LXX.* habent *ο κυριος εκτισε με Dominus creavit me.* Ergo non est Deus.

℟. *Dist. ant.* Dicitur creata, creatione improprie dicta, quae pro quacumque productione usurpatur, *conc.* Creatione proprie dicta, *neg.* Ex duobus textibus in objectione prolatis unus alteri lucem affundit. Nam *Prov. VIII.* 22. Textus Hebraicus, qui originalis est, et versioni LXX. praeferendus, cum Vulgata nostra consonat; habet enim: *Dominus possedit me*, h. e. *genuit*, quo sensu dicitur *Genes. IV.* 1. *possedi hominem per Deum.* Imo in ipsa versione *LXX.* in aliis codicibus fortasse emendatioribus nonnulli Patres Graeci, ut Basilius *Lib. II. cont. Eunom.*, et Gregorius Nyss. *Lib. I. cont. eumdem* legerunt *εκτησε* possedit: et facile fuit amanuensibus oscitantibus pro *εκτησε* scribere *εκτισε*. Igitur ex hoc loco *Proverb. VIII.* intelligitur quo sensu ipsa Sapientia *Eccli. XXIV.* de se dicat: *ab initio, et ante saecula creata sum*, h. e. *ab aeterno genita*: nisi et hic in textu Graeco error amanuensium subrepserit. Nec insolens est in Scripturis, ut creatio pro quacunque productione usurpetur, ut *Jerem. XXXI.* 22. *Creavit Dominus novum super terram.* Et fortasse si verbum *εκτισε* apud

*LXX.*

*LXX*. non est amanuensium error, voluerunt interpretes eo verbo uti, ne si adhibuissent *gignendi* verbum, suspicaretur aliquis in Filii Dei generatione eas imperfectiones, quae sunt in creaturarum generationibus. His accedit, quod cum Sapientia de se dicat: *ab initio*, *et ante saecula* (h. e. ab aeterno) *creata sum*, non potest intelligi creatio proprie dicta; quia nihil creatum est, et fortasse nec creari potuit ab aeterno, ut in libro superiori diximus, et in sequenti dicemus uberius.

*Objic. III.* De Filio ait Christus *Marci XIII.* 32. *De die autem illo vel hora nemo scit, neque Angeli in caelo, neque Filius, nisi Pater.* Ergo si Filius aliquid ignorat, Deus non est.

℟. Filium Dei praeter divinam naturam assumsisse humanam in incarnatione, ut suo loco dicemus. Quapropter nonnulla de se dicit ut Deo, sicut est illud: *Ego et Pater unum sumus Joan. X.* 30. *Pater meus usque modo operatur, et ego operor. Joan. V.* 17. *Ego sum alpha et omega, principium et finis, dicit Dominus Deus, qui est, et qui erat, et qui venturus est omnipotens Apoc. I.* 8. etc.; alia vero ut de homine, quale est praecipue illud *Joan. XIV.* 28. *Pater major me est*: quod vehementer urgebant Ariani, nosque suo loco explicabimus; alia denique de utraque natura, ut *Joan. III.* 13. *Nemo ascendit in caelum, nisi qui descendit de caelo, Filius hominis, qui est in caelo.* Hoc igitur posito, nonnulli Patres ad verba in objectione recitata ita respondebant Arianis. Filius ignorat diem judicii ut homo, *conc.* Ut Deus, *neg.* Quae responsio sufficit ad obstruenda ora Arianorum, et Socinianorum. Sed quia Filius neque ut homo ignorat judicii diem, ut ostendemus suo loco, ideo aliter distinguendo, respondemus. Filius ignorat judicii diem ut Deus, *nego.* Ut homo, *subdist.* Ignorat ut persona singularis; *nego.* Ut caput hominum, quibus eam scientiam non revelat, *conc.* Sicut Sacerdos in judicium vocatus ac rogatus testis, recte dicit, se ignorare, quae in confessione sacramentali audivit. Neque hoc est alienum a phrasi Scripturarum, ut observat Augustinus *Lib. LXXXIII. Quaest. LX. Sicut enim scire Deus dicitur etiam cum scientem facit, sicut scriptum est: tentat vos Dominus Deus vester, ut sciat si diligatis*

cum

*eum . . . sic et cum dicitur nescire, aut pro eo dicitur, quod non approbat . . . . aut pro eo, quod utiliter nescientes facit, quod scire inutile est.*

℟. *Objic. IV. Joan. V. 19. Non potest Filius a se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem.* Ergo minister est, et imitator a Patre pendens.

℟. *Dist. ant.* Non potest a se facere quidquam propter naturam, quam habet communem cum Patre, a quo procedit, *conc.* Propter infirmitatem, aut subjectionem, *neg. Quid superest*, ait Ambrosius *Lib. IV. de fide cap.* 3., *nisi ut per unitatem inseparabilem potestatis nihil credamus Filium facere, nisi quod viderit Patrem facientem? quia per inseparabilem unitatem nihil a se facit Filius; quoniam nihil vult, quod Pater nolit: quod utique non infirmitatis est, sed unitatis.* Igitur propter naturam cum Patre communem nihil facere potest, quod non facit et Pater; propter processionem a Patre nihil potest facere *a se*, quia a Patre est.

## §. II.

### *Eadem Verbi divinitas, et conusbstantialis cum Patre natura ex Patribus Antenicaenis ostenditur.*

*Adv.* Jam supra innuimus, non solum Socinianos, sed et *Ricardum Simonium* asserere, Patres Antenicaenos alienos fuisse a Verbi divinitate, quibus incaute magna ex parte aliquando adhaesit *Petavius.* Sed Patrum defensionem praeter Catholicos egregie peregit *Georgius Bullus.* Nos, ne tironum memoria opprimatur, praecipuos producemus tum Graecos, tum Latinos; aliorum loca indicabimus.

### PROPOSITIO.

*Patres, qui ante Nicaenum Concilium floruerunt, unanimi consensu docuerunt, Verbum esse Deum, ideoque Patri ομουσιον.*

*Prob.* I. *ex Patribus Graecis.* 1.° *Ignatius*, qui primo saeculo cum Apostolis vixit, et ipsum fortasse Chri-

Christum adhuc puer vidit, ut est aliquorum opinio, objit vero senex, et Martyr initio saeculi secundi, sic habet *in Epist. ad Ephesios*: *Unus est medicus. carnalis et spiritualis, factus et non factus, in carne Deus, in morte vita vera, et ex Maria, et ex Deo*: quae verba non solum Christi, sed ipsius Verbi divinitatem directe ostendunt, quod appellat absolute *Deum*; et ne de sensu ejus nominis quaestio esset, ait esse *non factum*; quod nonnisi soli vero Deo convenit.

2.° *Justinus* saeculo II. *Apol. II. Filium*, inquit, *esse Patri universorum, qui quod Verbum Dei primogenitum sit, Deus etiam existit.* Eum autem numero, seu persona, non essentia distinctum a Patre docet in *Dial. cum Tryph.*, dicens: *Virtutem istam, quam Deum sermo Propheticus vocat, non ut solis lumen nomine tantum numerari, verum numero aliud quiddam esse ratione exquisita supra paucis explicavi*: *Virtutem hanc dicens de Patre genitam virtute, et consilio ipsius, non per abscissionem, tamquam dispertita esset Patris essentia, prout alia omnia divisa, et secta, non eadem sunt, quae ante fuerunt, quam scinderentur.* Idem docet aliis in locis, ut in *Oratione paraenetica ad Graecos*, quam ut genuinum Justini opus agnoscunt eruditi (*a*), et alibi.

3.° Eodem saeculo *Athenagoras*, praeter ea, quae supra attulimus, *in Legatione*, sive Apologia pro Christianis ait: *Filius Dei est Verbum Patris in idea, et efficacia; ab ipso enim, et per ipsum facta sunt omnia, cum Pater, et Filius unum sint, ita ut Filius sit in Patre, et Pater in Filio, per unionem, et potentiam spiritus siquidem mens, et Verbum Dei Filius Dei est.* Idem docuerat eodem saeculo II. *Melito Sardensis*, *Polycarpus*, *Tatianus*, *Theophilus Antiochenus*, et ipsi SS. Martyres in passione sua idem professi sunt, quorum verba passim refert Ruinartus *in Actis synceris.*

4.° *Iraeneus* saeculo III., discipulus Polycarpi, qui fuit Joannis Apostoli auditor, magnifice de Verbi divinitate lo-

(a) Vide *Nat. Alex. Dupinum*, et alios.

loquitur *Lib. II cont. haeres. cap.* 43. ait, illud esse aeternum: *Non enim*, inquit: *ineffectus es, o homo, neque semper coexistebas Deo, sicut proprium ejus Verbum* Et *Lib. IV. cap.* 11. *Quoniam qui de rubo locutus est Moysi, et manifestavit, se esse Deum Patrum, hic est viventium Deus. Quis enim est vivorum Deus, nisi qui est super omnia Deus, et super quem alius non est Deus?... Qui igitur a prophetis adorabatur Deus vivus, hic est vivorum Deus, et Verbum ejus, qui et locutus est Moysi. Ipse igitur Christus cum Patre vivorum est Deus, qui et locutus est Moysi, qui et Patribus manifestatus est.* Quid clarius?

5.° Clemens Alexandrinus *in fine Paedagogi* ait: *Patrem, et Filium unum esse Deum, per quem est aeternitas.* Et *in Admonit. ad Gent. Verbum divinum, qui est manifestissime verus Deus, qui est universorum Domino exaequatus, quoniam erat ejus Filius, et Verbum erat in Deo.* Ex quibus vides quam iniqua sit censura *Joan. Clerici Epist. I. Crit.* contra Clementem Alex.

6.° Eodem saeculo III. *Origenes*, licet a Petavio. *Lib. III. de Trin. cap.* 4., et Huetio *in Origenianis Lib. II.*, Norisio *Dissert. de V. Syn. cap.* 2., Nat. Alexandro *Hist. saec. III. Dissert. XVI.* §. 2., et aliis, tamquam Arianismi parens traducatur, tamen in operibus, quae non sunt ab haereticis interpolata. Verbi divinitatem agnoscit. Ait enim *Lib. I. contra Cels. Sumptis muneribus* ( *Magi* ) *quae veluti symbola illi, qui ex Deo, et homine mortali esset, ut ita dicam, compositus, darent, postquam didicerunt ubinam natus fuisset; ut regi aurum, ut moritur myrrham, ut Deo thus obtulerunt.* Et *Lib. IV. Quod si Deus immortalis Verbum, mortali corpore humanaque anima susceptis, videtur Celso mutari, et aliam formam assumere, sciat ille, Verbum, natura manens Verbum, nihil eorum pati, quae corpus, aut anima patitur.* Multa alia loca collegerunt Origenis defensores *Sixtus Senensis*, *Claudius Espencaeus, Genebrardus, Halloixius*, qui quatuor libris *Origenianas Vindicias* complexus est, et alii; ex quibus constat, eum hac in parte non errasse; licet in aliis ejus doctrina a multis Episcopis, et demum a Concilio V. Oecumenico damnata sit.

7.°

70. *Gregorius Thaumaturgus*, celeberrimus *Origenis* discipulus, *in Confessione Fidei* apud Gregorium Nyssenum (*in ejus Vita*) *Unus* inquit *est Deus Pater Verbi viventis, sapientiae subsistentis et potentiae, et figurae aeternae, perfectus perfecti genitor. Pater Filii unigeniti Unus Dominus, solus ex solo, Deus de Deo . . . potentia totius creaturae effectrix. Filius verus veri Patris, aeternus aeterni etc.* Idem docuit alter *Origenis* discipulus *Dionysius Alexandrinus* eodem tertio saeculo claerissimus apud Athanasium *Lib. de sentent. Dionys. Alex.* (ita ut mirum sit, Danielem Huetium *Lib. II. Origenian. cap.* 2. *Gregorium Thaumaturgum*, et *Dionysium Alexandrinum* Ariano veneno infectos asserere) *Lucianus*, et *Methodius* Martyres, et qui multis aequivalent, Patres Concilii Antiocheni contra *Paulum Samosatenum*. Eorum omnium testimonia vide apud *Carolum Witasse*, *Bossuetum* contra *Jurium*, *P. Cordemoi* contra Socinianos, *Laurentium Berti*, *Nicolaum Nurrium* (a); et ex heterodoxis *Georgium Bullum in defensione fidei Nicaenae.*

*Prob. II. ex Patribus Latinis.* 1.° *Tertullianus* (licet nonnulli hac in parte eum accusent, nec multum negotii nobis facesseret, si errasset, cum in aliis quoque ab Ecclesiae fide defecerit, et in haeresim *Montani* lapsus sit) de Verbo Dei haec habet *Apolog. cap.* 21 *Hunc ex Deo prolatum dicimus, et prolatione generatum, et idcirco Filium Dei, et Deum dictum ex unitate substantiae; nam et Deus Spiritus . . . . Ita de Spiritu Spiritus, et de Deo Deus, lumen de lumine*: quae verba, ut vides, symbolo Nicaeno inserta sunt. Et *Lib. cont Prax. cap.* 17. omnia Patris nomina, et attributa Filio convenire docet. *Nomina Patris Deus Omnipotens, Altissimus, Dominus virtutum, Rex Israelis, Qui est . . . Haec dicimus et in Filium competisse, et in his Filium venisse, et in his semper egisse, et sic ea in se hominibus manifestasse.* Et *ibid. cap.* 22. *Dicens* (Filius) *Unum sumus Ego, et Pater, ostendit* duo-

(a) Le *Nourry* in Apparatu ad Bibl. PP.

*duos esse, quos aequat, et jungit.* Et *Lib. de Resurrect. carnis: Est enim Sermo Deus, qui in effigie Dei constitutus, non rapinam existimavit pariari Deo.* Alia ejusdem loca vide apud *Nat. Alexandrum*, et alios, supra laudatos.

2.° *Lactantius* licet Rhethoricae magis, quam Theologiae peritus in varios errores declinaverit, in hoc tamen dogmate non dissentit a ceteris. Nam *Lib. IV. cap.* 29. Gentium objectionem occupans, ait: *Fortasse quaerat aliquis, quomodo cum Deum nos unum colere dicamur, duos tamen esse asseveramus Deum Patrem, et Deum Filium.* Cui objectioni respondet: *Cum dicimus Deum Patrem, et Deum Filium, non diversum dicimus, nec utrumque secernimus; quia nec Pater sine Filio esse potest, nec Filius a Patre secerni; siquidem nec Pater sine Filio nuncupari, nec Filius potest sine Patre generari. Cum igitur et Pater Filium faciat, et Filius Patrem, una utrique mens, unus spiritus, una substantia est.*

3.° Idem docuerunt Cyprianus *Lib. II. Testim. ad Quirin. cap.* 6., Novatianus *Lib. de Trin. cap.* 31., Arnobius *Lib. I. advers. gent.*, et alii.

4.° Cum primum aliquod verbum excidit alicui ex Patribus Antenicaenis sive Graecis, sive Latinis, quod Verbi divinitatem labefactare videretur, reclamarunt statim fideles, et alii Ecclesiae Doctores, ut accidit *Dionysio Alex.*, qui cum acrius Sabellianos insectaretur, ideoque aliquibus visus esset non recte de Filii Dei divinitate sentire, statim accusatus est apud *Dionysium R. Pont.*, apud quem illustri apologia se purgavit. Atqui nemo reclamasset; nisi totius Ecclesiae fides eo tempore pro Verbi divinitate stetisset. Ergo.

5.° Patres, qui in Concilio Nicaeno definierunt contra Arium, Verbum esse Patri ὁμοούσιον, utique ante Concilium Nicaenum floruerant, exeunte tertio saeculo, et quarto ineunte; eamque doctrinam a majoribus acceperant; alioquin quomodo tam cito, tamque universali consensu in re tanti momenti, nemine reclamante, facta esset in toto orbe illa mutatio doctrinae? imo cum signari non possit tempus, quo doctrina de Verbi divinitate coeperit, argumentum est invictissimum,

eam

eam ab Apostolis manasse. Hic Socinianis haeret aqua; *Socinus* enim *epist. II. ad Radecium*, et *in Respons. ad Viekum* contendit, usque ad Nicaenum Concilium solum Patrem pro vero Deo habitum. Contra vero *in Epist. III.* ferme sub ipsa Apostolorum tempora, ait, contrarium dogma invaluisse. In eadem dissensione laborant ejus sectatores.

6.° Denique nullum ex Antenicaenis Patribus *Ario* favisse, patet ex ipsa Arianorum confessione apud *Alexandrum* Alexandrinum in Epistola, quam refert Theodoretus *Lib. I. Hist. cap.* 4., et apud. *Athanasium Lib. de Synodis Arimin. et Seleuc.* Nec unquam cum Catholicis contendentes concedere voluerunt, ut ex Patribus Antenicaenis quaestio definiretur, ut auctor est Socrates *Lib. V. Hist. cap.* 1.° Quapropter iis semper Catholici doctrinae novitatem objecerunt, ut Athanasius *Lib. de decr. Syn. Nic.* Hilarius *Lib. I. ad Constant.*, Basilius *Lib. I. cont. Eunom.*, Nyssenus *Orat. III.* etc. Quod pudore suffundere deberet Socinianos, qui putant, se invenire in illis Patribus, quod Ariani ipsis viciniores invenire non potuerunt.

Unus est *Eusebius Caesariensis*, qui Nicaeno Concilio adfuit, sed antea jam florebat, de cujus fide merito dubitatur. Cum enim semper Ario faverit, et Arianorum factionem adjuverit, non leve praejudicium est, eum Ariano etiam dogmati favisse: cum praesertim in ejus scriptis multa sint duriora, quae in aliis benigne excipi possent, at in amico Arianorum non possunt. Ideo eum accusarunt e veteribus *Athanasius*, *Hilarius*, *Epiphanius*, *Hieronymus*, *Photius*, *Zonaras*, *Nicephorus*, *Sophronius*, e recentioribus *Baronius*, *Petavius etc.* At eum excusarunt ex antiquis *Gelasius Caesariensis*, *Theophilus Alexandrinus*, Auctor Libri *de duabus naturis Gelasio* tributus, *Gelasius II.* Auctor *Quaestionum Vet. et Novi Test.* inter Opera *Augustini*; ex recentioribus vero *Sixtus Senensis*, *Valesius*, *Dupinus*, ejusque censor et castigator *Matthaeus Petitdidier*, et *Bullus.* Sed quamvis vir iste magnus, in errorem fuisset inductus, contra traditionem trium saeculorum praevalere non posset. Magna enim ingenia in magnos errores rapiuntur, inflante scientia, non aedificante charitate.

*Sol-*

### *Solvuntur Objectiones.*

*Advertendum*. Non patitur instituti ratio ut omnes Socinianorum cavillationes contra singulos Patres Antenicaenos excutiamus, opus enim excresceret in immensum. Sat erit primo generales afferre responsiones; deinde praecipua quaedam objecta speciatim confutare. Sciendum igitur 1.° Patres, qui ante natas haereses scripserunt, securius, atque idcirco aliquando minus commode locutos esse, cum se ita intelligi putarent, uti in Ecclesia Catholica credebatur, ut advertit Hieronymus *Apolog. II. cont. Rufin.* dicens: *Antequam in Alexandria, quasi daemonium meridianum, Arius nasceretur, innocenter quaedam et minus caute locuti sunt.* Idque saepe inculcat Augustinus *Lib. XVI. de Civ. cap.* 2. et *Lib. I. cont. Julian. n.* 22. et *in Psal. LIV.*

2.° Patres, qui contra hareses scripserunt, aliquando visos esse in contrarium errorem declinare, ut advertit *Theodoretus Dial. III.* Ita *Augustinus* Pelagianos impugnans, ab iis arguebatur, quasi Manichaeorum patronus, et *Cyrillus Alex.* Nestorium refellens, videbatur adversariis aut in haeresim *Apollinaris* impingere, aut *Eutychianismi* semina spargere. Cum ergo veteres illi Patres *Noëtum*, *Sabellium*, *Paulum Samosatenum* confutarent, qui tres personas negabant, in aestu disputationis nonnulla minus caute protulerunt, quae videbantur prima fronte tres distinctas naturas adstruere. Sed cum quaestio tunc non esset de unitate naturae divinae; quam constabat esse religionis Christianae basim, sensu Catholico intelligendi sunt de tribus personis, quarum distinctionem illi haeretici negabant.

3.° Cum Filius a Patre sit genitus, et Spiritus Sanctus ab utroque procedat, et ex hac processione oriatur distinctio personarum; Patres, ut distinctionem illam contra haraeticos probarent, processiones personarum maxime urgebant. Hinc vocabant solum Patrem *Deum* peculiari quadam ratione αυτοθεον, quia ipse est fons, et origo Divinitatis, ut Patres loquuntur: non quod divinam genuerit naturam, quod absurdum est, sed quod ipse sit aliarum principium personarum, sive principium

pium sine principio, quod et Paulus Apostolus facit ut observat *Chrysostomus Hom. V. de Incomprehensibili*; atque eadem ratione aliquando Patrem dixerunt *causam*, et *auctorem* Filii, nomen causae latius pro principio usurpantes. Imo ratione originis Patrem Filio majorem, sive priorem dixerunt.

4.° Cum missio in divinis, ut suo loco dicemus, sit processio unius personae ab alia, habens adjunctum effectum aliquem temporalem, ex. gr. creationem, legis promulgationem, incarnationem, gratiae effusionem: hinc illa persona mitti potest, quae ab alia procedit; Pater vero mitti nequit, quia non procedit ab alio: Atque hac ratione docent veteres, solum Filium fuisse visibilem, Patrem vero invisibilem, rursus Filium esse Patris ministrum etc.

5.° Cum plura sint Filii nomina, puta *Ratio*, *Sapientia*, *Filius*, *Verbum*, *Sermo etc.* putarunt veteres; varia illa nomina eidem personae tribui, sed varia ratione, ac sensu. Sicut enim in nobis etiam silentibus est ratio, et sapientia; sed verbum est cum aliquid mente concipimus, sermo vero cum cogitata ore proferimus; sic dicebant illi, ab aeterno quidem fuisse Filium, quatenus Ratio, et Sapientia dicitur; sed tunc extitisse sermonem, cum Pater, quae ab aeterno disposuit, extra se protulit in mundi creatione; tunc enim *dixit*, *et facta sunt* omnia. Atque hinc explicatur quo sensu nonnulli Patres dicant, *Sermonem*, et aliquando etiam *Filium* non fuisse ab aeterno.

6.° Vocabulo ουσια, φυσις, et υποστασις (a) non eodem semper sensu a Veteribus usurpata sunt; aliquando enim ουσιαν, et φυσιν usurpant pro persona: υποστασιν vero pro natura, aliquando vero sensu contrario. Hinc non temere putandum est, veteres tribuisse Filiò aliam a Patre naturam; quia fortasse dicunt eum habere aliam ουσιαν, aut φυσιν.

7.° Denique cum Verbum naturam humanam in incar-

(a) *Usia*, *phy sis* et *hypostasis*.

carnatione assumserit, multa ei secundum humanam naturam conveniunt, quae divinitati repugnant; atque ideo veteres Filio Dei nonnulla tribuunt, quae videntur eum facere Patre minorem; sed secundum naturam ab eo assumtam intelligenda sunt. His igitur praejactis, facile objectiones omnes dissolventur; quarum aliquas exempli loco subjicimus.

*Objic.* I. Patre Antenicaeni docent, solum Patrem esse summum illum Deum, quem Scripturae dicunt esse super omnia Sic Origenes *Hom. II. in Joan. Dicendum est*, inquit, *quod αυτοθεος (a) quidem Deus ille, est cum articulo, propter quod et Servator ait... ut cognoscant te solum verum Deum; quidquid. vero est praeter hunc, qui αυτοθεος dicitur, participatione, et communione divinitatis illius deificatum est.* Imo, et *Lib. VIII. contra Cels.*, quem constat non esse ab haereticis interpolatum, damnat eos, *qui diversam ab aliis sententiam sequentes, temere affirment, Salvatorem esse summum Deum: at nos nihil simile, qui credimus dicenti: Pater major me est.* Similia docet Irenaeus *Lib. II. cap.* 49. Ergo.

℟. *Dist. ant.* Docent, solum Patrem esse *αυτοθεον* sive *per se Deum* peculiari quadam ratione, quia a nullo procedit, et ipse est principium sine principio, fons, et origo totius divinitatis, et eatenus ratione originis major, sive, prior Filio, *conc.* Quia ipse solus et non Filius, nec Spiritus S. habent naturam divinam, *neg.* Certe *Athanasius* divinitatis Verbi acerrimus propugnator (*Orat. cont. Sabellii gregales*) concedit, dici posse, solum Patrem esse *illum verum Deum.* Caeterum nec opus Origenis *in Joannem* ab omni haereticorum fraude est certe immune, nec vera est ejus observatio de articulo, quem dicit apponi solum cum de Patre agitur, ut supra ex *Chrysostomo* ostendimus.

*Objic.* II. Solent Patres Antenicaeni appellare Patrem *causam*, et *auctorem* Filii, quem dicunt *secundum. Deum*,

(a) *Autotheos*,

*Deum*, sive *secundam potestatem*, *et aliud quid ετερον τι* post Patrem. Sic Justinus *in Dial. cum Tryph.* Ergo.

R. *Dist*: *ant*. Ratione originis, *conc*. Ratione alterius naturae, *neg*. Nomen enim causae aliquando strictius usurpatur ad significandum id, quod est tempore prius, et a quo effectus pendet; aliquando latius ad significandum principium, et originem. Hoc posteriori sensu veteres, praesertim Graeci, nomen causae, et auctoris Patri dederunt, etiam ii, qui post Concilium Nicaenum acrius Filii divinitatem propugnarunt, ut ipse *Alexander*, qui primus Arium damnavit, *apud Theodoret. Lib. I. Hist. cap.* 4. Basilius *Lib. I. cont. Eunom.*, Gregorius Naz. *Orat. XXXVI.*, Hilarius *Lib. XII. de Trin.* et alii; licet posteriores Latini Patres propter ambiguam nominis significationem ab eo abstinuerint. Quia igitur Filius est alia persona a Patre procedens, ideo nonnulli dixerunt eum *ετερον τι aliud quid* (quam loquendi rationem Graeci usurpant non solum cum de alia natura, sed etiam cum de alia persona loquuntur) ejusque Patrem dixerunt *causam*.

*Objic*. III. Constans est Patrum Antenicaenorum doctrina, Patrem esse invisibilem, et incomprehensibilem; Filium vero visibilem, ideoque docent, eum, qui Moysi, et Patriarchis locutus est, non fuisse Patrem, sed Filium. Id Justinus ex professo probat *in Dial. cum Tryph.* inquit enim: *Profecto qui dixit Moysi, se Deum esse Abrahae ... non creator universorum Deus erit ... nemo non omnino mente captus auctorem universorum, et parentem, relictis omnibus supercoelestibus, in parva terrae particula visum dicere audeat ... Non existimetis, ipsum ingenitum Deum descendisse, aut aliquo in loco ascendisse; neque enim ille non enarrabilis Pater et Dominus universorum in aliquem locum venit, neque ambulat, neque dormit, nec movetur, nec loco comprehendi potest*, Haec de Patre; De Filio vero: *Ille*, inquit, *qui visus Patriarchis Deus dicitur; Angelus, et Dominus vocatur, ut, ex his etiam cognoscatis, eum parenti universorum ministrasse*. Idem docet Theophilus Antiochenus *Lib. II. ad Autolyc. Deus, et Pater*, inquit, *universorum non potest ille quidem comprehen-*

di . . . : *sed ejus Verbum, cum sit ejus virtus, et sapientia, assumens Patris, et Domini universorum personam, veniebat in Paradisum sub persona Dei, et cum Adamo colloquebatur.* Et ne singulorum verba proferamus, idipsum tradunt Irenaeus *Lib. IV. cap.* 37., Tertullianus *cont. Prax. cap.* 16. Novatianus *de Trin. cap.* 25., Patres Concilii Antiocheni contra *Paulum Samosatenum in Epistola*, quae habetur *Tom. I. Concilior.*, Clemens Alex. Origenes, et alii. Ergo si apud eos ideo Pater est invisibilis, quia incomprehensibilis, et immensus est; Filius contra, qui visibilis est, minor Patre esse debet, et alterius naturae. Augustinus quidem in Libris de Trinitate saepe docet, eum qui Moysi, et Patriarchis apparuit, fuisse Angelum, ut etiam testatur S. Stephanus *Act. VII.*; et ex hoc Jansenius Yprensis *Lib. Prooemiali cap.* 12. ait, Augustinum *primum Patrum divinitatem Filii Dei adversus Arii machinas stabilisse.* Sed non vidit iste 1.° nec *Augustinum* id sibi arrogasse, neque negasse, in Angelo illo fuisse praesentem Deum; quia multa de se dixit, quae nonnisi Deo conveniunt, ut *Ego sum, qui sum etc.* 2.° quamvis dicamus, non Filium Dei, sed Angelum apparuisse, semper objectionem Socinianorum stare, quia cum omnes ferme Patres ante Nicaenum Concilium docuerint, eum fuisse ipsum Dei Verbum; nisi respondeas, ex hoc non sequi, eos fuisse Arianos, non solum non destrues, sed augebis difficultatem, concedendo scilicet, tot tantosque Patres Arianismo favisse. Quare.

R. *Dist. ant.* Docuerunt, Filium, et non Patrem apparuisse Patriarchis; quia Filius a Patre procedit, Pater ab alio non procedit, *conc.* Quia Filius est alterius a Patre naturae, *neg.* Cum missio in divinis nihil aliud sit, nisi processio unius personae ab alia, habens adjunctum temporalem effectum, ut suo loco dicemus, illa persona mitti potest, quae procedit. Hinc cum *apparitiones* illae fuerint temporalis effectus potentiae, sapientiae, et misericordiae Dei, conjunctus cum alicujus personae missione, quia ille, qui loquebatur, aliquando dicitur in Scripturis *Angelus*, hoc est *missus*; sequebatur, eam personam Patrem esse non posse, qui mitti nequit, quia non procedit ab alio, aliunde dici non po- te-

terat simplex Angelus; quia multa de se dicebat, quae nonnisi vero Deo conveniunt. Erat igitur juxta Patres illos alia a Patre persona. Et hoc argumento vincebant Sabellianos Trinitatem negantes, et conciliabant Scripturae loca, quae aliquando dicunt, Deum esse invisibilem, aliquando visibilem; ita ut Pater sit Deus invisibilis, Filius visibilis, non quidem in natura divina, quam habet cum Patre invisibilem, et incomprehensibilem (ut Libro superiore *cap.*9. dictum est), sed in forma visibili, quam assumsit, cum a Patre missus est: quam visibilem formam, cum numquam assumat Pater, quia numquam mittitur, ideo in sua *invisibilitate*, *incomprehensibilitate*, et *immensitate* manens, non poterat apparere Patriarchis.

Hanc esse genuinam Patrum illorum Theologiam, licet non adeo clare ante natas haereses explicatam, patet 1.° quia ex eo probant, Patrem non apparuisse Patriarchis, quia est ingenitus: cum e contrario ille, qui apparuit, dicatur aliquando *Angelus*, idest missus, quod Patri convenire non potest. Ita Justinus, Patres Antiocheni, et alii: 2.° quia Filium, quem dicunt apparuisse, non minus quam Patrem *invisibilem*, et *incomprehensibilem* esse docent in natura divina; visum tamen in forma assumta. Ita Justinus, vel quivis auctor *in Cohort. ad Graecos*, de Filio loquens, ait: *Oportebat, ut princeps Hebraeae gentis* Moyses *existentem cognosceret Deum. Unde illi ... visus est* Filius, *quantum homini fas est Deum videre, qui dixit ad eum: ego sum, qui sum.* Et Irenaeus *Lib.IV. cap.*24. ait: Verbum naturaliter quidem esse invisibile. Clemens Alex. *Lib.VII. Strom. n.*5. Filium Dei docet *esse ubique, et nusquam contineri.* Idemque tradit Origenes *Lib.IV. cont. Cels. et alibi*, Tertullianus *cont. Prax. cap.*14.: 3.° quia Patres, qui post Concilium Nicaenum maxime contra Arianos decertarunt, nihilo secius docuerunt, non Patrem, sed Filium apparuisse Patriarchis, ut Hilarius *Lib. IV. de Trin.*, Theodoretus *Lib.V. advers. haeres. cap.*1., imo ipse Athanasius *Orat. IV. contra Arian.*, et alii: quod non docuissent, si ex eo sequeretur, Filium aliam habere a Patre naturam.

*Inst.* Docent laudati Patres, Filium, cum Patriarchis apparuit, fuisse Patris *ministrum*, ut conceptis verbis

 affir-

affirmant Justinus *loc. cit.*, Irenaeus *Lib. IV. cap.* 17., Clemens Alex. *Lib. VII. Strom. n.* 25., Origenes *Lib. II. cont. Cels.*, Tertullianus *cont. Prax. cap.* 12. Ergo.

℟. *Dist. ant.* Docent, Filium fuisse ministrum Patris improprie, et latiori sensu, quatenus scilicet a Patre missus, ejus voluntatem executus est, *conc.* Proprie, *neg.* Ipse enim Justinus *Epist. ad Diognetum*, quam non esse genuinum ejus opus, nullis adhuc solidis confirmatum est argumentis, ut *Natalis Alex.* advertit; *ipse*, inquit, *omnipotens Deus Verbum inter homines locavit, non quemadmodum aliquis conjicere possit, misso hominibus ministro aliquo, aut Angelo, sed ipso Opifice et Creatore omnium, tamquam Rex mittens Filium Regem, misit tamquam Deum*: et Irenaeus *Lib. III. cap.* 8 ait, *Filium in subjectione non esse.* Atque id adeo verum est, ut Patres etiam, qui post Concilium Nicaenum Verbi divinitatem defendunt, non abnuant dicere, Filium Patri ministrasse, imo obedientem fuisse. Sic Hilarius *Lib. V. de Trin.* ait, *Filium in condendo mundo obedientem dictis Dei, Deum fuisse.* Numquid hoc proprio, et strictiori sensu accipiemus? Fatendum quidem, posteriores Patres cautius locutos hanc vocem rejecisse, ut Hieronymum *Apolog. I. cont. Rufin.*, Cyrillum Alex. *Lib. I. Comment. in Joan. cap. V.*: sed aequum non est, ut eandem loquendi proprietatem exigamus a Patribus, qui ante natam haeresim scripserunt ad contrariam haeresim, quae prius serpebat, confutandam.

*Objic.* IV. Veteres nonnulli Patres asserunt, Filium non semper extitisse: λογον, sive *Sermonem* tunc fuisse a Patre genitum, cum ad mundi creationem progressus est: ante eam creationem Verbum fuisse ipsam patris rationem, et sapientiam, ipsius Patris portionem. Sic Tertullianus *Lib. cont. Hermog. cap.* 3. contendenti *Hermogeni*, materiam esse aeternam, quia alioqui Deus non fuisset ab aeterno Dominus, deficiente subjecto, cui dominaretur, respondet, Deum non fuisse ab aeterno Dominum, sicut non fuit ab eterno Pater, nec ab aeterno Judex. En ejus verba: *Nam nec Pater potuit esse ante Filium, nec Judex ante delictum. Fuit autem tempus cum et delictum, et Filius non fuit.* Et quod magis mirum est, docet quod si materia esset ab aeterno, esset

uti-

utique Filio Dei antiquior. *Quale est*, inquit, *ut Filio Dei, Sermone unigenito, et primogenito aliquid fuerit praeter Patrem antiquius?* Tunc ergo Filium, et Sermonem dicit a Deo genitum, cum mundum condidit; *Lib. cont. Prax. cap. 7. Tunc igitur etiam ipse Sermo speciem, et ornatum suum sumit, sonum, et vocem; cum dicit Deus: Fiat lux. Haec est nativitas Sermonis, dum ex Deo procedit: conditus ab eo primum ad cogitatum in nomine Sophiae: Dominus condidit me initium viarum suarum; dehinc generatus ad effectum. Exinde eum parem sibi faciens, de quo procedendo Filius factus est:* Similia docent *Athenagoras*, *Tatianus*, et alii veteres. Ergo.

℟. *Dist. ant.* Asserunt, in Mundi creatione Filium fuisse genitum generatione externa, quae ipsi tribuit nomen *Verbi*, *Sermonis*, et juxta *Tertullianum* etiam nomen *Filii*, *conc.* Generatione interna, et aeterna, quae ipsum constituit secundam a Patre personam, quae est *Ratio*, et *Sapientia* Patris ab aeterno genita, et subsistens, *neg.* Licet enim una, eademque sit Filii persona ab aeterno genita; tamen cum nomina habeat plura, putarunt veteres, aliqua ex illis nomina varios respicere ejus effectus, qui cum non sint ab aeterno, asseruerunt, ea nomina non ei convenisse ab aeterno; sicut Deo ab aeterno existenti non convenit ab aeterno nomen creatoris, et domini. Cum ergo nomen *Sermonis* significet verbum non solum mente conceptum, sed etiam extra mentem ore prolatum; sicut nomen *Filii* significat non partum in utero conceptum, sed in lucem editum; docuerunt, *Rationem*, quae ab aeterno genita est a Patre, tunc extitisse *Verbum*, *Sermonem*, et (juxta *Tertullianum*) etiam *Filium*, cum extra Deum processit ad creationem universi. Hanc vero exteriorem prolationem vocant generationem; sicut Ecclesia Incarnationem Verbi, et Apostolus ejus resurrectionem *generationem* vocat, accomodantes ei Psalmi verba: *Filius meus es tu, Ego hodie genui te.* Duplicem ergo distinguunt generationem; alteram temporalem, ex qua secunda persona dicitur *Sermo*, *Filius etc.*; alteram aeternam, ex qua dicitur *Ratio*, et *Sapientia*: *Ante omnia*, inquit Tertullianus *Lib. cont. Prax. cap. 5.*, *Deus erat*

*erat solus . . . solus autem , quia nihil aliud extrinsecus praeter ipsum. Caeterum ne tunc quidem solus ; habebat enim secum quam habebat in se metipso, Rationem suam scilicet. Rationalis enim Deus ... quae ratio sensus ipsius est ; hanc Graeci λογον dicunt, quo vocabulo Sermonem appellamus ; ideoque jam in usu est nostrorum per simplicitatem interpretationis sermonem dicere in primordio apud Deum fuit* ( adverte Tertullianum fateri , se recedere a communi usu loquendi Christianorum ) *cum magis rationem competat antiquiorem haberi etc. ...... quia non sermonalis a principio Deus , sed rationalis ante principium.* Quae ratio non erat juxta *Tertullianum* attributum Patris absolutum ; sed altera persona subsistens ejusdem cum Patre naturae ; alioquin stulte hinc *Tertullianus* probasset contra *Praxeam* negantem plures personas, Deum ab aeterno non fuisse solum , nisi quia extra Deum nulla alia erat creatura ; nec dixisset alibi in textibus clarissimis supra recitatis, aliisque in locis , Filium esse alteram personam ejusdem substantiae cum Patre.

Imo Patres , qui post *Arium* scripserunt , non dubitarunt duplicem hanc Verbi generationem agnoscere. Sic Zeno Veronensis *Serm. III. Principium,* inquit, *fratres, Dominus noster est Christus , quem ante omnia saecula Pater adhuc in semetipso . . . , . amplectebatur. Sed excogitatarum ut ordinem instrueret rerum, ineffabilis illa virtus ... e regione cordis eructat verbum ... De Deo nascitur Deus.* Similia docent alii. Quanto magis ergo id licuit Patribus , qui ante natas haereses securius locuti sunt ?

*Inst. Tertullianus* ait, hanc exteriorem Verbi prolationem *esse nativitatem perfectam Sermonis,* ante quam Verbum erat *portio* Patris, ut ipse ait *Lib. cont. Prax. cap. 9. et alibi.* Ergo non agnoscit aliam internam ; atque aeternam Verbi generationem.

R. *Dist. ant.* Ait, hanc prolationem esse nativitatem perfectam Sermonis, quatenus *Sermo* est, *conc.* Quatenus est *Ratio, Sapientia, Mens, Deus de Deo, neg.* Rursus ante hanc prolationem Verbum ait fuisse *portionem* Patris improprie, *conc.* proprie, *neg.* Quoniam sermo verbum significat ore prolatum, idcirco inquit *Tertullianus,*

per-

perfectam generationem Verbi Dei, quatenus dicitur *Sermo*, tunc fuisse, cum ad opus externum prodiit. Cum autem ait, Verbum ante exteriorem manifestationem fuisse Patris *portionem*, imitatur Jurisconsultorum stilum ( ut saepe alias facit ) qui partum in materno utero adhuc latentem, dicunt portionem maternorum viscerum, et nondum *filium*. Caeterum isthaec improprie esse accipienda, patet ex eo quod agnoscit Tertullianus divinitatem indivisibilem esse. *Divinitas*, inquit *Lib. cont. Hermog. cap. 7. gradum non habet, utpote unica..... minor se numquam poterit esse.* Et *in cit. Lib. cont. Prax. cap.* 9. explicans quo sensu dixerit Filium Patris *portionem*: *non diversitate*, inquit, *alium a Patre Filium, sed distributione; nec divisione alium, sed distinctione; quia non sit idem Pater, et Filius.*

*Objic. V. Pierius Alexandrinus* apud *Photium Cod. CXIX.* dicit, *duas esse ουσιας et duas φυσεις Patris, et Filii. Clemens* etiam *Alex. Lib. VII. Strom. n.* 15. ait, *naturam* ( *φυσιν* ) *Filii esse soli Omnipotenti propinquissimam*, ac proinde a natura Patris distinctam, eaque minorem. *Origenes* vero *Tom. II. in Joan.* ait: *Nos autem, qui tres hypostases esse Patris, Filii, et Spiritus Sancti persuasi sumus.* Hypostasis autem eo tempore pro natura usurpabatur, ut fuse probat Petavius *Lib. IV. cap.* 2. Ergo distinguunt naturam Filii a natura Patris.

℟. *Dist. ant.* Et *Pierius*, *Clemens*, aliiq. *ουσιαν* et *φυσιν*, Origenes vero *υποστασιν* usurpant pro persona, *conc.* Pro natura, *neg.* Ita observat de *Pierio* ipse Photius *loc. cit. De Patre et Filio pie credit, nisi quod substantias ουσιας duas, totidemque naturas φυσεις esse dicit, substantiae, et naturae nomine, quantum ex iis, quae hunc locum antecedunt, et consequuntur, colligitur, pro hypostasi usus, non ita vero ut qui Ario adhaerent.* Nomina ergo *ουσια*, *φυσις*, et *υποστασις* olim promiscue usurpabantur pro natura, et persona, ita ut ex contextu possit intelligi, quo sensu iis usi sint auctores. Usque ad aetatem *Hieronymi*, nondum certa erat, et fixa earum vocum significatio, ut constat ex ejus *Epistola ad Damasum LVII.* Caeterum *Origenes υποστασιν loc. cit.* usurpat pro persona; exponens enim sen-

sententiam *Patripassianorum* ait, eos asserere Patrem, et Filium *non solum* ουσια, *sed etiam* υποστασει *esse unum*. Unde concedimus *Petavio*, υποστασιν aliquando usurpatam a veteribus pro natura; sed negamus, id semper factum, ut contra *Petavium* ostendit *Bullus Sect. II. cap. 9. n. II.*

*Objic. VI.* Patres secundae Synodi Antiochenae contra *Paulum Samosatenum* proscripserunt vocem ομουσιον *consubstantiale*, ut testantur Athanasius *Lib. de Syn. Arim. et Seleuc.*, Basilius *Epist. LII.*, Hilarius *Lib. de Syn.* Ergo non agnoverunt Filium Patri consubstantialem.

Respondet *Hilarius*, Paulum Samosatenum dixisse Filium Patri ομουσιον sensu haeretico, idest unius cum Patre personae; ideoque Patres Antiochenos eam vocem in sensu Samosateni, non in sensu catholico rejecisse. Sed salva tanto Doctori reverentia, respondemus cum *Athanasio*, et *Basilio*, qui Concilii Antiocheni sensum videntur magis perspectum habuisse; respondemus, inquam, *Paulum Samosatenum* non usum esse voce *consubstantialis*, quae etiam ipsius dogma pessumdat, ut observat Basilius *Ep. LII.*, nosque ostendemus inferius, sed calumniatum esse catholicos, eo quod distinguendo Personas Patris, et Filii facerent eas *consubstantiales* eo sensu, quo duo corpora dicuntur consubstantialia, quando eadem substantia in duas partes divisa est. Itaque licet veteres catholici Doctores, ut *Origenes*, *Dionysius Alexandrinus*, *Theognostus*, et alii dixerint Verbum Patri *consubstantiale*, ut observat *Pamphilus Martyr in Apolog. Orig.*, *Athanasius Lib. de Decret. Synodi Nic.*, et alii; tamen ne quis calumniandi locus daretur Samosateni sectatoribus, satius duxerunt Antiocheni Patres ab ea voce tunc non necessaria esse abstinendum. Sed Ariana haeresi grassante, cum nulla alia ad explicandum dogma catholicum vox suppeteret, quam Ariani in sensum haereticum non detorquerent; nec amplius periculum esset, ne *consubstantiale* acciperetur eo sensu, quo *Paulus* calumniabatur Catholicos, merito Patres Nicaeni vocem illam antiquo usui restituerunt, et consecrarunt. Caeterum de Verbi divinitate eandem fuisse fidem Patrum Antiochenorum, et Ni-

Nicaenorum, patet ex eorum Epistolis tum ad *Paulum Samosat. Tom. I. Concilior. Labbei*, tum ad *Dionysium* R. Pontif. et ad universi orbis fideles apud Athanasium *Lib. de Synod.*

## §. III.

*Verbi divinitas ex definitione Nicaenae Synodi, et sequentibus Patribus invicte demonstratur.*

*Advertendum I.* Cum *Arius* ab *Alexandro* Episcopo suo Alexandrino in Synodo centum Episcoporum damnatus esset, ex Theodoreto *Lib. I. Hist. cap.* 1. *ad Eusebium* confugit Nicomediensem Episcopum, qui, ut auctor est Sozomenus *Lib. I. cap.* 7., coacta aliquot Episcoporum Synodo, eum communioni contra canones restituit. Quapropter *Alexander* supplices literas Constantino M. dedit, ut auctoritate sua grassanti malo mederetur. Ille primum Alexandriam misit *Osium* Episcopum Cordubensem, si quo pacto res ex aequo componi posset. Sed cum haeresis magis in dies serperet, indixit Oecumenicum Concilium Nicaeae in Bythinia, accersitis ex universo orbe Episcopis (quibus etiam vehicula ex publico suppeditavit) idque assentiente *Sylvestro* R. Pontifice, qui eo misit legatos.

II. Habitum est igitur anno CCCXXV. magnum Nicaenum Concilium, cui adfuerunt Episcopi CCCXVIII. doctrina, aetate, sanctitate, et nonnulli etiam martyrio illustres, qui audientes impia *Arii* dogmata in Synodo recitata, obstructis auribus, ut refert Athanasius *Orat. I. cont. Arian.*, ea detestati sunt. Deinde formula fidei composita est, qua declaratum est, ***Filium Dei unigenitum esse ex Patre natum ante omnia saecula, Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero: genitum, non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt***; eaque formula inserta est symbolo, quod refert Athanasius *Epist. ad Solitar.*, Hilarius *Lib. de Synodis*, Socrates *Lib. I. Hist. cap.* 5.

III. Huic formulae omnes Episcopi subscripsere, utpote quae fidem exponeret omnium orbis Ecclesiarum. Socrates quidem asserit *loc. cit.* quinque Arianos Episcopos subscribere noluisse, *Eusebium* Nicomediae, *Theogni-*

*dem* Nicaeae, *Marin* Chalcedonis, *Theonam* Marmaricae, *Secundum* Ptolemaidis. Sed hos omnes, quamvis principio detrectaverint, tandem subscripsisse constat, tum ex eorum nominibus, quae leguntur in Actis, tum ex *Athanasio*, qui Concilio interfuit *Lib. de decret. Synodi Nic.* Imo Hieronymus *Dialogo cont. Luciferian.* ait, ipsum Arium subscripsisse formulae: quod tamen negat Socrates *Lib. I. Hist. cap.* 8. *et* 20., et *Athanasius*, cujus longe major hac in re existimanda est auctoritas.

IV. Regnante Constantino M. Ariani Episcopi ausi non sunt aperte Nicaenam definitionem impugnare; sed omnes vires intenderunt contra *Athanasium*, strenuissimum Arii adversarium. At sub Constantio, qui totus erat Arianorum, novas procuderunt fidei formulas, ut Nicaenam abolerent, quarum praecipuae fuerunt Antiochena, Syrmiensis, Ariminensis, Ancyrana, Seleuciensis. Sed catholica fides, licet aliquandiu vehementer oppugnata, tandem praevaluit.

V. Sociniani non negant, Nicaenum concilium, et omnes sequentes Patres docuisse Filium esse Deum, et Patri *consubstantialem*; sed asserunt, Nicaenos Patres a fide defecisse. Nonnulli etiam ex eorum fautoribus effutiunt, Nicaenum Concilium per verbum *consubstantiale* non intellexisse quod a catholicis creditur, scilicet *numericam* naturae divinae unitatem, sed tantum *specificam*; quemadmodum tres plantae ex eodem semine prognatae *consubstantiales* dici possunt. Ita *Joan. Clericus*, *Curcellaeus Dissert. I. de Vocibus Trinitatis etc.*; quodque mirum est, laudant pro hac sententia Petavium *Lib. IV. de Trin. cap.* 5. *et* 9.

## PROPOSITIO I.

*Nicaeni concilii definitio est invictissima divinitatis Verbi demonstratio.*

*Prob.* I. Ex ratione generali, qua *Lib. II.* demonstravimus, Ecclesiam sive per orbem dispersam, sive in Concilio generali congregatam falli non posse in definiendis fidei controversiis.

*Prob.* II Patres Concilii Nicaeni erant Episcopi ex universo Christiano orbe doctissimi, atque sanctissimi;

id enim testantur non solum Athanasius *Epist. ad Epictetum*, Phoebadius *Lib. cont. Arian.*, *Epiphanius*, *Socrates*, *Theodoretus*, et alii: sed et ipse *Eusebius Caesariensis*, minime Arianis suspectus auctor *Lib.III. de Vita Constant. cap. 7.* dicens: *Ex omnibus Ecclesiis, quae universam Europam, Africam, atque Asiam impleverunt, ii, qui inter Dei ministros principem locum obtinebant, simul convenere*: et cap. 9. *Porro ex his Dei ministris alii sermone Sapientiae, alii gravitate vitae, et laborum tolerantia eminebant, alii modestia, et comitate morum erant ornati; ac nonnulli quidem eorum ob provectam aetatem maximo in honore erant; nonnulli et corporis et animi juvenili vigore enitebant.* Ergo cum doctrina eminerent, ignorare non potuerunt primum hoc religionis dogma, quod vel ipsis pueris, et catechumenis ante omnia tradi debebat; nec illud, cum essent sancti, immutare voluerunt; imo nec potuissent immutare, si voluissent, quomodo enim, nisi omnes mente capti essent, hoc fuissent conati, ut in momento totius orbis fidem in praecipuo hoc articulo mutarent? Hinc manifestum est, tempore Concilii Nicaeni universam Ecclesiam credidisse ut dogma fidei, Verbum esse Deum, et Patri *consubstantiale*, idque magis ex eo confirmatur, quod Christiani omnes Concilii definitionem unanimi consensu susceperunt, quod non fecissent, si contrarium antea credidissent.

Atqui non potest signari tempus, quo haec doctrina ante Concilium Nicaenum inceperit, et invaluerit. Nam ipsi Ariani primis saeculis viciniores fatebantur, ut supra observavimus, suam doctrinam esse novam, *adeo ut illi dicant*, inquit Athanasius *Lib.de Syn. Arimin. et Seleuc.*, *nobis primo revelatum est, et a nobis Christianorum fides incipit*: quam novitatem ipsis etiam objiciunt Hilarius *Lib.I. ad Constantium Imp. n.5.*, Basilius *Lib.I. cont.Eunom.*, Gregorius Nys. *Orat.III.cont. Eunom.* imo cum *Theodosius* Imp. ipsis proposuisset, utrum vellent in publica disputatione cum Catholicis definiri controversiam ex Patrum auctoritate, hanc conditionem noluerunt accipere, ut testantur Socrates *Lib.V. cap. 10.*, et Sozomenus *Lib.VII. cap.12* Ergo licet Scriptura nihil haberet de Verbi divinitate, tamen manifestum esset, illud dogma ab Apostolis fuisse traditum. *Sol-*

## *Solvuntur Objectiones.*

*Objic. I. Liberius* Papa, cum aliquandiu fortiter Nicaenam fidem, et Athanasium defendisset, pulsus tamen Beraeam in exilium a Constantio, tandem anno CCCLVII. taedio, atque aerumnis fractus, subscripsit formulae Syrmiensi, quam Hilarius (*in fragment.*) vocat *perfidiam Arianorum*, et damnationi Athanasii: et hoc pacto revocatus est ab exilio. Ergo non putavit, Nicaenam definitionem esse adeo firmam, ut retractari non posset. Confirmatur ex Concilio Ariminensi, in quo Episcopi plusquam trecenti formulae ab Arianis compositae subscripserunt: ita ut dixerit Hieronymus *Dial. cont. Lucifer. Tunc usiae nomen abolitum est, tunc Nicaena fides conclamata est. Ingemuit totus orbis, et se Arianum esse miratus est.*

℟. *Dist. ant.* Subscripsit libere, *neg.* Vi et dolo, *subdist.* Subscripsit formulae Syrmiensi, quae sensum habebat catholicum, nec Nicaeno contrarium, licet aliis verbis expressum, *conc.* Quae sensum habebat manifeste haereticum, *Transeat. Liberius* itaque, quamdiu liber fuit, Nicaenam fidem, et Athanasium strenue defendit; ideoque in exilium pulsus est, anno CCCLV. quo in exilio adhuc fortis biennio duravit. Sed tandem taedio fractus, vi, et fraude Arianorum circumventus, anno CCCLVII. subscripsit. Qua in re male quidem se gessit; sed quamvis subscripsisset formulae evidenter haereticae, tamen ejus subscriptio, nec *definitio ex cathedra* fuit, nec ullius omnino censenda est roboris. Subscriptiones enim, quae per vim extorquentur, non subscribentium sensum exhibent, sed eorum, qui coegerunt, ut monet *Athanasius.* Etenim ab exilio redux *Liberius* Nicaenam fidem defendit, et Ariminensis Concilii Acta rescidit.

Sed observandum est, tres fidei formulas tribus annis fuisse Syrmii ab Arianis compositas. Prima anno CCCLI. contra *Photinum* Sabelliano dogmate labefactatum, quae formula ad decipiendum subdole composita, sensum habebat Catholicum, et Nicaeno consonum, licet sub aliis vocibus; ut ita paulatim Nicaena formula, et nomen con-

*consubstantiale* aboleretur. Fatebatur enim, Filium esse *Deum de Deo*; et in viginti septem *anathematismis* veram ei tribuebat aeternitatem, et divinitatem; et si quid habebat duriusculum in *anathematismo XVII.*, ex aliis verbis clarioribus catholice explicari poterat, sicut eam explicat Hilarius *Lib. de Synodis*. Altera edita est anno CCCLVII. ab *Ursacio*, *Valente*, *Germinio*, et *Potamio* Arianis, quae evidenter impia, et haeretica est, ut videre est apud Athanasium *Lib. de Synod. Arim. et Seleuc.*, et Hilarium *Lib. de Synodis*. Tertia denique anno CCCLIX., a *Basilio Ancyrano* composita, Verbum dicebat Patri *per omnia simile*, rejectis tamen vocibus *substantiae*, *et consubstantialis*. Cuinam ex his tribus subscripserit *Liberius*, aperte non constat. *Valesius* arbitratur, subscripsisse tertiae, *Blondellus* secundae, *Baronius* et alii primae.

Haec postrema sententia verisimilior est. Quod enim *Liberius* non subscripserit tertiae formulae, ut putat *Valesius*, videtur manifestum. Edita enim illa est anno CCCLIX.; at anno CCCLVII. *Liberius* formulae subscripserat. Quod vero nec secundae subscripserit, multis argumentis adstruitur, inter quae illud est praecipuum, quod *Hilarius* ait, formulam, cui subscripsit *Liberius*, editam esse a *Basilio Ancyrano*, *Theodoro Heraclaeensi*, *Sylvano Tarsensi*, aliisque, quos viginti duos enumerat. Atqui *Basilius Ancyranus* tantum abest, ut secundam illam formulam ediderit, quin illam acriter impugnavit, et in Synodo Ancyrana damnavit; *Theodorus Heraclaecnsis* jam ab anno CCCLV. mortuus erat, biennio ante editam secundam formulam: *Sylvanus* vero *Tarsensis* vir erat catholicus, et multa passus ab Arianis: imo pro Verbi divinitate contra Anomoeos in Concilio Seleuciensi coram ipso Imperatore *Constantio* pugnavit, teste Theodoreto *Lib. II. Hist. cap.* 27. E contrario *Germinius*, et *Potumius*, qui certe secundam formulam ediderunt, non recensentur ab Hilario inter auctores formulae a *Liberio* susceptae. Ergo etc.

Merito tamen *Hilarius* ait, Liberium subscripsisse *perfidiae Arianorum*, et Hieronymus *Catalog. Scrip. Eccles. cap.* 97. *et in Chron. subscripsisse haeresi*, *haereticae praevitati*; quia licet conceptis verbis Nicaenam Fidem non

non damnaverit, nec haeresi manifestae subscripserit, nihilominus damnans *Athanasium*, et novam formulam suscipiens, quae ad obliterandam Nicaenam composita erat, catholicam causam deserebat, et cum Arianis communione junctus erat.

Idem de Concilio Ariminensi respondemus. Principio quidem Nicaenam fidem fortiter asseruere Patres. Sed cum Imperator ad Ecclesias suas eos redire vetuerit, donec formulae sbscriberent, fracti taedio, fame, omnique aerumnarum genere, videntes etiam, formulam illam in sensu obvio, et literali non esse Nicaenae contrariam, ipsosque Arianos *Ursacium*, et *Valentem* anathema dicere *Ario*, et ejus sectatoribus; studio pacis se posse subscribere in sensu cathplico putarunt. Vide quae de Concilio Ariminensi diximus *Lib. II. Cap.* 9. Ex ipsis autem *Hieronymi* verbis in objectione recitatis, et ex aliis, quae praecedunt, quaeque consequuntur, manifestum est, Episcopos illos a catholica sententia non fuisse dimotos. Cum enim Ariani Episcopi post illam Catholicorum subscriptionem triumpharent, quasi Nicaena fides conclamata esset, atque abolita; tunc ingemuere catholici, et se Arianos esse mirati sunt: quae admiratio non utique locum habuisset, si illi in sensu Ariano subscripsissent. Quapropter ipse *Hieronymus* ab omni eos haeresis crimine, ac suspicione defendit, ac liberat.

## PROPOSITIO I.

***Vox ομουσιον, seu Consubstantiale, a Concilio Nicaeno adhibita est ad significandam numericam, non specificam substantiae unitatem in Patre, et Filio.***

*Prob.* I. Si Patres Nicaeni per το ομουσιον non intellexissent individuam, sive *numericam* substantiae unitatem, sed *specificam*, sicut dicimus tres homines eamdem habere naturam humanam, profecto execrationi simul, et risui sese totius Christiani orbis objecissent; adstruxissent enim tres Deos: quod non solum rationi repugnat naturali, verum etiam primo Symboli articulo, quo credimus in *unum* Deum. At hoc de viris illis sanctissimis, et doctissimis opinari absurdum est. Ergo.

*Prob.*

*Prob.* II. Patres, qui vel Concilio Nicaeno adfuerunt, vel ita Nicaeno fuerunt aetate proximi, ut cum Nicaenis Episcopis diu versati fuerint, constanter asserunt, ea ratione, eoque sensu adhibitum esse nomen ομοουσιον ut significaretur, Filium natum esse de substantia Patris, ita tamen ut substantia Patris non fuerit ullo pacto divisa. Atqui hoc intelligi nequit, nisi ομοουσιον significet *numericam* substantiae unitatem, ut patet. Ergo.

*Prob. maj.* 1.° Athanasius *Lib. de Decret. Syn. Nic. Ut enim*, inquit, *cum audimus, eum Filium, et Germen esse, non humano more, sed prout Deo convenit, intelligimus; ita quoque cum audimus, eum consubstantialem esse, nequaquam delabentes ad humanos sensus, partitiones, et divisiones Deitatis cogitamus; sed tamquam de incorporalibus agitantes UNITATEM naturae, et IDENTITATEM lucis non dividamus.* 2.° Eusebius Caesariensis in *Epistola*, quam post Nicaenum Concilium ad Caesarienses scripsit, haec habet: *Illud Patri consubstantiale esse quomodo esset intelligendum, ab eis diligenter quaerere coepimus ... Fatebantur illi, ex substantia esse idem significare, quod ex Patre esse, non tamen partem patris esse ... Quapropter huic sententiae etiam a nobis assensum est, nec vocem Consubstantiale rejecimus ...., Filium Patri consubstantialem esse ratione exquisitum est, et probatum, non more corporum debere intelligi, neque quidquam simile cum mortalibus animantibus. Nam neque divisione substantiae, neque defectione, sed nec affectione ulla, mutatione Paternae essentiae, et facultatis posse constare*: *ap. Theodoret. Lib. I. Hist. cap.* 12. Ecce aperte dicit, non eo sensu Filium Dei esse Patri consubstantialem, quo mortales animantes, ex. gr. duo homines consubstantiales dici possunt

3.° Hilarius *Lib. de Synodis*: *Non hic*, inquit, *sanctissima Religiosorum virorum Synodus nescio quam priorem, quae divisa sit, substantiam introducit, sed Filium natum de substantia Patris.*

4.° Synodus Parisiensis an. CCCLXII. apud Hilarium *in Fragment, Homousion*, inquit, *ad explicandam veram, et legitimam ex Deo Patre unigeniti Dei nativitatem sumus amplexi, detestantes secundum Sabellii blasphe-*

mias

*mias ipsam unionem, neque aliquam partem Patris esse Filium intelligentes, sed ex toto, atque perfecto, innascibili Deo totum, atque perfectum Unigenitum Deum natum, unius a nobis idcirco vel Usiae, vel Substantiae cum Deo Patre confessum . . . . . . . . . ita ut non unio Divinitatis, sed UNITAS intelligatur.*

5.° Ambrosius *Lib. III. de fide cap. 7. Recte ergo ὁμοούσιον Patri Filium dicimus, quia verbo eo et personarum distinctio, et naturae UNITAS significatur.* Idem probari potest ex Augustino *Lib. contra sermonem Arianor.*, Basilio *Epist.* 300. et aliis, apud quos ita adhibetur, atque defenditur *homousion*, ut ipsa divinitas constantissime dicatur esse una, ac simplicissima et individua *Monas*, in qua unum est ac simplicissimum rerum omnium principium, una *μοναρχία*, una *ἐνέργεια* sive operatio. Ergo.

### *Refutantur argumenta Clerici, et Curcellaei.*

*Objic.* Eo sensu vox *ὁμοούσιον* adhibita est a Patribus Nicaenis, quo sensu eam passim Graeci Scriptores adhibuerunt; non enim putandum est, eos in re gravissima vetus vocabulum novo, et eousque inaudite sensu usurpare voluisse. Atqui Graeci passim ὁμοούσιον usurparunt ad significandam *specificam* unitatem. Ait enim Aristoteles (apud Anonym. *De Celebribus Opinion. de Anima* editum cum Origenis *Philocalia*) *ὁμοούσια, δὲ ταῦτα ἄστρα, omnia astra sunt consubstantialia.* Et Agapius *ap. Photium*: *ἥλιον, καὶ σελήνην ὁμοούσια κηρύττει Θεῷ Solem, et Lunam consubstantiales Deo praedicat.* Porphyrius *Lib. de Abstin. ab esu animal. n.* 19. *εἴγε ὁμοούσιαι αἱ τῶν ζώων ψυχαὶ ἡμετέραις, siquidem animalium animae consubstantiales sunt nostris.* Et Theodoretus *Dialog. Inconfusus* citat locum Apollinaris, ubi ait: *οἱ ἄνθρωποι τοῖς ἀλόγοις ζώοις ὁμούσιοι κατὰ τὸ σῶμα τὸ ἄλογον, ἑτεροούσιοι δὲ καθὸ λογικοί, homines brutis irrationalibus consubstantiales sunt quoad corpus, diversae vero substantiae quatenus rationales sunt.* Quae omnia *specificam* substantiae unitatem significant, ut patet. Ergo.

℟. *Dist. maj.* Eodem sensu, salva tamen differentia, quam exigit infinita rei diversitas, de qua loqueban-

bantur, *conc.* Eodem sensu omnino, *neg.* In rebus creatis, de quibus Auctores in objectione recitati loquebantur, non potest esse unitas essentiae, nisi *specifica*; plures enim res creatae sicut plures habent hypostases, sic et plures naturas habeant necesse est; at in Deo non potest esse unitas essentiae, nisi *numerica*; alioquin adstruerentur tres dii, quod absurdum est, et a Patrum Nicaenorum mente longe alienum.

*Inst.* 1.° Atqui eodem omnino sensu Patres Nicaeni nomen *ὁμοούσιον* usurparunt; quo veteres Graeci. Ait enim Athanasius *Lib. de decr. Syn. Nic.* quod sicut *Isaac* filius est *Abrahae*, eique consubstantialis, sic Filius Dei est Patri consubstantialis. Imo communis est haec Veterum contra Arianos comparatio, quod, sicut *Petrus*, *Paulus*, *Joannes* tres sunt hypostases, unam autem habent naturam humanam; sic Pater, Filius, et Spiritus S. (*a*). Ergo.

℟. *Dist. ant.* Et haec comparatio quoad aliqua urgenda est, *conc.* Quoad omnia, *neg.* Notum enim est, comparationes non in omnibus valere. In hoc igitur uno urgetur a Patribus ea comparatio, quod sicut tres homines, licet distinctas habeant hypostases, non tamen naturas diversas, quia unus non est magis, aut minus homo, quam alius ita Pater, Filius, et Spiritus Sanctus ita tres sunt hypostases, ut unus non magis Deus sit, quam alius. Quod quidem in hominibus intelligi debet de unitate naturae *specifica*; at in Deo nonnisi de individua, sive *numerica* unitate potest intelligi; alioqui tres essent Dii, ut supra dictum est. Patres autem, qui ea utuntur comparatione, constanter docent, non posse dici plures Deos, licet possint dici plures homines. *In illa summa Trinitate*, inquit Augustinus *Lib. XV. de Trin. cap.* 23., *quae incomparabiliter rebus omnibus antecellit, tanta est inseparabilitas, ut cum Trinitas hominum non possit dici unus homo; in illa unus Deus et dicatur, et sit.*

*Inst.* 2. In Concilio Chalcedonensi definitum est, Jesum Christum esse *ὁμοούσιον πατρι κατα την θεοτητα, και ὁμοούσιον ἡμιν κατα την ανθρωποτητα*, consubstantia-

 *lem*

(*a*) Basilius *Lib II. contr. Eunom*, Cyrillus *in Thesauro*, *Augustinus Epist.* 170., *al.* 65. *n.* 6.

*lem Patri secundum Divinitatem, et cuiusubstantialem nobis secundum humanitatem.* Atqui *specifice* tantum est nobis consubstantialis secundum humanam naturam Ergo.

℟. *Dist. ant.* Est consubstantialis Patri, et nobis, diversa tamen ratione pro rerum diversitate, *conc.* Eadem ratione, *neg.* Responsio patet ex iis, quae supra dicta sunt.

*Inst.* 3.° Si Patres Nicaeni per το ομοουσιον unitatem *numericam* explicare voluissent, dixissent potius Filium Patri μονοουσιον, aut ταυτοουσιον quam ομοουσιον. Ergo.

℟. *Neg.ant.* Vocabula enim illa μονοουσιον, et ταυτοουσιον in sensu *Sabellii* intelligi potuissent. At ομοουσιον aeque *Sabellium*, et *Arium* confodit, ut observat *Basilius*. Qui enim dicit *Consubstantialem*, jam personas duas ostendit ( nemo enim est sibi ipsi consubstantialis ), et simul unam profitetur naturam, quae in divinis non potest esse una, nisi *numero*. *Sabelliani dicunt μονοουσιον sed non ομοουσιον*; inquit *Athanasius in exposit. Fidei*; et Epiphanius *Haeres. LXXVI. Non dicimus ταυτοουσιον, ne ista vox a nonnullis usurpata, ad Sabellianum dogma trahatur.*

### *Scholion.*

**I. Ut paucis complectamur ea, quae de Verbi divinitate hucusque ex traditione deduximus, » Divinitas Filii Dei, inquit Auctor *Elementorum Theologiae*, quae nuper ab anonymo *Congregationis Missionis Sacerdote* edita sunt Romae anno MDCCCII. *Tom. II. pag.* 134., erat ante Concilium Nicaenum ejusmodi dogma Christianae religionis, ut reponeretur inter pauca, et praecipua Doctrinae Christianae capita, quibus Catechumeni ad baptismum suscipiendum, et ad nomen suum Christianismo dandum erudiebantur, et informabantur ( *ex Luciano* ); ut traderetur in libris ad usum fidelium accommodatis ( *ex Paedagogo Clementis*, et *Pastore Hermae* ); ut exponeretur in libris aliis, aut scriptis ad religionem pertinentibus ( *passim* ); in confessionibus fidei ( *ex Gregorio Thaumaturgo* ); in religionis Christianae apologiis ( *ex Lactant. Arnob. Justin. etc.* ); ut in precibus publicis, et privatis ( *Ex Constit. Apost. Polycarp. Ignat.* )**

*Ignat.* ); ut in canticis sollemnibus, et aliis Dei glorificationibus celebraretur ( *ex Cajo*, *Clem. Alex. Plinio*, *et Polycarp.* ); ut illud martyres coram tyrannis confiterentur, proque illo tuendo morerentur ( *ex Ss. Felicit. Symphoros. Epipod. Polycarp. Ignat.* ); ut qui contra illud dicebant, aut contra dicere videbantur, male in Ecclesia audirent ( *ex Euseb. Pamph. et Dion. Alex.* ); ut qui illud aperte inficiabantur, Ecclesiasticos Auctores ad scribendum adversus se subito excitarent ( *ex Cajo Hippol. Port. etc.* ); ut deferrentur ad Episcopos, ad summum praesertim Pontificem; concilia contra ipsos cogerentur, et aut palinodiam cantare deberent, aut sedibus suis, gradibusve, ac Ecclesiae communione privarentur; et jam antequam contra eos sententia ferretur; haberentur pro haereticis ( *ex Syn. Antioch. Dionys. Alex. Origene*, *Victore Rom.* ); ut ne schismatici quidem, et alias haeretici illud violare auderent ( *ex Novatian.* ); ut tamquam Evangelica, et Apostolica traditio haberetur (*Ex Lucian. Antioch.*); ut omnes Ecclesiae monerentur per literas de judiciis contra eos, qui illud temerabant, pronunciatis (*ex Syn. Antioch.*); ut ubicumque, seu in omnibus Ecclesiae partibus, et a Scriptoribus Catholicis cujusvis regionis doceretur ( *passim* ); ut illius persuasio, et professio ad Apostolos usque retrotrahatur ( *ex Ignat. Polyc. Clem. Rom. Herma*, *Barnaba* ). In illud igitur tota retro, et ultima remotissimaque antiquitas consensit. «

II. Scripserunt de hoc argumento fusius inter veteres quidem *Athanasius*, *Basilius*, *Nazianzenus*, *Hilarius*, *Augustinus*, *Fulgentius*, *Vigilius Tapsensis*: inter recentiores ex heterodoxis Georgius Bullus in *Defensione fidei Nicaenae*, Josue Placeus *De praeexistentia Verbi*, Maresius in *Hydra Socinianismi expugnata*, Hornebeckius *in Socinianismo confutato*; e nostris Nicolaus le Nourry *in Apparatu ad Bib. PP.*, Bossuet *contra Jurium*, Thomassinus, Witassius, Prudentius Maranus, Natalis Alexander, Petavius, qui tamen in iis, quae de Patribus Antenicaenis habet, caute legendus est, et alii.

III. Nos quoniam pro instituti brevitate satis, ut opinor, de Verbi divinitate diximus, restat, ut et de di-

divinitate Spiritus S., sicut antea sumus polliciti, more, atque instituto nostro breviter, ac dilucide disseramus.

## C A P. VI.

### *De Divinitate Spiritus Sancti.*

*Adv.* SPiritum Sanctum esse Deum, ideoque Patri, Filioque consubstantialem, definitum est contra Macedonianos in Concilio Constantinopolitano I. anno CCCLXXXI., in quo sic est declaratum: *Credimus in Spiritum Sanctum Dominum, et vivificantem, qui ex Patre procedit, qui cum Patre, et Filio simul adoratur, et conglorificatur.* Et in Epistola Synodica ad *Damasum* R. Pontificem docet, Spiritum Sanctum esse Patri, et Filio *consubstantialem*, et *coaeternum*. Eam autem definitionem *Damasus* in Concilio Romano confirmavit. Non negant igitur adversarii, exeunte quarto saeculo hanc fuisse totius Ecclesiae fidem; quae hucusque servatur; sed contendunt, eam Scriptura, et Traditione Patrum quatuor priorum saeculorum non fulciri. Satis igitur erit Scripturas, et eorum saeculorum Patres producere, idque ex abundanti; sufficeret enim sola Ecclesiae definitio, ut in Tractatu *de Locis Lib. II dictum est.*

### P R O P O S I T I O

*Spiritus Sanctus est verus Deus; ideoque Patri, et Filio consubstantialis. Est dogma Fidei.*

Praeter argumenta, quae supra *cap.* 3. explicata sunt ad ostendendam trium simul personarum divinitatem ....

*Prob. I. ex Scriptura.* Ille enim verus Deus est, cui Scriptura constanter Dei nomen, divinasque proprietates, attributa, et operationes attribuit; alioquin ipsa nos Scriptura in errorem induceret. Atqui Scriptura haec constanter Spiritui Sancto tribuit.

1.° Tribuit illi Dei nomen; qui enim locutus est per Prophetas, vocatur, et est Deus ex Apostolo *Heb. I. multifariam, multisque modis olim Deus loquens Patribus in Prophetis.* Sed qui locutus est per Prophetas, est ipse

ipse Spiritus Sanctus; ait enim Petrus *II. cap. I.* 21. *Spiritu Sancto inspirati, locuti sunt sancti Dei homines*; et *Act. I.* 16. *Oportet impleri Scripturam, quam praedixit Spiritus Sanctus per os David de Juda.* Et Paulus *Act. XXVIII.* 26. ea verba, quae Isaias *cap. VI.* 9. a Deo exercituum (*Jehova*) dicta refert: *audite audientes, et nolite intelligere*, affirmat a Spiritu Sancto esse dicta: *bene Spiritus Sanctus locutus est per Isaiam Prophetam ad Patres nostros dicens; aure audietis; et non intelligetis.* Ergo etc. Praeterea *Act. V.* 3. ait Petrus: *Anania, cur tentavit Satanas cor tuum, mentiri te Spiritui Sancto ..... non es mentitus hominibus, sed Deo.* Et Apostolus *I. Cor. XII.* 6. *et* 11. *Divisiones operationum sunt, idem vero Deus, qui operatur omnia in omnibus ..... haec autem omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens singulis prout vult*; et cum dixisset *cap. III.* 16. *nescitis quia templum Dei estis ... ? cap. VI.* 19. ait: *nescitis quoniam membra vestra templum sunt Spiritus Sancti?* Ergo.

2.° Tribuit etiam attributa divina. Etenim omnipotentia, immensitas, et infinita scientia ita sunt propria Dei attributa; ut creaturae convenire non possint; ea autem Spiritui Sancto tribuit Scriptura. Scientiam quidem infinitam; nam ait Apostolus *I. Cor. II.* 10. *Spiritus omnia scrutatur, etiam profunda Dei.* Et Christus *Joan. XVI.* 13. *Cum venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.* Immensitatem vero; nam *Sap. I.* 7. *Spiritus Domini replevit orbem terrarum*; et *Psal. CXXXVIII. Quo ibo a Spiritu tuo? et quo a facie tua fugiam? etc.* Denique omnipotentiam, ut constat ex operationibus, quae potentiam requirunt infinitam; de quibus mox dicemus. Ergo.

3.° Divinas etiam operationes Scriptura Spiritui Sancto tribuit, qualia sunt creatio, justificatio, charitatis diffusio, miracula. 1.° Creationem, *Psalm. CIII. Emittes spiritum tuum, et creabuntur*: et *Jo. XXXIII.* 4. *Spiritus Dei fecit me.* 2.° Justificationem. *I. Cor. VI.* 11. *Sed abluti estis, sed santificati estis, sed justificati estis in nomine Domini nostri Jesu Christi, et in Spiritu Dei nostri.* 3.° Diffusionem charitatis *Rom. V.* 5. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum*

San-

*Sanctum, qui datus est nobis.* 4.° Miracula *Matth. XII.* 28. ait Christus: *si in Spiritu Dei ejicio daemonia.* Et Apostolus *I. Cor. XII.* 8. *Alii quidem per Spiritum datur sermo sapientiae: alii autem sermo scientiae secundum eumdem Spiritum: alteri fides in eodem Spiritu: alii gratia sanitatum in uno Spiritu: alii operatio virtutum: alii prophetia, alii discretio spirituum, alii genera linguarum, alii interpretatio sermonum. Haec autem omnia operatur unus, atque idem Spiritus.* Ergo.

*Prob.* II. *Ex Traditione* priorum quatuor saeculorum, cujus paucos, compendii gratia, testes proferemus. 1.° Justinus *Apolog.* II. refellens calumniam Gentilium, docet, Christianos non esse atheos; quia, licet non colant Gentilium numina, colunt tamen, et adorant Patrem, Filium, et Spiritum Sanctum. *Verum hunc ipsum* (Patrem); *et qui ab eo venit Filium, et Spiritum Sanctum colimus, et adoramus.*

2.° Athenagoras *Legat. pro Christian. Quis non miretur, cum audiat: nos, qui Deum Patrem praedicamus, et Deum Filium, et Spiritum Sanctum, eorum in unitate virtutem, et in ordine distinctionem explicantes, atheos vocari?* Ambo haec Justini, et Athenagorae testimonia licet supra retulerimus, placuit tamen repetere, cum maximi sint ponderis.

3.° Irenaeus *Lib. V. cap.* 12. ait, afflatum, quo Adam animatus est, differre a Spiritu Sancto; eo quod afflatus ille sit creatus in tempore; at Spiritus Sanctus creator, et sempiternus; *Aliud est afflatus vitae, qui et animalem efficit hominem; aliud Spiritus vivificans, qui et spiritualem constituit eum ... Aliud est quod factum est ab eo, qui fecit. Afflatus igitur temporalis; Spiritus autem sempiternus.*

4.° Clemens Alex. *Lib. I. Paedagogi cap.* 6. *Unus quidem est universorum Pater, unus est etiam Verbum universorum, et Spiritus Sanctus unus, qui et ipse est ubique.*

5.° Tertullianus *Lib. cont. Prax. cap.* 13. *Duos quidem definimus, Patrem, et Filium; etiam tres cum Spiritu Sancto .... Duos tamen Deos numquam ex ore nostro proferimus; non quasi non et Pater Deus, et Filius Deus, et Spiritus Sanctus Deus, et Deus unus-*

*quis-*

*quisque*. Idem alii docent (*a*). Ergo constabat traditio de Divinitate Spiritus Sancti usque ad Concilium Constantinopolitanum I., ex quo huc usque eadem fides intemerata permansit.

## *Solvuntur objecta.*

*Objic.* I. Qui gemit, postulat, contristatur, mittitur, non est Deus. Atqui Spiritus Sanctus gemit, et postulat, et contristatur, et mittitur. Ait enim Apostolus *Rom. VIII*. 26. *Ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.* Et *Ephes. IV.* 30. *Nolite contristare Spiritum Sanctum.* Et Joan. XIV. 26. *Paraclitus autem Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo.* Ergo.

℟. *Dist. maj.* Qui gemit, postulat, et contristatur proprie, et mittitur cum imperio, tamquam subditus, *conc.* Qui gemit, postulat, et contristatur per metaphoram, et mittitur tamquam aequalis ab eo, a quo procedit, *neg.* Atqui Spiritus Sanctus non proprie, sed per metaphoram gemit, et postulat; quia scilicet nobis gemendi, et postulandi praestat affectum; quia gemere, et postulare nos facit. *Dictum est*, inquit Augustinus *Epist. CV.*, *interpellat pro Sanctis*; *quia interpellare sanctos facit*; *sicut dictum est*: *tentat vos Dominus Deus noster, ut sciat an diligatis eum*, *hoc est ut scire vos faciat.* Et idem Apostolus *Galat. IV.* 6. ait; *Misit Deus Spiritum Filii sui in corda vestra*, *clamantem*: *Abba*, *Pater*: hoc est facientem clamare. Dicitur etiam per metaphoram contristari, sicut ipse Deus dicit *Gen. IV.* 7 *poenitet me fecisse hominem*; quia enim homines contristati rece-dunt

(a) Cyprianus *Lib. de unit. Eccl. cap.* 4. *et Epist. ad Jubajanum.* Dionysius Romanus *in Epistola contra Sabellianos apud Athanasium de decretis Syn. Nic.* Gregorius Thaumaturgus *in confessione fidei apud Gregor. Nyssen. in ejus Vita*, Athanasius *Epist. ad Serapionem*. Basilius, et Ambrosius *Lib. de Spiritu Sancto.* Gregorius Naz. *Orat. XXXVII.*, Patres Concilii Alexandrini *apud Socratem Lib. III. cap.* 7.

dunt ab amicis, a quibus laesi sunt; ideo cum Spiritus Sanctus recedit ab homine propter peccatum, contristari dicitur. Missio autem in divinis subjectionem non arguit, sed processionem, ut suo loco dicemus.

*Inst.* 1.° Non est confugiendum ad metaphoram, ubi sensus ad literam planus est, et apertus. Ergo.

℟. *Dist. ant.* Si sensus ad literam contra clarissima Scripturae testimonia, et contra perpetuam Ecclesiae traditionem non pugnet, *conc.* Si pugnet, ut in hac causa accidit, *neg.*

*Inst.* 2.° Si Spiritus Sanctus ideo diceretur postulare, quia postulandi affectum inspirat, etiam Pater postulare diceretur; quia et ipse hunc inspirat affectum. Atqui falsum *consequens.* Ergo et *antecedens.*

℟. *Neg. seq. maj.* Quia licet opera *ad extra*, qualis est haec orationis inspiratio, sint tribus personis communia; per *appropriationem* tamen illi personae tribuuntur tum a Scriptura, tum a Patribus, cujus personae proprium characterem, et *idioma* exprimunt. Sic quia Pater est fons, et origo totius Divinitatis, ei tribuuntur opera omnipotentiae: quia Filius est Verbum Patris, ei attribuuntur opera, in quibus sapientia elucet; et quia Spiritus Sanctus per amorem Patris, et Filii procedit, ei tribuuntur ea opera, quae ad sanctificationem nostram pertinent, qualis est orationis affectus.

*Objic.* II. Qui non loquitur a semetipso, Deus non est. Sed Spiritus Sanctus non loquitur a semetipso; Christus enim *Joan. XVI.* 13. de Spiritu Sancto ait: *Non loquetur a semetipso: sed quaecumque audiet loquetur.* Ergo.

℟. *Dist. maj.* Qui non loquitur a semetipso, quia ab alio pendet, tamquam a causa, *conc.* Quia ab alio procedit, tamquam a principio, *neg.* Audire igitur nihil aliud est, nisi scientiam ab alio accipere: et quia in Deo scientia, et essentia idem sunt, ideo Spiritus Sanctus ab eo accipit scientiam, sive ab eo audit, a quo habet essentiam, seu a quo procedit: eademque ratione dicitur non loqui a semetipso, quia ab alio habet essentiam, et quae ab essentia divelli nequeunt, scientiam, et operationem. Unde Augustinus *Tract. XCIX. in Joan. Non loquetur*, inquit, *a semetipso; quia non est*

*est a semetipso*: ( quo sensu Dominus dixit: *mea doctrina non est mea, sed ejus, qui misit me*). *Sed quaecumque audiet loquetur: ab illo audiet, a quo procedit. Audire illi scire est, scire vero esse ... Quia ergo non est a semetipso, sed ab illo, a quo procedit, a quo illi est essentia, ab illo scientia; ab illo igitur audientia, quae nihil est aliud, quam scientia.*

*Inst.* Christus verbo utitur futuri temporis, *audiet*, *loquetur*: ergo non intelligendus est de scientia, quam habeat Spiritus ab aeterno; sed de futura revelatione, quae illi fiet; ac proinde Deus non est.

℟. *Neg. cons.* Quia cum aeternitas omnia tempora complectatur, de eo quod aeternum est, cujuscumque temporis verbum ponatur, rectissime dicitur: unde pergit Augustinus *loc. cit. Nec moveat quod verbum futuri temporis positum est* ( *audiet* ) ... *illa quippe audientia sempiterna est, quia sempiterna scientia: in eo autem quod sempiternum est ... cujuslibet temporis verbum ponatur, sive praeteriti, sive praesentis; sive futuri, non mendaciter ponitur. Quamvis enim natura illa immutabilis, et ineffabilis non recipiat fuit, et erit, sed tantum est .... tamen propter mutabilitatem temporum, in quibus versatur nostra mortalitas, et nostra mutabilitas, non mendaciter dicimus et fuit, et erit, et est; fuit, quia numquam defuit; erit, quia numquam deerit; est, quia semper est .... Semper igitur audit Spiritus Sanctus; quia semper scit: ergo et scivit, et scit, et sciet, ac per hoc audivit, et audit, et audiet.* Usus autem est Christus verbo futuri temporis *audiet*, propter effectum futurum: *annuntiabit vobis.*

*Objic.* III. Omnia facta sunt per Verbum *Joan. I.* Ergo ipse Spiritus Sanctus factus est.

℟. *Dist. ant.* Omnia facta sunt per Verbum, excludendo reliquas personas, *neg.* Non excludendo illas, *conc.* Sicut enim omnia dicuntur facta per Verbum, ita et per Spiritum Sanctum: *Verbo Domini caeli firmati sunt: et spiritu oris ejus omnis virtus eorum*: *Psalm. XXXII.* Omnia igitur, quae creata sunt, per Verbum creata sunt; sed quia creatio est opus Dei *ad extra*, tribus personis communis est, licet una commemoretur.

*Objic-*

*Objic.* IV. Neque Concilium Nicaenum, neque Constantinopolitanum aperte vocat Spiritum Sanctum Deum: *Basilius* agens de Spiritu Sancto a voce *Deus* consulto abstinuit: imo *Hom. XVII.* ait: *Neque ipse Deus est, sed Dei spiritus, et apud Deum, qui et a Deo mittitur, et per Filium nobis suppeditatur.* Pariter se gessit Hilarius *in Libris XII. de Trinitate.* Ergo.

℟. *Dist. ant.* Quia ad eorum scopum necesse non erat, *conc.* Quia illum non putabant Deum, *neg.* In Concilio Nicaeno non de divinitate Spiritus Sancti, sed de divinitate Filii agebatur. In Concilio Constantinopolitano adhibita sunt ejusdem significationis verba ad explicandam Spiritus Sancti divinitatem: imo *in Epistola Synodica ad Damasum* dictus est Spiritus S. *Deus, Patri, et Filio Consubstantialis. Basilius* in omnibus suis operibus divinitatem Spiritus Sancti strenue asserit; docet enim, unam esse ejus cum Patre, et Filio substantiam: eum inter creaturas non esse numerandum: nos baptizari in nomine Spiritus Sancti aeque ac in nomine Patris, et Filii; sed prudentis oeconomiae causa ab illa voce *Deus* aliquando abstinuit. Habebat enim contra se opposita hinc Arianorum, inde Macedonianorum agmina, quae si simul aggrederetur, metus erat, ne illi, conjunctis inter se viribus, Catholicos omnes Episcopos e suis sedibus ingenti Ecclesiae damno deturbarent. Cedendum igitur fuit aliquantisper tempori: quia etsi numquam liceat contra veritatem loqui, expedit tamen aliquando tacere veritatem, cum majus damnum, et scandalum prudenter timetur; nec est aliunde necessarium eam palam proferre. Eam autem oeconomiam non semper putavit S. Doctor necessariam; nam *Homil. CXL.* aperte inquit: *Confitendum est, Deum esse Patrem, Deum Filium, Deum Spiritum Sanctum.* Ita *Gregorius Naz. Orat. XX. Basilium* defendit. Quod autem ait *Basilius Hom. XVII. nec ipse est Deus, etc.* licet eam ob causam in suspicionem venerit haereseos, ab ea tamen ipse se purgat *Epist. LXXXIX.*, quia nomine *Dei* more veterum, ut supra observavimus, intellexit Patrem, qui peculiari quadam ratione dicitur *Deus*, quia ab alio non procedit. *Hilarius* praecipue contra Arianos de divinitate Verbi pugnat; ideo.

ideoque mirum non esset, si de divinitate Spiritus S. siluisset. Caeterum *Lib. XII.* ait, Spiritum S. non esse creaturam; imo in *Matth. cap.* 33. loquens de forma baptismi: *baptizamur*, inquit, *in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti; ut quorum una est divinitas, sit una largitio, nomenque Trinitatis unus Deus.* Vide haec fusius apud Natalem Alex. *in Hist. Eccl. Saec. IV. Dissert. XLIII.* Iis igitur expeditis, quae ad trium personarum divinitatem pertinebant, et ex quibus satis, ut arbitramur, tum Calvinistae *Jurii* impudentia retunditur, qui usque ad Nicaenum, imo et Costant. Concilium fidem Trinitatis informem, atque imperfectam fuisse deblaterat, de quo *Bossuetus* docte, atque erudite disputat; tum etiam *Petavii, Huetii,* aliorumque imprudentia; jam de ipsarum est personarum processionibus disputandum.

## C A P. VII.

### *De Processionibus divinis.*

*Adv.* PRocessio apud Latinos, ut προβολη apud Graecos Patres, in divinis est emanatio unius personae ab alia. Expendendum autem hic est 1.° utrum agnoscendae sint hujusmodi processiones: 2.° quot sint: 3.° an Spiritus Sanctus a Patre, Filioque procedat, recteque adjecta sit symbolo Constantinopolitano haec ipsa particula *Filioque*: 4.° quodnam sit divinarum processionum principium.

### §. I.

### *Utrum agnoscendae sint processiones in divinis, et quot illae sint.*

### PROPOSITIO.

*Agnoscendae sunt in Deo processiones: eaeque duae sunt, nempe Verbi, et Spiritus S., ex quibus Verbi processio dicitur generatio: processio vero Spiritus S. simpliciter processio dicitur. Est dogma Fidei.*

*Prob.* 1a. *pars.* Scripturae aperte testantur, esse in Deo processiones; Filius enim de seipso ait *Joan. VIII.*

*VIII.* 43. *Ego ex Deo processi, et veni*: et *Prov. VIII.* 22. *Dominus possedit me* ( i. e. genuit ) *in initio viarum suarum.* De Spiritu Sancto vero *Joan. XV.* 26. *Cum autem venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis a Patre, spiritum veritatis, qui a Patre procedit.*

*Prob.* 2a. *pars.* Tot sunt processiones, quot personae procedentes. Atqui hae duae sunt, Filius, et Spiritus Sanctus; neque enim umquam Scriptura Patrem, qui fons totius Divinitatis est, ab alio ait procedere. Ergo.

*Prob.* 3a. *pars.* De Verbo dicitur *Psal. II. Filius meus es tu: Ego hodie genui te*; et *Psal. CIX. Ex utero ante luciferum genui te*; et *Isaiae LIII.* 8. *Generationem ejus quis enarrabit?* Sed qui dicitur Filius, et genitus, procedit per veram a Patre generationem. Ergo. Quod autem processio Spiritus Sancti generatio non sit, patet ex eo quod Filius diciur in Scripturis *Unigenitus. Joan. I.* 18. *Unigenitus Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit.* Item. *Joan. III.* 16. *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum Unigenitum daret*: et *I. Jo. IV.* 9. *Filium suum Unigenitum misit Deus in mundum.* At non esset Unigenitus, si etiam Spiritus Sanctus per veram generationem procederet. Unde auctor symboli, quod *Athanasio* tribuitur, ait: *Spiritus Sanctus a Patre, et Filio non factus, nec creatus, nec genitus, sed procedens*: quippe ob nominum inopiam generalis vox *processio* ad significandam Spiritus Sancti emanationem usurpata est. Ergo etc.

## *Solvuntur objecta.*

*Objic.* I. *cont.* 1m. *part.* Si essent in divinis processiones, una persona esset prior altera. Atqui hoc repugnat trium personarum divinitati. Ergo.

℟. *Dist. maj.* Esset prior altera origine, *conc.* Tempore, aut dignitate, *neg.* Per processionem enim tota divina natura, quae iudividua est, communicatur ab aeterno cum persona procedente; ac proinde persona procedens eandem accipit aeternitatem, dignitatem, et perfectionem, quae est in persona, a qua procedit; ac proinde persona procedens non transit *a non esse ad esse*; nec a producente pendet, quasi a causa.

*Inst.*

*Inst.* Melius, et beatius est dare, quam accipere. Ergo saltem haec praerogativa non est in persona procedente.

℞. *Dist. ant.* Beatius est dare, quam accipere in creatis, *conc.* In divinis, *neg.* Ratio autem in eo dispar est, quod in creatis, qui dat, non suam ipsius dat naturam; sed vel aliquam rem suam, vel ad summum naturam alteram suae similem, sicut cum Pater generat filium, ac proinde semper remanet in eo, qui dat, praerogativa quaedam, quae in accipiente non est. At in divinis eadem numero natura divina cum persona procedente communicatur; ideoque non potest in dante remanere aliquid, quod non sit accipienti communicatum. Hinc non est melius in divinis habere *Paternitatem*, quam *Filiationem*: nec melius est habere *Filiationem* cum *spiratione activa*, quam *spirationem passivam*, de quibus infra erit sermo.

*Inst.* 2.° Posita processione Filii, et Spiritus Sancti, solus Pater esset ens a se. Ergo Filius, et Spiritus Sanctus non essent Deus.

℞. *Dist. ant.* Solus Pater esset ens a se, ita ut excludat omne principium, *conc.* Ut excludat causam, *neg.* Cum enim Pater cum Filio communicet eandem, quam habet, naturam divinam, profecto sicut natura Patris est ens a se excludens causam, a qua pendeat, ita et natura Filii. Solus autem Pater principio caret, cum sit fons, et origo totius divinitatis; sed hoc non efficit, ut ejus natura sit major, aut melior natura Filii, cum una eademque sit.

*Objic.* II. *cont.* 2m. *part.* Nulla reddi ratio potest, cur duae, et non plures sint in Deo processiones; si enim Pater generat Filium, cur non item ipse Filius? cur non et Spiritus Sanctus? habent enim et ipsi intellectum, voluntatem, et proprietates alias, quas habet Pater: et ita in infinitum.

℞. *Dist. ant.* Nulla potest reddi ratio *extrinseca*, *neg.* *Intrinseca*, *subdist.* Nulla ratio demonstrans, *conc.* Suadens, imo et persuadens ei, qui mentem habet fide imbutam, *transeat.* Potest igitur reddi *extrinseca* ratio, cur non plures sint, quam duae processiones, scilicet certissima Dei revelantis auctoritas. Qua posita, quamvis nullam possemus intelligere, ne probabilem quidem

dem rei revelatae rationem, non esset propterea neganedum quod a Deo revelatum est. Caeterum afferre rationes possumus, quae licet reluctantem haereticum omnino revincere non valeant, fidelibus tamen persuadent. Sicut enim in mente nostra, quae est ad imaginem Dei effecta, duae sunt actiones, quae terminum habent intra mentem; una quidem intellectus, per quam producitur verbum, altera voluntatis, per quam producitur amor; ita in Deo unus atque idem actus, qui virtute multiplex est, intellectui et voluntati aequivalens, verbum et amorem producit: hoc tamen discrimine, quod in mente nostra verbum, et amor accidentia sunt; at in Deo, in quo nihil est accidens, sunt personae subsistentes. Hae autem subsistentes personae aliud Verbum, et alium Spiritum non producunt, tum quia earum intellectus, et voluntas non est actus ab intellectu, et voluntate Patris distinctus, tum quia si producerent, non essent ipsae perfectissimae; quia esset aliud Verbum, atque alius Spiritus, qui alias perfectiones haberent, saltem numero distinctas, quibus ipsae carerent.

*Objic.* III. Processio infinita omnem aliam processionem excludit. Atqui processio Filii infinita est. Ergo aliam processionem excludit, ac proinde unica in Deo potest esse processio.

℟. *Dist. maj.* Processio infinita in omni genere, *conc.* In uno genere, *subdist.* Excludit omnem aliam processionem in illo genere, *conc.* In alio genere, *neg.* Itaque processio Verbi, quae est infinita in genere intellectionis, excludit omnem aliam in illo genere processionem; ideoque nonnisi unum potest esse Verbum. Sed non excludit aliam processionem in alio genere, puta amoris.

*Inst.* Processio Filii est in omni genere perfectionis infinita; quia est processio personae divinae, quae debet esse in omni genere infinita. Ergo.

℟. *Dist. ant.* Est infinita in omni genere perfectionis *simpliciter simplicis*, quam melius est habere, quam non habere, *conc.* In omni genere perfectionis *simplicis*, *neg.* *Paternitas* autem, *Filiatio*, *Spiratio passiva*, ut infra dicetur, sunt perfectiones simplices; nec est melius unam habere, quam aliam.

*Objic.*

*Objic. IV. cont.* 3m. *part.* Quare processio Verbi dici debet *generatio*, non item processio Spiritus Sancti?

℟. Si ab haeretico fiat haec interrogatio, respondendum est, nos id nescire; quia, utpote ad salutem minime necessarium, non est a Deo revelatum; nec propterea negandum quod revelatum est, quia ratio ejus revelata non est. Hinc Augustinus *Lib. II. cont. Maximin. cap.* 14. *Distinguere*, inquit, *inter illam generationem, et hanc processionem, nescio, non valeo, non sufficio.* Et *Tract. XCIX. in Joan. n.* 4. *Quid intersit inter procedere, et nasci, et longum est quaerendo disserere, et temerarium, cum disserueris, definire.* Similia docent alii Patres, quos vide apud Tournely *Tom. II. Quaest.* 2. *art.* 4., Petavium, et alios.

Si vero interrogatio fiat a catholico, respondendum est, Patres et Theologos varias afferre probabiles hujus discriminis rationes, ex quibus nos verisimiliorem amplectemur, cum agemus de divinarum processionum *principio*.

## *Corollaria.*

I. Hinc sequitur, quatuor esse in Deo ***relationes reales***, eaeque sunt *Paternitas*, *Filiatio*, *Spiratio **activa***, et *spiratio passiva*. Ad relationem enim ***realem*** constituendam tria requiruntur, atque sufficiunt; scilicet ***subjectum***, terminus reipsa distinctus, et fundamentum relationis. Atqui posita processione duarum personarum, nempe Filii, et Spiritus Sancti, haec tria reperiuntur in quatuor relationibus, quas paulo ante diximus. Pater enim, ex. gr. est subjectum, Filius est terminus; processio Filii a Patre est fundamentum, seu ratio, qua Pater refertur ad Filium. Ergo. Idem de aliis relationibus dicas.

II. Sequitur etiam, quinque esse in Deo ***notiones***, sive ***ἰδιώματα*** *idiomata*. Notio enim est character exprimens aliquam personae dignitatem, propter quam una ab alia distinguitur. Atqui posita processione Filii, et Spiritus Sancti, quinque sunt hujusmodi characteres, nempe *Innascibilitas*, *Paternitas*, *Filiatio*, *Spiratio activa*, et *Spiratio passiva*. Ergo etc. Et ***innascibilitas*** quidem, licet nomine negativo exprimatur, significat tamen praecipue rationem primi principii, quae est in Patre.

§.II.

## §. II.

### *Utrum Spiritus Sanctus procedat a Patre, et Filio.*

*Adv.* I. Filium a solo Patre procedere, et gigni, nemo negat, qui Trinitatem agnoscit. Spiritum Sanctum a Patre procedere, aperte docent Scripturae *Joan. XV.* 26., et definitum est in Concilio Constantinopolitano contra Eunomianos, et Macedonianos. Sed gravissima mota lis est a Graecis contra Romanam Ecclesiam, quam haereseos accusant, eo quod doceat, Spiritum Sanctum procedere a Patre simul, et Filio.

II. Primus omnium Theodoretus scribens contra *Anathematismum* IX. S. Cyrilli, ait esse *impium*, *et blasphemum asserere*; *Spiritum Sanctum ex Filio, et per Filium exstantiam habere*: ex quo Bellarminus *Lib. II. de Christo cap.* 21., Petavius *Lib. VII. de Trinitate cap.* 1., aliique viri docti censent, Theodoretum primum fuisse erroris Graecorum architectum; licet nonnulli eum benigne interpretentur, ut infra videbimus.

III. Saeculo VII. jam Graeci cum Latinis contendere incipiebant de processione Spiritus Sancti, ut patet ex Epistola *Maximi* martyris *ad Marinum*, in qua Latinos defendit. At saeculo VIII. ea disputatio acrior esse coepit, ut constat ex variis Conciliis Italiae, Galliae, et Germaniae, in quibus contra Graecorum criminationes processio Spiritus Sancti ex Patre, et Filio defenditur.

IV. Cum *Photius* saeculo IX. Constantinopolitanae Sedis invasor, a qua *Ignatium* adhuc viventem ejecerat, a *Nicolao* I. damnatus esset, vesano furore in Romanam Ecclesiam debacchatus, praeter alia, quae ei impudenter objecit, in eo etiam Latinos accusavit, quod docentes processionem Spiritus Sancti a Patre, et Filio, a recta fide defecissent.

V. Post Photii mortem, Graeci pro innata levitate fluctuantes, nunc cum Latinis redibant in gratiam, nunc ab iis deficiebant, donec saeculo XI., agente *Michaele Caerulario* Patriarcha Constant., confirmatum est Schisma Graecorum, a quibus haereseos nota injusta est Ecclesiae Ro-

Romanae, eo quod Spiritum Sanctum ex Patre, et Filio procedere doceat, et particulam ipsam *Filioque* symbolo Constantinopolitano inseruerit.

VI. Ad conciliandam pacem, et controversiam finiendam, praeter Provinciales sinodos Gentialiacensem, Forojuliensem, Aquisgranensem, Barensem, in quo *S. Anselmus* egregie pro catholica fide certavit, tria Concilia oecumenica habita sunt, Lateranense IV. sub Innoc. III. anno MCCXV. Lugdunense II. sub Gregorio X. anno MCCLXXIV., et Florentinum sub Eugenio IV. anno MCCCCXXXIX. In his Conciliis Graeci ter cum Latinis renovarunt pacem, ac symbolum cum additione particulae *Filioque* decantarunt: ast ad Ecclesias suas reversi, in pristinum errorem, et schisma tersunt relapsi. In Concilio praesertim Florentino, omnibus Graecis Episcopis subscribentibus, unus obstitit *Marcus Ephesinus*, qui reversus in patriam Graecos complures pervertit, et a pace tot laboribus conciliata revocavit: in cujus sceleris, ut creditur, poenam paulo post in ipso Pentecostes die, Constantinopoli a Turcis capta, Graecorum Imperium extinctum est; eosq. Deus in errore, et schismate, quod adhuc perdurat, dereliquit. Non defuerunt tamen etiam ante Concilium Florentinum inter Graecos viri docti, qui catholicum dogma cum Latinis defenderent, inter quos celeberrimi *Joannes Beccus*, et *Nicephorus Blemmydes*: nec desunt modo complures Graeci Romanae Ecclesiae et fide, et communione conjuncti. Vide Le Quien in *Panoplia adv. Graec.* Allatium *in Graecia Orth.* etc.

## PROPOSITIO

*Spiritus Sanctus a Patre, et Filio procedit.*
*Est dogma fidei.*

*Prob.* I. *Ex Scripturis*: 1.° Ille procedit a Patre, et Filio, qui aeque dicitur *Spiritus Patris*, et *Spiritus Filii*; non enim aliam ob causam dici potest Spiritus Patris, quam propter processionem a Patre; ac proinde si dicitur etiam Spiritus Filii, procedit etiam a Filio. Atqui Spiritus Sanctus aeque dicitur in Scripturis Spiritus Pa-

Patris, et Spiritus Filii. *Matth. X. 20, Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis. Ad Gal. IV. 6. misit Deus Spiritum Filii sui in corda vestra.* Ergo etc.

2.° Ille procedit a Patre, et Filio qui aeque mittitur a Patre, et Filio, *Missio enim ipsa processio est*, inquit Gregorius M. *Hom. XXVI. in Evang.*; et consentiunt Graeci Patres. Atqui Spiritus Sanctus aeque mittitur a Patre, et Filio. A Patre quidem; nam *Joan. XIV. 26.* ait Christus: *Paraclitus autem Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo.* A Filio vero; ait enim ipse Christus *Joan. XVI. 7. Si enim non abiero, Paraclitus non veniet ad vos: si autem abiero, mittam eum ad vos.* Ergo.

3.° Qui aliquid accipit a Filio, ab illo procedit; cum enim natura divina individua sit, qui aliquid accipit, naturam ipsam accipit. Atqui Spiritus Sanctus accipit aliquid a Filio; ait enim Filius *Joan. XIV. 54. Ille me clarificabit: quia de meo accipiet, et annuntiabit vobis. Omnia quaecumque habet Pater, mea sunt; propterea dixi: quia de meo accipiet.* Ergo.

*Prob.* II. ex Patribus Graecis, quorum auctoritatem adversarii reverentur, atque suspiciunt. 1.° Athanasius *Orat. III. cont. Arian. Quaecumque*, inquit, *Spiritus habet, haec a Verbo habet.* Et *Epist. I. ad Serapion. n.20. Ex Verbo, quod ex Patre esse conceditur, effulget* (Spiritus) *et ab eodem mittitur, ac datur.* 2.° Gregorius Nyssenus *Lib. I. cont. Eunom, Quemadmodum Patri Filius conjungitur, et cum ex illo originem ducat, hypostasi tamen posterior non est; sic etiam Spiritus Sanctus ad Filium se habet; nam in sola principii ratione Filius prius, quam Spiritus Sancti hypostasis concipitur .... ita ut excepta principii ratione, sanctissima Trinitas in omnibus probe sibi consonet.* 3.° Cirillus Alex. *Lib. I. de adoratione in spir. et verit. Spiritus est Patris, et Filii; qui substantialiter ex utroque, nimirum ex Patre per Filium profluit.* Et *in Thesauro Assert. XXXIV. Cum igitur Spiritus Sanctus .... procedat a Patre, et Filio, manifestum est, divinae substantiae ipsum esse.* Denique in Epistola contra Nestorium, quae lecta, probataque est in Conciliis Ephesino,

ab, Chalcedonensi, et Constantinopolitano. II. *Spiritus non est a Filio alienus, quandoquidem Spiritus veritatis nominatur, Christus autem est veritas; et perinde quoque ab illo, atque a Deo Patre procedit* (a). 4.° Idem docent Basilius *Lib. II. et III. cont. Eunom.*, Epiphanius *Haeresi LXII. et LXXIV.*, et alii (b). Ex quibus Patrum Graecorum locis constat, inanem esse eorum responsionem, qui ajunt, Patres, cum Spiritum Sanctum a Filio quoque procedere affirmant, non de persona, sed de donis Spiritus Sancti intelligendos esse. Quod est verbis Ss. Patrum manifeste contrarium, qui docent, ipsam Spiritus Sancti hypostasim distingui a Filio ratione principii, sicut eadem ratione Filius a Patre distinguitur. Ergo etc.

*Prob. III.* ex Patribus Latinis, qui eo tempore floruerunt, quo Graeci Romanam Ecclesiam, cui conjuncti, et subjecti erant, tamquam veritatis magistram habebant. 1.° Tertullianus *Lib. cont. Prax. cap.* 4. *Filium* inquit, *non aliunde deduco, sed ex substantia Patris*... *Spiritum non aliunde puto, quam ex Patre per Filium.* 2.° Hilarius *Lib. II. de Trin. Loqui de eo* (Spiritu) *non necesse est, qui de Patre, et Filio auctoribus confitendus est.* 3.° Ambrosius *Lib. I. de Spir. S. cap.* 10. *Spiritus quoque Sanctus, cum procedit a Patre, et Filio, non separatur a Patre, non separatur a Filio.* 4.° Augustinus *Lib. IV. de Trin. cap.* 20. *Nec possumus dicere, quod Spiritus Sanctus et a Filio non procedat. Neque enim frustra idem Spiritus et Patris, et Filii Spiritus dicitur.* 5.° Leo M. *Epist. XV. Alius qui genuit, alius qui genitus est, alius qui de utroque processit* (c).

F 2 Porro

(a) Idem saepe repetit *Lib. de recta fide ad* Regin. *Lib. X. et XI. Comment. in Joan.*

(b) Dydimus *lib. II. de Spiritu S.*, Maximus Mart. *Tract. de Candelabro*, *et in Epist. ad Marin.*

(c) Addi possunt Marius Victorinus *lib. I. cont. Arium* Gennadius *lib. de Eccl. Dogm. cap. I*, Gregorius M. *Hom. XXVI. in Evang*, Fulgentius *lib. de Fide ad Petrum cap.* 11., Auctor Symboli *S. Athanasii*, Anselmus *lib. de Process.*

Porro ex his Ambrosius, Augustinus, Leo M. tamquam catholici doctores laudati sunt in Conciliis Oecumenicis apud Graecos habitis, nempe Ephesino, Chalcedonensi, Constantinopolitano II. Ergo.

*Prob.* IV. *Ex Conciliis generalibus*, ex quibus tria in Oriente habita laudarunt *Cyrilli* Epistolam, in qua, ut supra vidimus, processio Spiritus Sancti ex Patre et Filio asseritur; tria alia in Occidente eandem doctrinam, consentientibus Graecis, et Latinis, definierunt, praeter plura Concilia Provincialia Italiae, Galliae, et Germaniae (a).

*Prob.* V. *Ex rationibus Theologicis*: 1.° Quidquid habet Pater, habet et Filius, excepta Paternitate, ut docent Patres ex laudatis Christi verbis: *omnia quaecumque habet Pater, mea sunt.* Ergo. 2.° *In divinis nulla est distinctio, ubi non interest relationis oppositio*: quod est tritum apud Theologos axioma desumptum *ex Anselmo Lib. de proces. Spir. S. cap.* 2., et Augustino *Tract. XXXIX. in Joan.* ubi ait: *hoc solo numerum insinuant, quod ad invicem sunt.* Ergo si Spiritus Sanctus non procederet a Filio, ac proinde non haberet erga Filium relationem oppositionis, quae ex processione oritur, non distingueretur a Filio. Ita S. Thomas *I. P. Q. XXXVI. art.* 2. Sed quia Henricus *Quod lib. V. Quaest. IX.*, et Scotus *in Dist. XI.* contendunt, Spiritum Sanctum adhuc distinctum iri a Filio, etsi ab illo non procederet; ideo cum Graecis disputantes, non nimium rationes Theologicas urgere oportet in re tot Scripturarum, Patrum, et Conciliorum auctoritatibus stabilita, ne novam ipsis praebeamus litigandi materiam.

*Sol-*

(a) Vide haec fusius apud Leonem Allatium in *Graecia orthodoxa* aliisque ejus operibus, Le Quien *Dissert. I. in Damascen et in Panoplia*, Natalem Alexandrum *Dissert. XVIII. in Hist. Eccl. Saec. IX.*, Petavium etc.

## *Solvuntur objecta.*

*Objic.* I. Scriptura numquam conceptis verbis docet, Spiritum Sanctum a Filio procedere: sicut e contrario expresse docet, ipsum procedere a Patre. Ergo.

℟. *Dist. ant.* Et tamen id implicite perhibet verbis idipsum sonantibus, *conc.* Secus, *neg.* Cum enim Scriptura nos doceat, Spiritum Sanctum esse Spiritum Filii, mitti a Filio, accipere a Filio; quid aliud haec innuunt ac significant, nisi eum a Filio procedere? Cum autem aliquando solum Patrem nominat, non excludit Filium: sicut cum dicit, Spiritum mitti a Filio, non excludit Patrem: *Si ergo de Patre, et Filio procedit Spiritus Sanctus, cur Filius dixit: De Patre procedit? Cur putas, nisi quemadmodum ad eum solet referre et quod ipsius est, a quo et ipse est? Unde illud est, quod ait: mea doctrina non est mea, sed ejus qui misit me. Si igitur hic intelligitur ejus doctrina, quam tamen dixit non suam, sed Patris; quanto magis illic intelligendus est et de ipso procedere Spiritus Sanctus: ubi sic ait; de Patre procedit, ut non diceret de me non procedit?* Verba sunt Augustini *Tract. XCIX. in Joan.*

*Objic.* II. Concilium Constantinopolitanum, loquens de processione Spiritus Sancti in Symbolo, solius Patris mentionem facit, et videtur consulto abstinuisse a commemorando Filio. *Et in Spiritum Sanctum Dominum, et vivificantem, qui ex Patre procedit.* Ergo.

℟. *Dist. ant.* Solius Patris mentionem facit, quia processio ex Patre tunc negabatur ab haereticis, *conc.* Quia ex solo Patre procedit Spiritus Sanctus, *neg.* Quod enim Spiritus Sanctus ex Filio procederet neque a catholicis tunc, neque ab haereticis negabatur; sed Eunomiani, et Macedoniani docebant, ipsum ex solo Filio procedere, quasi esset creatura. Cum igitur ea sit Conciliorum consuetudo, imo et religio, ne quid definiant, et multo minus Symbolo inserant, nisi quod est necessarium, satis putarunt Patres definire, Spiritum Sanctum ex Patre procedere, ideoque esse Deum.

*Objic.* III. Theodoretus *in Confutatione Anathematismi IX.* S. Cyrilli eum reprehendit, quod dixerit, Spiritum San-

Sanctum ex Filio extantiam habere; et *in Epistola ad Monasteria* ait de eodem Cyrillo: *blasphemat et in Spiritum Sanctum, non ex Patre eum procedere dicens secundum Domini vocem, sed ex Filio esse*. Idem docet *in Exposit. Epist. ad Rom. cap.* 8., et *in I. ad Cor. cap.* 2. Ergo.

℟. *Neg. cons.* Praeter *Bellarminum* et *Petavium* supra citatos, etiam Garnerius *Dissert. III. de Fide Theodoreti cap. I.* fatetur, *Theodoretum* errasse. Sed cum ejus scripta contra Cyrillum reprobata primum fuerint in Ephesina Synodo, in qua contraria Cyrilli doctrina probata est; et deinde eadem Theodoreti opera damnata sint in Concilio V. et VI. Oecumenicis, nihil ex ejus auctoritate contra Catholicae Fidei dogma concludi valet. Potest tamen *Theodoretus* excusari eo quod *errore facti*, cum impensius Nestorio faveret, quem credebat innoxium, putaverit *Cyrillum* docuisse, Spiritum Sanctum procedere ex Filio, excluso Patre; aut extantiam habere ex Filio, quasi unam ex creaturis; sicut sententiam suam explicat *in Expositione Epist. ad Rom. loc. cit. Spiritum Sanctum et Dei appellavit, et Christi, non quod, ut volunt haeretici execrandi, ex Deo per Filium creatus sit.* Et ipsa *Epistola ad Monasteria* ita refert Cyrilli sententiam male a se intellectam: *blasphemat et in Spiritum Sanctum, non ex Patre ipsum procedere dicens*: quae fuit haeresis Macedonii.

*Objic.* IV. Damascenus *Lib. I. de Fid. Orth. cap.* 11. *Spiritum Sanctum*, inquit, *ex Patre esse dicimus, et Patris Spiritum appellamus. Ex Filio autem Spiritum Sanctum non dicimus, sed Filii Spiritum nominamus.* Ergo.

℟. 1.° Nonnullos concedere, Damascenum in eo errore innoxie ante Ecclesiae definitionem versatum esse; eumque esse *Joannem* illum, contra quem Synodus Aquisgranensis anno DCCCIX. declaravit, Spiritum Sanctum etiam a Filio procedere. Sed cum *Joannes*, de quo Synodus loquitur, dicatur *Hierosolymitanus*, non videtur cum *Damasceno* confundendus.

℟. 2.° *Dist. ant.* Non dicimus esse *ex Filio*, tamquam ex primo principio, aut tamquam creatore Spiritus Sancti, *conc.* Secus *neg.* Solent enim nonnulli Graeci Patres hanc adhibere cautionem, ut Patri tribuant pro-

propositionem *ex*, Filio propositionem *per*; quod et Apostolus servavit *I. Cor. VIII. 6. Unus Deus Pater, ex quo omnia... unus Dominus Jesus Christus, per quem omnia*; non ut negent, Filium esse etiam principium Spiritus Sancti (idem enim significant propositiones *ex*, et *per*, ut supra docuimus *cap.* 5.); sed ut innuant, Filium non esse primum principium sine principio, sed procedere ex Patre. Ita Cardinalis *Bessarion Orat. pro union.* Damascenum explicat: idque confirmatur ex verbis ejusdem Damasceni *loc. cit. quemadmodum ex sole est radius, et splendor* (*ipse enim et radii, et splendoris fons est*) *sed per radium splendor nobis communicatur*: ubi comparat Patrem soli, Filium radio, Spiritum Sanctum splendori: manifestum autem est, splendorem esse a sole, et radio; seu a sole per radium. Caeterum hanc cautionem non omnes servant Graeci Patres, ut videre est in locis supra recitatis.

*Objic.* V. Si Spiritus Sanctus procedit ex Patre, et Filio, duo erunt Spiritus Sancti principia. Atqui hoc tamquam absurdum rejiciunt Concilia Lugdunense, et Florentinum. Ergo.

℟. *Neg. ant.* Sicut enim res Creatae sunt a Patre, Filio, et Spiritu Sancto, et tamen non sunt tria, sed unum rerum creatarum principium; ita quamvis Spiritus Sanctus sit a Patre, et Filio, non duplex, sed unum erit ejus principium. Ad multiplicandum enim principium non sufficit multiplicatio personarum, sed requiritur etiam duplex forma, seu operatio. Cum igitur Pater, Filium generando, communicet et eandem numero naturam, et cum natura eandem virtutem *spirandi*, sive producendi Spiritum Sanctum, quam ipse habet, sicut personae duae Pater et Filius non sunt duae naturae divinae, ita non sunt duo principia Spiritus Sancti, qui *ex utroque aeternaliter tamquam ab uno principio, et unica spiratione procedit*: verba sunt Concilii Florentini *in Decr. union.*, cui praeiverat Lugdunense.

*Inst.* Vel virtus spirandi est *personalis*, vel *essentialis*. Si primum; ergo est solius Patris, quippe qui proprietates personales cum Filio non communicat: si secundum; ergo etiam Spiritus Sanctus sui ipsius, vel alterius Spi-

Spiritus Sancti est principium. Quod utrumque absurdum est.

*v.* Esse proprietatem personarum duarum, nempe Patris, et Filii; quia licet Pater non possit communicare cum Filio proprietates personales, quae relative opponuntur *Filiationi*, ut est *Paternitas*; communicat tamen virtutem spirandi, quae Filiationi non opponitur. Vide haec fusius pertractata apud Manuelem Calecam *in Libris quatuor contra Graecos*, Bessarionem *in Lib. de Processione Spiritus Sancti*, S. Thomam *in Opusc. contra Graecos*, Pithaeum *in Libro de Processione Spiritus Sancti*, Petavium, Natalem Alexandrum etc.

### *Corollaria.*

I. Ergo Spiratio activa, quam diximus esse unam ex quatuor divinis relationibus, unica, et simplicissima est. Patri Filioque communis.

II. Quamquam inter personas divinas non sit ordo temporis, aut dignitatis, cum unaquaeque eandem habeat naturam; est tamen ordo originis. Prior enim origine Pater est, secundus Filius ab eo genitus, tertius Spiritus Sanctus ab utroque procedens.

## §. III.

### *Utrum recte Symbolo Constantinopolitano addita fuerit particula illa* Filioque.

*Adv.* Haec quaestio a superiore distincta est; potest enim aliquod esse dogma fidei, et tamen non inserendum Symbolo. Sed Graeci utrumque conjungunt. Ajunt enim Latinam Ecclesiam corrupisse symbolum per additionem illam, utpote falsam, et fidei contrariam quam cantilenam a *Photio*, aliisque inceptam, Graeci Schismatici repetere non cessant. Nos postquam ostendimus, processionem Spiritus Sancti ex Filio ad dogmata Fidei spectare, recte etiam hoc dogma Symbolo esse insertum per additionem particulae *Filioque*, demonstramus.

PRO-

## PROPOSITIO.

*Recte Ecclesia particulam* Filioque *Symbolo adjunxit. Est dogma Fidei in Florentina Synodo, Graecis etiam suffragantibus, definitum.*

*Prob.* Habet Ecclesia auctoritatem vel in Symbolo, vel in alia publica professione fidem explicandi, quando eam videt ab haereticis labefactari, et expedit saluti fidelium, ut hac ratione gliscenti malo occurratur, fideles ab haereticis discernantur, et ipsi haeretici, ad Ecclesiam redeuntes, fidem suam publice testentur. Nam hoc non solum pendet ab auctoritate pascendi gregem, quam Christus Ecclesiae dedit (in qua auctoritate continetur etiam potestas condendi de integro ipsum Symbolum, ut fecerunt Apostoli tamquam Ecclesiae pastores; et a fortiori addendi aliqua symbolo jam composito); sed etiam exemplo et praxi ipsius Ecclesiae probatur. Nonne enim Nicaena Synodus Symbolo Apostolico, quod tunc in universa Ecclesia servabatur, addidit vocem *Consubstantialis*, et alias, quae expedire visae sunt contra nascentem Arianorum haeresim? Nonne Synodus Constantinopolitana addidit alia, quae visa sunt opportuna contra haeresim *Macedonii?* Atqui cum addita est Symbolo Constantinopolitano particula *Filioque*, expediebat, ut hoc dogma explicaretur in Symbolo. Schismatici enim ex eo quod in Symbolo Const: dicebatur Spiritus ex Patre procedere, occasionem arripiebant docendi, eum procedere ex solo Patre; et Ecclesiam Romanam, quae contrarium docebat, a fide excidisse. Ergo recte Ecclesia additionem illam probavit, et servat.

### *Solvuntur Objecta.*

*Objic.* In Concilio Ephesino *Part. I. Act. VI.*, audito impio Nestorii Symbolo oblato a *Charisio* Presbytero, quem *Photius*, et *Anastasius* Nestoriani excommunicaverant, eo quod eidem symbolo subscribere noluisset, statutum est, *alteram fidem nemini licere proferre, aut conscribere, aut componere, praeter definitum a Sanctis Pa-*

*tribus, qui Nicaeae cum Spiritu Sancto congregati fuerunt. Qui secus fecerint, Episcopos quidem, et Clericos deponendos; laicos vero excommunicandos.* Idem statuit Concilium Chalcedonense *Act. XI.* Imo Patres Concilii septimi, sive Nicaeni II. post fidei definitionem conclamarunt: *Nos eos, qui addunt quid, vel adimunt, anathematizamus.* Ergo particula *Filioque* Symbolo Nicaeno-Constantinopolitano adjecta est contra Canones in tribus Conciliis Oecumenicis sancitos; ideoque improbanda.

℟. *Dist. ant.* Prohibuerunt Concilia illa, aliquid in symbolo Nicaeno mutare, addere, minuere, quod esset contra fidem Nicaenam; *conc.* Quod esset ipsius Fidei Nicaenae clarior expositio, *subdistin.* Prohibuere privatos, *conc.* Ipsam Ecclesiam, *neg.* Vetant igitur Patres aliquid mutari, addi, minui in symbolo Nicaeno, quod ipsam Nicaenam fidem violaret, quale erat symbolum Nestorianum a *Charisio* oblatum: idque significatur a Patribus per *alteram fidem praeter definitam*: non vetant autem additionem Nicaeno symbolo consonam; alioquin nec ipsum symbolum Constantinopolitanum recipiendum esset; quia aliquid addit Nicaeno. Hinc Concilium Chalcedonense *Actione I.* anathema dixit *Dioscoro*, eo quod in Ephesino Latrocinio deposuerit *Flavianum*, et *Eusebium* Dorilaei Episcopum, propter additionem factam Nicaeno symbolo eorum verborum: *et consubstantialem nobis secundum humanitatem.* Quod quidem anathema injustum fuisset, si Concilium Ephesinum poena depositionis, et excommunicationis quamcumque additionem prohibuisset, etiam non contrariam Nicaenae fidei. Sic Joannes Antiochenus, ceterique Orientales Episcopi *ap. Cyrillum Alex. in Epist. ad Joan. Antioch.* profitentur, se *nihil addere fidei in Nicaea a Sanctis Patribus expositae*: et tamen post professionem hanc, longam fidei confessionem edunt, in qua multa addunt de Incarnatione, aliisque dogmatis, quae in Nicaeno symbolo non sunt. Cautum etiam est, ne quis privatus aliquid addere audeat Nicaeno symbolo; sed id non impedit, quominus ipsa Ecclesia, quae eandem nunc habet auctoritatem, quam habebat in Concilio Ephesino, et Chalcedonensi, addat ea, quae sibi expedire visa sunt;

cum haec additio pertineat ad disciplinam pro temporum varietate mutabilem.

*Inst.* *Leo III.* R. Pontifex anno DCCCIX. restitit Legatis Concilii Aquisgranensis petentibus, ut additio particulae *Filioque* facta symbolo ab ipso *Leone* probaretur: imo symbolum sine ea voce Graecis, et Latinis literis duobus scutis argenteis insculpi jussit ad perpetuam memoriam. Judicavit igitur quamcumque additionem a quocumque factam esse illicitam.

℟. *Dist. ant.* Ita se gessit *Leo*, quia additio fiebat ab Ecclesiis paticularibus, necdum ipsi videbatur necessaria, *conc.* Quia absolute erat illicita, *neg.* Haec enim contigerunt ante Schisma *Photii*, ex quo Graeci coeperunt impudentius Latinam Ecclesiam accusare haereseos propter doctrinam de processione Spiritus Sancti ex Patre, et Filio.

*Quaeres*, quonam tempore additio illa facta sit?

℟. *Manuel Calecas* et *Genebrardus* eam additionem tribuunt *Damaso* Papae saec. IV. *Baronius* post *S. Antoninum*, *Julianum* Cardinalem *in Sess. IV. Conc. Florent.* et alios, putat, factam in septimâ synodo Oecumenica. Sed haec non satis probata sunt; imo valde suspecta redduntur ex facto *Leonis* III., de quo paulo ante diximus. Quod certum est, primo invenitur haec additio facta in Hispaniis in Concilio Toletano III. anno DLXXXIX., deinde in Galliis, et in Germania in Concilio Aquisgranensi anno DCCCIX.; postremo in Italia, et in ipsa Romana Ecclesia medio Saeculo IX. circa tempora Nicolai I., ut constat non solum ex objectionibus *Photii*, verum etiam ex responsione *Ratramni Corbejensis Lib. II. Responsionum ad Object. Graecor.*, qui probat, eam additionem in Ecclesia Occidentali recte factam; tandem totius Ecclesiae judicio probata est in Conciliis Oecumenicis. De additione vocis *Filioque* vide Petrum Pithaeum *in Historia Controvers. De Process. Spir. S.* Jam enim aliqua de processionum divinarum principio addenda sunt, ut suus etiam Scholasticis quaestionibus tribuatur locus. Quas tamen non more Scholasticorum tractabimus, qui magnas his de rebus, atque prolixas solent ciere controversias; sed attingemus leviter, ne

aut

aut omnino contemsisse Scholas; aut diutius, quam par erat, in iis immorati videamur.

## §. IV.

### *De principio divinarum processionum.*

*Adv.* I. Duplex Theologi principium distinguunt, quorum alterum dicitur *principium quod*, alterum *principium quo*. Prius est persona, quae producit; alterum est virtus, qua producit; et hoc iterum duplex est *remotum*, et *proximum*. Proximum est virtus, quae *immediate* producit; remotum, quod *mediate*. Res explicari potest exemplo artificis. Sculptoris persona *ex. gr.* est *principium quod* producit opus; *actiones* enim *sunt suppositorum*, seu personarum: virtus autem ejus est *principium quo*. Et hoc duplex est; aliud *remotum*, nempe natura humana, intellectus, voluntas, ars, brachia, manus; aliud *proximum*, nempe malleus, et scalprum. Sic etiam in actibus internis intellectionis, et voluntatis, persona Petri est *principium quod*: natura humana est principium *quo remotum*: intellectus, et voluntas principium *quo proximum*.

II. De principio *quod* divinarum processionum nulla est inter catholicos controversia; constat enim, Patrem generare Filium: Patrem, et Filium *spirare* Spiritum Sanctum; unde Patris persona est Principium *quod* Filii: Patris, et Filii persona est principium *quod* Spiritus Sancti. Sed controversia est in scholis agitata, quodnam sit principium *quo?* licet enim nulla sit in Deo *realis* distinctio inter haec principia, est tamen *virtualis*. Principium *quo remotum* esse naturam divinam, consentiunt Theologi. Principium vero *quo proximum Durandus in I. Dist. VI. q.* 2. putat, esse ipsam naturam divinam, prout est foecunda, et infinita; *S. Bonaventura*, *ipsas relationes paternitatis*, *filiationis*, *spirationis*, de quibus infra agemus; *S. Thomas*; et reliqui Theologi, intellectum, et voluntatem, non absolute considerata; sic enim tribus personis communia sunt, nec tamen singulae personae aliud producunt *terminum*; sed quatenus adjunctas habent relationes paternitatis, et spirationis acti-

activae, tamquam conditiones, sine quibus intellectus, et voluntas nihil producerent.

## PROPOSITIO I.

*Natura divina est principium* quo remotum; *sed non proximum divinarum processionum.*

*Prob.* 1a. *pars.* Illud est divinarum processionum principium *quo remotum*, in quo tamquam in radice continetur producendi virtus. Atqui virtus producendi, quaecumque tandem illa sit, continetur in natura divina, tamquam in radice, a qua nostro intelligendi modo omnia Dei attributa, et omnis operatio manare intelligitur. Ergo.

*Prob.* 2a. *pars.* 1.° ex definitione Concilii Lateranensis IV. sub Innoc. III., in quo contra Libellum *Abatis Joachim* probata est sententia Petri Lombardi *I. Sent. Dist.* 5. nempe: *Natura Divina est quaedam summa res, quae nec gignit, nec gignitur, nec procedit. Nos*, inquit Pontifex *cap.* 2., *sacro approbante Concilio, credimus, et confitemur, quod una quaedam summa res est, incomprehensibilis quidem, et ineffabilis, quae veraciter est Pater, Filius, et Spiritus Sanctus... et illa res non est generans, nec genita, nec procedens.* Ergo natura divina non est principium *quo proximum* divinarum processionum.

2.° Inter producens, atque productum realis necesse est intercedat distinctio; absurdum enim est, ut aliquid semetipsum producat. Ergo si natura divina esset principium *quo proximum* divinarum processionum Filii et Spiritus Sancti; jam ipsius Filii, et Spiritus Sancti natura esset numero distincta a natura Patris: quod repugnat unitati essentiae divinae: imo Filii et Spiritus S. personae a natura divina reipsa distinguerentur: quod absurdum esse *Lib. III. cap.* 3. demonstravimus. Ergo etc.

3.° Omnis natura nihil immediate per se producit, sed per facultates suas. Ergo.

*Objic. 1. cont.* 1m. *part.* Concilium Lateranense IV., ut paulo ante dictum est, definivit, naturam divinam non esse nec generantem, nec genitam, nec procedentem.

Ergo

Ergo non est principium *quo remotum* divinarum processionum.

℞. *Neg. cons.* Laudata enim definitio intelligenda tantum est de principio *quo proximum*, non autem *remoto*. Cujus rei ea ratio est, quia si natura divina poneretur ut principium *quo proximum* processionis Filii, et Spiritus Sancti, necessario sequeretur, naturam Filii, et Spiritus Sancti esse numero distinctam a natura Patris, ut mox ostendimus. Et revera *Abas Joachim* hanc doctrinae suae consequentiam vidit, et docuit, *unitatem* (naturae divinae) *non esse veram, et propriam, sed quasi collectivam, et similitudinariam: quemadmodum dicuntur multi homines unus populus, et multi fideles una Ecclesia, juxta illud Act. IV. 32. multitudinis credentium erat cor unum, et anima una.* Sed si natura divina statuitur principium *quo remotum* divinarum processionum, absurdum illud non sequitur. Virtus enim generandi, atque spirandi, quae tamquam ex fonte a natura divina fluere intelligitur, nihil aliud est, nisi virtus communicandi cum Filio, et Spiritu Sancto eamdem numero divinam naturam.

*Objic. II. cont.* 2m. *part.* Nulla est realis distinctio inter essentiam Dei, et ejus attributa, et operationem. Ergo quaecumque virtus, et operatio principium divinarum processionum esse dicatur, semper verum est. ipsam Dei essentiam esse processionum principium.

*Dist. ant.* Nulla est realis distinctio, sed tamen agnoscenda est distinctio *virtualis*, ut *Libro III. cap.* 3. diximus, *conc.* Secus, *neg.* Fatemur, in Deo intelligere, velle, et esse non distingui reipsa; sed cum *virtute* distinguantur, dicimus, principium processionum non esse statuendum proxime in ipsa essentia; si enim haec virtualis distinctio sufficit ut dicamus, essentiam Patris communicari Filio, non vero personam; sufficit etiam ut dicamus, non esse essentiam principium *quo proximum* processionum, sed aliud *virtute* ab ipsa essentia distinctum.

*Inst.* Patres docent, Filium esse *de substantia Patris, de essentia Patris.* Sufficiant pro omnibus Patres Concilii Toletani XV. anno DCLXXXVIII. *Filius*, inquiunt, *Dei de essentia Patris natus est, essentia de essen-*

sentia, sicut natura de natura, et substantia de substantia ..... sic et voluntas de voluntate ..,... quia non est aliud Dei voluntas, aliud Dei natura. Sic et Hilarius *Lib. de Synodis*: *Omnibus creatis substantiam Dei voluntas attulit*; *Filio vero natura dedit.* Et Damascenus *Lib. I. de Fid. Ord. cap.* 8. ait, *generationem esse opus naturae.* Ergo.

℟. *Dist. ant.* Docent, Filium esse de essentia Patris ad evertendum errorem Arianorum, qui asserebant, illum esse ex nihilo creatum, *conc.* Ad constituendam essentiam principium *quo proximum* processionis, *neg.* Non ergo iis in locis propositum erat Patribus enucleatius explicare principium *quo proximum* processionis; sed tantum Arianos oppugnare, qui docebant, Filium esse creaturam libera Patris voluntate ex nihilo eductam.

## PROPOSITIO II.

*Intellectus, et voluntas sunt in Deo principium* quo proximum *generationis Filii, et processionis Spiritus Sancti, non quidem absolute spectata, sed quâtenus adjunctas habent relationes Paternitatis, et Filiationis.*

*Prob.* 1a. *pars.* nempe intellectum Patris esse principium *quo proximum* generationis Filii. I. Sacrae litterae Filium appellant Verbum Patris. *Joan. I. In principio erat Verbum.* Et quidem hoc nomine eum ab aliis personis distinguunt *I. Joan. V.* 7. *Tres sunt qui testimonium dant in Caelo*: *Pater, Verbum, et Spiritus Sanctus*, Atqui Verbum est terminus intellectus. Ergo.

*Prob.* II. *ex PP.*, qui ideo Filium, docent appellari Verbum, quia de Patris mente, atque intelligentia procedit. 1.° Tertullianus *Lib. cont. Praxeam cap.* 5. ait, Filium esse *Dei rationem*, *quod cogitando Pater illum generat.* 2.° Basilius *Hom. VI. Cur Verbum? Ut perspicuum sit, processisse ex mente.* 3.° Gregorius Nazianz. *Orat. XXXVI. Verbum porro dicitur, quia ita se habet ad Patrem, ut sermo ad mentem.* 4.° Augustinus *Lib. XV. de Trin. cap.* 13. *Verbum natum est ... de Patris scientia, de Patris Sapientia.* 5.° Fulgentius *Lib. III.*

*III. ad Monim. c. 7. Sic est Verbum apud Deum, sicut est in mente verbum, sicut in corde consilium; cum enim mens apud se verbum habet, utique cogitando habet; quia nihil aliud est apud se dicere, quam apud se cogitare. Cum ergo mens cogitat, et cogitando verbum intra se generat, de sua substantia generat verbum.*

*Prob. III. ratione Theologica.* Filius *Colos. I.* 15. dicitur *imago Dei invisibilis*: et *Heb. I* 3. *Splendor gloriae et figura sobstantiae Patris.* Atqui ens maxime spiritale, ut est Deus Pater, non alia ratione potest intra se gignere sui ipsius imaginem, et figuram nisi per intelligentiam; mens enim intelligendo imaginem objectae rei intra se format. Ergo etc. Et quamvis in mente creata verbum, sive imago rei objectae, persona non sit subsistens, sed mera objectae rei idea; in Deo tamen imago cum perfectissima sit, subsistentiam habet; alioquin non perfecte personam Patris, qui est persona subsistens, rapraesentaret.

*Prob.* 2a. *pars.* Spiritus Sanctus vocatur a Patribus *Charitas*, *Amor*, *Dilectio*, *Unio*, et *Complexus* Patris et Filii. Atqui haec omnia a voluntate proficiscuntur. Ergo etc. Ipsum nomen *spiritus* actum voluntatis designat; spiritus enim *motio* est, atque impulsus: voluntatis autem est mentem in rem amatam movere, inclinare, impellere. Ergo etc.

*Prob.* 3a. *pars. Intellectio*, et *volitio* absolute spectata communis actus est trium personarum; non minus enim Pater, quam Filius, et Spiritus Sanctus intelligunt, atque amant; quia unica est tribus operatio, sicut una natura. Ergo si intellectio, et volitio absolute principium essent processionum, profecto Filius, et Spiritus Sanctus alias etiam personas producerent, et ita processiones in divinis essent numero infinitae. Quod absurdum esse, nemo non videt. Ergo intellectio, et volitio producunt Verbum, et Spiritum Sanctum, quatenus conjunctae sunt cum Paternitate, et Spiratione activa, non tamquam principiis ad productionem concurrentibus, ut nonnulli volunt Scholastici, quia earum relationum munus, ac virtus non est producere, sed dumtaxat terminare naturam, et referre unum ad alium; verum tamquam conditione, sine qua intellectio, et volitio subsistentes termi-

nos

nos non producerent: sicut *Petreitas*, ut ajunt, in Petro non est principium ejus operationum: sed tantum natura humana, quae *in abstracto* quidem operari non posset, quia subsistentia careret; operatur tamen quatenus a persona Petri terminatur, ita ut ipsa Petri persona sit conditio, sine qua natura humana, quia non non subsisteret, operari non posset.

*Corollaria.*

I. Ergo solae relationes *Paternitatis*, et *Filiationis*, non sunt principum *quo proximum* divinarum processionum. Si enim non sunt principium etiam conjunctae cum intellectione, ac volitione, ut dictum est; a fortiori si solae spectentur.

II. Ex iis, quae de principio processionis Filii, et Spiritus Sancti dicta sunt, erui potest aliqua ratio, cur processio Filii dicatur generatio, non vero ita vocetur processio Spiritus Sancti. Quamvis enim Petavius *Lib. VII. cap.* 13. novem recenseat rationes a veteribus excogitatas hujus discriminis; verisimilior tamen est sententia S. Thomae *I. P. Q. XXVII. art.* 1. *et* 2., *et Q. XXXIV. art.* 2. Generatio enim est *origo viventis a vivente principio conjuncto, in similitudinem naturae vi processionis*: quae est definitio generationis apud Theologos, et Philosophos recepta. Atqui in ente spirituali solus intellectus virtutem habet producendi sibi similem imaginem, ut supra dictum est; voluntas vero natura sua non ad similitudinem tendit, sed ad unionem. Ergo Filius, qui procedit per intellectum, vi suae processionis similitudinem habet cum Patre; ac proinde ejus processio recte generatio dicitur. *Processio Verbi*, inquit S. Thomas, *in divinis habet rationem generationis; procedit enim per modum intelligibilis actionis, quae est operatio vitae, et a principio conjuncto, et secundum rationem similitudinis; quia conceptio intellectus est similitudo rei intellectae, et in eadem natura existens.* Vide quae Petavius *Lib. VII. cap.* 14. congerit ex Patribus testimonia pro hac *D. Thomae* doctrina. Haec tamen pro catholicis non ut certa, sed ut verisimilia dicta sint. Haereticis enim om-

nino dicendum est, nos discrimen utriusque processionis nescire, ut supra monuimus. *Et quidem generationem inter, et processionem discrimen intercedere edocti sumus; caeterum quis sit hujus distinctionis modus, prorsus nescimus*, inquit Damascenus *Lib. I. de Fid. Orth. cap.* 10.

III. Sequitur etiam ex dictis, distinguendam esse intellectionem, et amorem *essentialem* ab intellectione, et amore *notionali*... Prior actus est tribus personis communis, diciturque absolute intellectio, atque amor. Altera vero, nempe intellectio *notionalis* est Patris proprius, et appellatur *dictio*; *dicere* enim significat non solum intelligere, sed etiam intelligendo verbum exprimere. Amor *notionalis* est proprius Patris, et Filii, et dicitur *spiratio*; *spirare* enim significat in divinis non solum amare, sed etiam amando personam producere, quae terminus amoris est. Caeterum essentialis actus a notionali non distinguitur reipsa, sed ratione, *κατ' επίνοιαν* propter diversos, quos producunt, ac respiciunt effectus. Unus tamen est, idemque simplicissimus actus, qui simul intellectio, ac voluntas est, ex quo Filius, et Spiritus S. ab aeterno, et res creatae in tempore, quamvis non eadem ratione, modoque, processerunt.

IV. Quamquam attribnta absoluta, et operationes *ad extra* tribus personis communia sunt; tamen *per appropriationem* quaedam uni, quaedam alteri tribuuntur a Scriptura et Patribus, prout conveniunt uniuscuiusque personae notioni, et modo, quo ab alia procedit. Sic quia Pater est fons et origo totius divinitatis, Filius a Patre per intellectum, et Spiritus a Patre et Filio per voluntatem sive amorem, Patri tribuuntur opera omnipotentiae; unde in symbolo Deus Pater Omnipotens dicitur: Filio opera sapientiae; unde *Prov. VIII.* Dei sapientia vocatur; et *I. Cor. I.* 24. *Dei virtus et sapientia*: Spiritui Sancto opera amoris; *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis Rom. V.* 5.

V. Quoniam intellectus, et voluntas, et quodcumque aliud statuatur divinarum processionum principium est actus in Deo maxime necessarius, hinc processiones necessariae etiam dicendae sunt. Si ergo Patres aliquando

eas

eas esse affirmant voluntarias, sicut Concilium Sardicense apud Hilarium *Lib. de Synodis* anathema dicit iis, qui dicerent, *quod neque consilio, neque voluntate Pater genuerit Filium*; et Concilium Syrmiense (*ibid.*) statuit, ut *si quis nolente Patre natum dicit Filium, anathema sit*; intelligendi sunt de voluntate *concomitante*: sicut si quis diceret, Petrum voluntarie esse hominem, quod vult, eique placet esse hominem: ut sapienter rem explicat *S. Thomas*, cujus doctrinam hac in parte, ut saepe alias, non solidis rationibus impugnat Petavius. Caeterum cum Ariani voluntarium acciperent pro eo quod est liberum, ut inde inferrent, Verbum libera Dei voluntate factum, sicut creaturae; negarunt Patres, processiones esse eo sensu voluntarias, ut videre est apud Augustinum *Lib. XV. de Trin. cap.* 20. Hinc iisdem haereticis ita objicientibus; vel Pater volens genuit Filium, vel nolens; respondebant: nec volens genuit, nec nolens; sed naturaliter.

### *Solvuntur objectiones.*

*Objic.* I. *cont.* 1. *et* 2. *prop. part.* Principium *quo proximum* divinarum processionum non debet esse tribus personis commune; alioqnin singulae personae alias producerent. Atqui intellectus, et voluntas sunt tribus personis communes. Ergo.

℟. *Dist. min.* Intellectus, et voluntas absolute spectatae sunt tribus personis communes, *conc.* Prout conjunctae cum relationibus paternitatis, et spirationis activae, *neg.*

*Inst.* 1o. Nulla est potior ratio cur intellectio Patris producat Filium, non vero intellectio Filii, et Spiritus Sancti: amor Patris et Filii spiret Spiritum Sanctum, non vero amor, quo Spiritus Sanctus seipsum, et alias personas prosequitur. Ergo.

℟. *Neg. ant.* Ratio enim cur intellectio Filii, et Spiritus Sancti alium Filium non producat ea est, quod intellectio Filii, et Spiritus eadem reipsa est cum intellectione Patris; ac proinde cum una, eademque intellectio nonnisi unum *adaequatum* habere possit terminum, qui est ipsum Verbum, infinitum, et perfectissi-

me repraesentans quidquid est intelligibile; sequitur non posse aliud verbum produci per eandem intellectionem; prout est in Filio, et Spiritu Sancto; alioquin prius illud Verbum imperfectum esset; quia esset aliud verbum intelligibile ab illo distinctum.

*Inst.* 2.° Ex concessis intellectio Verbi ab intellectione Patris non distinguitur. Atqui intellectio Patris generat Verbum. Ergo Verbum per eamdem intellectionem generat seipsum, quod absurdum est: idem de Spiritu Sancto dicas.

℟. *Dist. min.* Intellectio Patris generat Verbum, quatenus est cum relatione paternitatis conjuncta, ut supra diximus, *conc.* Secus, *neg.* Similiter cum amor Spiritus Sancti non sit reipsa ab amore Patris et Filii distinctus, cujus terminus *adaequatus* ipse est Spiritus Sanctus, non potest alium Spiritum producere.

*Objic.* II. *cont.* 2. *Coroll.* Processio Spiritus Sancti, licet sit per voluntatem, est etiam origo viventis a vivente principio conjuncto in similitudinem naturae vi ipsius processionis. Ergo non minus dici posset generatio quam processio Verbi.

*Prob. ant.* Quod sit origo viventis a vivente principio conjuncto in similitudinem naturae, patet; nam Spiritus Sanctus est persona vivens a principio vivente, et conjuncto producta, habens naturam similem, imo eandem cum principio, a quo procedit; quod vero naturam similem habeat vi processionis, videtur etiam certum; 1.° quia Spiritus Sanctus non habet naturam divinam a se; ergo ab alio vi processionis; 2.° quia procedit ut Deus; ergo ut similis in natura vi processionis.

℟. *Neg. ant.* quoad ultimam partem. Licet enim Spiritus Sanctus procedendo naturam habeat divinam; non tamen vi processionis habet. Virtus enim amoris non ea est, ut producat terminum amanti similem; sed tantum ut nexum efficiat, et *unionem* amantis, atque amati: quae Unio in divinis ipse Spiritus Sanctus est, virtute a natura divina distinctus; sed quia Unio non est distincta *reipsa* a divina natura, ideo Spiritus Sanctus, qui vi suae processionis est Unio Patris, et Filii, habet etiam per *concomitantiam*, ut ajunt, naturam di-

vi-

vinam. Caeterum haec sobrie tractanda sunt, et confitendo semper mentis nostrae imbecillitatem.

*Inst.* Cum *Tournely*. Ex concessis Patres, ut *Damascenus*, *Augustinus* supra laudati, et alii aperte confessi sunt, humani ingenii tenuitatem rationem discriminis inter generationem Verbi, et processionem Spiritus Sancti perspicere non posse. Ergo satius est eorum imitari modestiam, quam ullum utriusque processionis afferre discrimen.

℟. *Dist. ant.* Et tamen illi ipsi Patres, qui hoc ingenue fassi sunt, non propterea abstinuerunt ab afferendis probabilibus ejus discriminis rationibus in gratiam catholicorum, *conc.* Secus, *neg.* Et revera ratio a S. Thoma exposita etiam a Patribus fuerat excogitata, praecipue ab *Augustino*. Nos ergo Patres ipsos imitantes fatemur, id a nobis certo sciri non posse, silente revelatione, sed tamen, quod probabilius est visum, attulimus.

## *Scholion.*

I. Quaerunt hic ulterius Scholastici; ex quarum rerum intellectione, et ex quarum rerum amore procedit Verbum, et Spiritus Sanctus. Et quod ad Verbum quidem, *Scotistae* docent, procedere tantum ex cognitione essentiae divinae, et attributorum *absolutorum*: *Thomistae* ex cognitione essentiae, et omnium attributorum; imo et creaturarum possibilium: alii denique ex cognitione non solum essentiae divinae, attributorum omnium, et creaturarum possibilium, sed et creaturarum existentium, posito divino decreto, quo eas producere ab aeterno constituit. Haec postrema sententia verisimilior est; 1.° quidem quia unica, et simplicissima est in Deo intellectio, aeterna, perfectissima, et comprehendens res omnes, quae cognosci possunt, ejusque cognitionis terminus unus est, Verbum scilicet divinum: 2.° quia id saepe docet Augustinus. Ait enim *Lib. XI. Confes. cap. 7. Verbum sempiterne dicitur, et eo sempiterne dicuntur omnia; neque enim finitur quod dicebatur, et dicitur aliud, ut dici possint omnia, sed simul ac sempiterne omnia.* Et *Lib. XV.*

*de Trin cap.* 14. *Novit omnia Deus Pater in seipso, novit in Filio, sed in seipso tamquam seipsum, in Filio tamquam Verbum suum, quod est de omnibus, quae sunt in seipso.*

II. Neque vero inde sequitur, creaturas esse Verbi principium; aut, quod idem est, Verbum esse creaturarum imaginem. Licet enim in creaturis rationalibus objecta res cum intellectu concurrat tamquam cognitionis principium; non ita tamen est in Deo, qui creaturas omnes in seipso videt, ut in *Lib. III. cap.* 13. §. 3. probavimus; ac proinde creaturae non sunt *objectum movens*, sed terminus divinae cognitionis.

III. Pari ergo ratione de Spiritu Sancto dicendum est, eum procedere necessario quidem ex amore essentiae divinae, et attributorum omnium: ex amore vero creaturarum non necessario, sed posito decreto divino, quo eas producere ab aeterno statuit, nullo modo ex amore possibilium; quia non est in Deo amor hic, ut in *Lib. III. cap.* 14. dictum est. Sicut enim unica est in Deo cognitio comprehendens omnia, quae cognosci possunt; ita et unus amor omnia amabilia complectens, cujus amoris terminus est Spiritus Sanctus. Quidquid autem est, a Deo amatur *Sap. XI.* 25. *Diligis omnia, quae sunt; et nihil odisti eorum quae fecisti.* Sed cum amor creaturarum in Deo liber sit, non procedit ex eo Spiritus Sanctus, nisi ex hypothesi divini decreti. Caeterum qui odium mali proprie dictum in Deo agnoscunt, fatentur etiam, Spiritum Sanctum ex eo odio procedere; ideoque peccatum Spiritui Sancto praesertim opponi: unde ait Apostolus *Ephes. IV.* 30. *Nolite contristare Spiritum Sanctum.*

IV. Quae si vera sunt, quis non videt, quanto nos erga totam Trinitatem amoris impetu incitari necesse sit, scientes, ex eadem illa Patris intellectione, atque eodem Patris, Filiique amore, licet non eodem modo, processisse nos, sive conditos esse in tempore, ex qua intellectione, atque amore ipsae Filii, et Spiritus S. personae ab aeterno processerunt: imo ejusdem nos intellectionis, atque amoris *objectum*, licet non necessarium, ab aeterno extitisse? Nam sicut unaquaeque divina persona in aliarum cognitione, et dilectione tota

est,

est, ut quidquid intelligit, et vult, ad illam cognitionem, atque amorem referatur; ita nos quoque ad totius Trinitatis cognitionem, ac dilectionem quidquid cogitamus, atque diligimus, referre debemus, cujus dilectionis nexus erit, ac vinculum, quamquam dispari ratione, Spiritus S., qui Patrem Filiumque connectit. Quam quidem cum SS. Trinitate societatem significare videtur *Joannes I. cap. I.* 3. dicens: *Ut et vos societatem habeatis nobiscum, et societas nostra sit cum Patre, et cum Filio ejus Jesu Christo.* A qua societate, qui peccando divellitur, quantum efficiat malum, comprehendi non potest. Sed haec nimis sublimia modum nostrae imbecillitatis excedunt.

## C A P. VIII.

***Consectaria capitis praecedentis. De circuminsessione, et missione divinarum personarum.***

*Adv.* I. Quoniam Pater Filio, et rursum Pater, et Filius Spiritui Sancto eamdem numero divinam naturam communicant, quae non est distincta reapse a personis, hinc sequitur divinarum personarum *circuminsessio*, quam Graeci *περιχώρησιν* appellant, quod Latine dici potius *circumincessio*, quam *circuminsessio* posset, ut observat *Petavius.* Est igitur circuminsessio proprietas, qua una persona intime, et mutuo in alia inest, sine earumdem personarum confusione. *Per hanc naturalem unitatem*, inquit Fulgentius *Lib. de fide ad Petrum cap.* 1., *totus Pater in Filio, et Spiritu Sancto, totus Filius in Patre et Spiritu Sancto est, totus quoque Spiritus Sanctus in Patre et Filio.*

II. *Missio* vero est unius personae processio ab alia, adjunctum habens temporalem effectum; unde *missio includit processionem aeternam, et aliquid addit, scilicet temporalem effectum*, ut inquit Angelicus Doctor *I. P. Q. XLIII. art.* 2. *ad* 3. Et 1.° quidem missio est processio unius personae ab alia; quia cum missio sit exitus quidam, et processio unius ab alio, nec una persona divina possit ab alia separari, et digredi, tamquam de lo-

loco in locum, cum unaquaeque immensa sit, et in alia existens per circuminsessionem, patet missionem in divinis non aliam esse posse, quam internam, atque aeternam processionem. Ideo *solus Pater non legitur missus, quia non habet auctorem, a quo genitus sit, vel a quo procedat*, ut ait Augustinus *Lib. contr. Serm. Arianor. cap.* 4.; sed tantum dicitur *venire*, tamquam ab alio non missus, ut *Joan. XIV.* 23. *Si quis diligit me, sermonem meum servabit; et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus.*

2.° *Adjunctum habet temporalem effectum*, quia cum persona divina immensa sit quod ad substantiam, non potest praesens fieri rebus, et loco, quo mittitur, nisi per novam quandam, ideoque temporalem operationem; atque ideo in Scripturis missioni semper temporalis aliquis effectus adjungitur. Quod si aliquando Patres, ut Cyrillus Alex. *Lib. II. in Joan. missionem* appellant solam processionem aeternam, ii de missione *inadaequata* sunt intelligendi. Sit igitur.

## PROPOSITIO I.

***Agnoscenda est divinarum personarum in se invicem circuminsessio. Est dogma fidei.***

*Prob.* I. *ex Script. Joan. X.* 38. ait Filius: *Pater in me est; et ego in Patre*, Et *cap. XIV.* 10. *Non creditis quia ego in Patre, et Pater in me est? . . . Pater autem in me manens, ipse facit opera.*

*Prob. II. ex PP.* 1.° Tertullianus *Lib. cont. Prax. cap.* 25. *Connexus*, inquit, *Patris in Filio, et Filii in Paracleto tres efficit cohaerentes, alterum ex altero, qui tres unum sunt, non unus.* 2.° Hilarius *Lib. VIII. de Trin. Fides est, Patrem in Filio, et Filium in Patre per inseparabilis naturae unitatem confiteri.* 3.° Augustinus *Lib. VI. de Trin. cap.* 10. *In summa Trinitate tantum est una* (persona), *quantum tres simul, nec plus aliquid sunt duae, quam una . . . . . Ita et singulae sunt in singulis, et omnia in singulis, et singulae in omnibus, et omnia in omnibus, et unum omnia.*

4.°

4.° Hyeronimus *in Cap. III. Ezech. Filius est locus Patris, sicut et Pater est locus Filii. Fulgentii* locum supra protulimus. Idem alii docent (a).

*Objic.* Si Pater esset in Filio, utique in Filio esset paternitas. Atqui in Filio non est paternitas: alioquin Filius esset Pater, quod fidei repugnat. Ergo etc. Idem de aliis personis dicas.

℟. *Dist. maj.* Esset in Filio paternitas tamquam forma, per quam Filius subsistat, *neg.* Esset paternitas per simplicem unitatem, sive, ut ajunt, *identitatem* cum natura divina, quae est in Filio, *conc.* Ut Filius sit Pater, non sufficit ut in eo sit paternitas, tamquam aliquid non distinctum reipsa a divina Filii natura; sed requiritur, ut ipse Filius per paternitatem subsistat. Hoc autem non accidit in circuminsessione.

*Inst.* Quae se mutuo excludunt, non possunt in se mutuo esse. Atqui tres personae SS. Trinitatis sese mutuo excludunt; nam inter se relative opponuntur propter paternitatem, filiationem, spirationem activam, et passivam. Ergo.

℟. *Dist. maj.* Quae se mutuo excludunt quoad omnia, non possunt esse in se mutuo, *conc.* Quae se mutuo excludunt quoad aliqua, *neg.* Porro personae divinae non quoad omnia se mutuo excludunt; nam in natura divina unum sunt. Vide S. Thomam *I. P. Q. XLII. art.* 5. De circuminsessione fusius tractarunt Genebrardus *Lib. II. de Trin.*, Petavius *Lib. IV. cap.* 16., et alii.

PRO-

(a) Dionysius Rom. *Epist. cont. Sabell. ap. Athanas.* Athenagoras *in legat. pro Christ*, Dionysius Alexandr. *in Apolog. ap. Athanas.*, Basilius *Epist XXXVIII.* Ambrosius *Lib. X. in Luc.*, Dionysius *De Div. nomin. cap.* 2., Damascenus *Lib.* 1. *de fid. cap.* 8. *etc.*

## PROPOSITIO II.

*Agnoscenda est divinarum personarum, nempe Filii, et Spiritus Sancti missio; eaque duplex, visibilis, et invisibilis. Est fidei dogma.*

*Prob.* 1a. *pars.* Joan. III. 17. *Non misit Deus Filium suum in mundum, ut judicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum.* Item *Joan. VIII.* 16. *Solus non sum: sed ego, et qui misit me, Pater*: et *cap. X.* 36. *Quem Pater sanctificavit, et misit in mundum, vos dicitis: quia blasphemas, quia dixi: Filius Dei sum.* Gal. *IV.* 4. *At ubi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum, factum ex muliere, factum sub lege.* Ecce missio Filii. De missione vero Spiritus Sancti ait Apostolus. *Ibid.* 6. *Misit Deus Spiritum Filii sui in corda vestra clamantem: Abba, Pater.* Et Joan. *XIV.* 26. *Paraclitus Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo*: et *cap. XVI.* 7. *Si autem abiero, mittam eum ad vos.* Ergo.

*Prob.* 2a. *pars.* Effectus temporalis per missionem productus aliquando est visibilis, ut in incarnatione Verbi, et in illapsu Spiritus Sancti super Christum in specie columbae, et super Apostolos in specie ignis; aliquando vero invisibilis, ut cum dicitur *Sap. IX.* 4. *et* 10. *Da mihi sedium tuarum assistricem sapientiam.... mitte illam de caelis sanctis tuis.* Et de Spiritu Sancto *Rom. V.* 5. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis*: et *Galat. IV.* 6. *Misit Deus Spiritum Filii sui in corda vestra.* Ergo.

*Objic.* Qui mittitur, minor est mittente. Atqui tres personae aequales sunt, Ergo non potest ulla mitti.

℞. *Dist. maj.* Qui mittitur per imperium, *conc.* Qui mittitur per processionem, quae adjunctum habet temporalem effectum, *neg.* Responsio patet ex definitione missionis.

*Inst.* 1o. Effectus temporalis toti est Trinitati communis; est enim opus *ad extra.* Ergo nulla singularis persona ad eum producendum mitti potest.

℟. *Dist. ant.* Est communis toti Trinitati, sed tamen *per appropriationem* tribuitur uni, aut alteri personae, cujus notioni praecipue congruit, *conc.* Secus *neg.* Vide quae supra diximus *Cap. praec.* §. 4. *prop.* 2. *Corol.* 4.

*Inst.* 20. Missio non fit semper per processionem. Nam Synodus Toletana XI. *in fidei Profess.* ait: *Missus Filius non solum a Patre, sed et a Spiritu Sancto missus esse credendus est in eo quod per Prophetam dicitur: et nunc Dominus misit me, et Spiritus ejus. A seipso quoque missus accipitur, pro eo quod inseparabilis non solum voluntas, sed et operatio totius Trinitatis agnoscitur*: patet autem, Filium non procedere a Spiritu Sancto, nec a scipso. Ergo si haec missio fieri non potest per processionem, fieri debet per imperium.

℟. *Dist. ant.* Missio improprie dicta non fit per proprocessionem, *conc.* Missio proprie dicta, *neg.* Synodus enim Toletana loquitur de Filio, ut homine, in qua natura factus est utique imperio totius SS. Trinitatis obediens usque ad mortem. Loquitur etiam de hypostatica conjunctione naturae humanae cum persona Verbi, quam quidem conjunctionem tota simul Trinitas tamquam causa efficiens operata est. Porro ea missio proprie dicta non est.

## Scholion.

Etsi effectus invisibilis missionis tribus personis sit communis, personae vero missae per *appropriationem* tribuatur; fatendum tamen est, ipsam personam, quae invisibili modo mitti dicitur, non solum per operationem, et dona, sed speciali quadam, et inexplicabili ratione, etiam quoad substantiam, homini justo, ad quem mittitur, copulari, in eoque habitare. Sic Apostolus *Rom. V.* 5. utrumque distinguit, nempe charitatem in corde, justi diffusam (quod opus toti est Trinitati commune.) et ipsam personam Spiritus justo datam: *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis.* Hinc etiam saepe docet, justum esse templum Spiritus Sancti, eumque in justo habitare, ut *Rom. VIII.* 9. *et* 11., *I. Cor. VI.* 19. 11.,

*II.*

*II. Tim. I.* 14. *et alibi.* Idem etiam docent SS. Patres ut Cyrillus *Lib. XXXIV. Thesauri*, Augustinus *Lib. XV. de Trin. cap.* 26., et alii apud Petavium, qui fuse hoc argumentum porsequitur *Lib. VIII. cap.* 4. 5. 6. *et* 7.

## C A P. IX.

### *De divinis relationibus.*

*Adv.* JAm supra diximus, esse in Deo relationes quatuor, *Paternitatem*, *Filiationem*, *Spirationem activam*, et *Spirationem passivam.* Multa autem de relationibus Theologi disputant, quae nos partim alibi tractavimus, partim explicabimus hoc capite. Nam relationes non distingui reipsa ab essentia divina, contra *Gilbertum Porretanum Lib. III. cap.* 3. docuimus: distingui vero *virtualiter*, ut ajunt contra Eunomianos et Nominales ibidem ostendimus; ex quo consequens est, ut quamvis essentia, et relationes prout sunt in Deo, unum idemque sint; tamen nostro intelligendi modo essentia non sit, ut Scholae ajunt, de *conceptu formali* relationum, nec vicissim relationes de *conceptu formali* essentiae, qua de re acriter inter Scholasticos disputatum est. Quod quidem non ad Scotistarum sensum, ac distinctionem intelligendum volumus, sed ad significandum, essentiam, atque personas, licet unum reipsa sint, nostro tamen intelligendi modo per rationem, κατ' επινοιαν distingui. Vide *Lib. III. cap.* 3. Eas vero relationes, quae secum invicem opponuntur, ut *Paternitas*, et *Filiatio*, *Spiratio activa*, et *passiva*, reapse inter se distingui manifestum est. Quae vero non sibi invicem opponuntur, ut spiratio activa et paternitas, spiratio aotiva et filiatio, non distingui realiter, constat ex communi axiomate: *in Deo omnia sunt unum, ubi non intercedit relationis oppositio*, ex Anselmo *Lib. de process. Spirit. S.* Superest igitur hic discutiendum 1.° an relationes dici debeant perfectiones; 2.° an singulae propriam habeant existentiam, ita ut dici possit, in Deo tres esse existentias; 3.° an praeter tres subsistentias relationum proprias, agnosci debeat absoluta quaedam subsistentia, quae essentiae divinae conveniat.

## PROPOSITIO I.

*Relationes in divinis sunt perfectiones simplices.*

*Prob.* Esse Patrem, Filium, Spiritum Sanctum est relatio, sive *esse relativum.* Ait enim Augustinus *Lib. V. de Trin. cap.* 13. *Dicitur relative Pater* . . . *Pater ad Filium dicitur. Item dicitur relative Filius, relative dicitur et Verbum, et Imago, et in omnibus his vocabulis ad Patrem refertur.* Atqui esse Patrem, Filium, et Spiritum Sanctum perfectio est; docent enim Patres, divinitatem fore imperfectam, nisi in Patre, Filio, et Spiritu Sancto subsisteret: *Non potest esse perfecta divinitas*, inquit Cyrillus *Lib. II. Thesauri cap.* 1. *nisi Filium habeat, et fructum ex se pariat.* Ergo etc.

*Objic.* I. Si relationes essent perfectiones, singulae divinae personae non essent infinite perfectae; unaquaeque enim careret perfectione relativa, quae est in alia: Filius ex gr. paternitate: imo tres simul personae perfectiores essent, quam una. Atqui utrumque absurdum est. Ergo etc.

℟. *Neg. seq. maj.* Cum enim relationes a natura divina non sint reapse distinctae, per circuminsessionem, de qua supra dictum est, unaquaeque persona habet perfectiones alterius; ideoque ait Augustinus *Lib. VI. de Trin. cap.* 8. *Tantum esse solum Patrem, vel solum Filium, vel solum Spiritum Sanctum, quantum tres personas simul sumptas.* Adde, relationes non esse perfectiones *simpliciter simplices*, quae melius est habere, quam non habere, sed perfectiones *simplices*, quae aequalibus perfectionibus opponuntur, ita ut non sit melius iis ornari, quam oppositis, ut *Lib. III. cap.* 10. diximus.

*Objic.* II. Si relationes essent perfectiones, dici posset, esse in Deo tres res. Sed hoc absurdum est; alioquin enim possent in Deo dici tres essentiae, tres aeternitates, tres immensitates etc. Ergo.

℟. *Dist. maj.* Essent in Deo tres res relativae, *conc.* Absolutae, *neg. Augustinus* enim *Lib. I. de Doct. Christ. cap.*

*cap.* 3. non abnuit dicere, tres personas divinas esse *tres res*: et Anselmus *Lib. de Incarn. cap.* 3. *Nihil prohibet*, inquit, *Patrem et Filium dicere duas res.* Absurdum autem est dicere in Deo tres res absolutas, ut et tria entia, tres aeternitates, immensitates etc.; quia cum tres personae unicam naturam habeant, unam etiam habent existentiam; ideoque sunt unum ens, una aeternitas, immensitas, etc.

## PROPOSITIO II.

*Tres divinae relationes unam habent existentiam. Est contra* Scotum *in I. Dist. XI. Q.* 2., Suarez *Lib. III. de Trin cap.* 4., aliosq.

*Prob.* I. Scripturae, et Patres quoties de existentia loquuntur, semper eam referunt ad naturam. Sic *Exod. III.* 14. ait Deus: *Ego sum, qui sum*: et *Deuter. VI.* 4. *Audi Israel*: *Dominus Deus noster, Dominus unus est*: et Job. XIV. 14. *Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine? nonne tu qui solus es?* Hinc catholici, qui saeculo IV. contendebant, utrum tres dicendae essent in Deo hypostases, in concordiam redierunt, explicato nomine hypostaseos; scilicet, si eo nomine intelligeretur *existentia*, unam dicendam esse hypostasim: si vero *subsistentia*, tres. Vide Hieronymum *Epist. ad Damas.* Hinc etiam Augustinus *Lib. VII. de Trin. cap.* 4. ait. *Quod est, ad se dicitur; Pater autem ad Filium*; hoc est existentia pertinet ad naturam, relatio autem terminum respicit. Et Cyrillus Alex. *Dial. II. Ecquem locum in Deo habere putandum est ingenitum? Nam si ingenitum ipsum est per sese, et in extantia propria positum, est autem hoc, ut illi asserunt, proprium Dei, et Patris, diversum quippiam erit ab eo, cujus est proprium. Nam quod alicujus est, et peoprie constitutum existit, diversum plane est ab eo, cujus est, atque ita duplicatur simplex natura Patris, eaque ex Patre, et ingenito componitur.* Quod de ingenito ait Cyrillus, idem de relationibus dicendum est.

*Prob.* II. Existentia est, per quam ens aliquod est, ut

ut ajunt, *extra nihil*, *Subsistentia* vero est existendi modus. Non multiplicatur igitur exsistentia, nisi multiplicatis entibus, sive naturis; ac proinde cum Deus unicum sit ens, una natura, unam habeat necesse est existentiam, licet *subsistentiae*, seu modi hujus existentiae tres sint.

*Objic.* Possunt in Deo dici tres res, ut supra ex *Augustino*, et *Anselmo* observavimus. Atqui res aliquid significat existens. Ergo possunt in Deo dici tres existentiae.

℟. *Dist. maj.* Possunt in Deo dici tres res relativae, *conc.* Absolutae, *neg. Dist.* etiam *min.* Res significat aliquid existens vel existentia propria, vel existentia *subjecti conc.* Existentia propria semper, *subdist.* Res absoluta, *conc.* Res relativa, *neg.* Res igitur semper aliquid existens significat; sed non semper existens existentia propria, nisi sit res absoluta. At res relativae, cujusmodi sunt relationes in divinis, cum sint, sive mente a nobis concipiantur ut modi, et affectiones subjecti, in quo sunt, non existunt; nisi per existentiam subjecti, in quo recipiuntur, sive recipi intelliguntur.

## PROPOSITIO III.

***Essentia divina**, prout intelligitur ante relationes, non habet propriam subsistentiam tribus personis communicatam. Est contra* Cajetanum *I. P. Q. XXIX. art. 4.*, Suarez *Lib. IV. cap. 4*, aliosq. Thomistas.

*Prob.* I. Illud non debet in essentia divina fingi a nobis, quod nec Scriptura, nec Patres agnoverunt. At nec Scriptura, nec Patres unquam quartae istius *subsistentiae* meminerunt, quae essentiae divinae conveniat, prout ante relationes a nobis intelligitur. Patres enim constanter docent, nonnisi tres esse in Deo subsistentias. Sic Concilium V. generale *Collat. VIII. Anath. I. Si quis* inquit, *non confitetur unam Deitatem in tribus subsistentiis, sive personis adorandam, talis anathema sit.* Quibus similia apud Patres Graecos; Latinosque passim occurrunt. Vide Petavium *Lib IV. cap.* 3. Ergo.

*Prob.*

*Prob.* II. Si natura divina propriam subsistentiam haberet, sicut propriam existentiam habet, dici posset Deus *unus subsistens*, sicut dicitur unus existens. Atqui hanc locutionem rejecerunt. Patres. *Hilarius* enim *Lib. de Synod.* docet, hanc esse catholicam fidem, quod Deus *non sit unus subsistens, sed una substantia non differens.*

*Prob.* III. In Concilio Lateranensi IV. declaratum est, in Deo non esse quaternitatem, sed Trinitatem. At nihil prohiberet dici in Deo quaternitatem, si praeter subsistentiam Patris, Filii, et Spiritus Sancti, haberet etiam ipsa essentia divina propriam subsistentiam. Ergo.

## *Solvuntur Objecta.*

*Objic.* I. Patres aliquando docent, *trium personarum esse unam subsistentiam.* Ita *Agatho* Papa *in Epist.* quae habetur in VI. Synodo *Act. IV.* Sic etiam docet Augustinus *Lib. VII. de Trin. cap.* 4., et S. Thomas *Quaest. IX. de Potentia art.* 5 *ad* 13. Ergo.

℟. *Dist. ant.* Et subsistentiam accipiunt improprie pro substantia existente, *conc.* Proprie pro certo modo existendi ejusdem substantiae, *neg.*

*Objic.* II. Hoc nomen *Deus* rem perfectissimam significat, ac proinde subsistentem; cum subsistentia sit ultima naturae perfectio, et complementum. Atqui nomen *Deus* non dicitur relative ad personas significandas, sed absolute ad designandam naturam. Ergo natura, etiam prout sine relationibus concipitur, propriam habet subsistentiam.

℟. *Dist. maj.* Nomen Deus significat rem subsistentem in personis, in quibus revera subsistit, *conc.* Subsistentem subsistentia propria, et distincta a subsistentia personarum, *neg.* Utique qui Deum nominat, rem perfectissimam, ac proinde subsistentem intelligit, sed non subsistentia distincta a subsistentia personarum. Ipsi Sabelliani, et Sociniani, qui unam in Divinitate personam fingunt, cum Deum nominant: intelligunt subsistentem in illa persona, quam solam agnoscunt. At Catholici, qui tres profitentur personas, cum Deum appellant,

mente concipiunt subsistentem in tribus personis, non in propria aliqua subsistentia. Verum his omissis, quae parum utilitatis habent, multum contentionis, restat, ut et de divinis notionibus, sicut fuerat propositum, dicamus.

## CAP. X.

### *De divinis notionibus.*

*Adv.* JAm supra ostendimus, ex divinis processionibus agnoscendas esse in divinitate *notiones*, seu characteres quosdam, dignitatem aliquam significantes, quibus quaelibet persona dignoscitur, atque ab aliis distinguitur; easque notiones esse quinque, *Innascibilitatem*, *Paternitatem*, *Filiationem*, *Spirationem activam*, et *Spirationem passivam*. Nunc ea res explicanda est paulo fusius. Non defuerunt enim Scholastici, qui plures notiones statuerunt, ut *Scotus*, qui sextam, nempe *inspirabilitatem*, in Filio agnovit: imo fuerunt etiam qui nullam admitterent notionem, ut *Praepositivus*, de quo S. Thomas *I. P. Q. XXXII. art.* 2.

### PROPOSITIO.

*Agnoscendae sunt in divinis notiones; eaeque nec pauciores, nec plures sunt quam quinque*: Innascibilitas, Paternitas, Filiatio, Spiratio activa, et Spiratio passiva.

*Prob.* 1a. *pars.* I. Patres hujusmodi notiones in divinis agnoverunt. Ita Basilius *Lib. II. cont. Eunom.*, qui eas appellat γνωριστικας ἰδιοτητας, sive proprietates, quibus personae dignoscuntur; et *Epist. XXXVIII.* eas singillatim recenset: *Gregorius* Nyss. *Lib. I. cont. Eunom.*, Augustinus *Lib. V. de Trin. cap.* 5., aliique, quos citat Petavius *Lib. IV. in Prooem.*

*Prob.* II. Sunt in Deo distinctae personae, quae ratione originis proprietates personales habent, quibus in se constituuntur, et ab se invicem distinguuntur: hujusmodi autem proprietates notiones sunt. Ergo etc.

*Prob.* 2a. *pars.* Notiones duabus ex causis in divinis statuimus; nempe ut personae a se invicem distinguantur, et ut certus earum numerus definiatur. Atqui ad haec duo quinque requiruntur, et sufficiunt notiones. Ut enim personae distinguantur a se invicem, requiruntur, et sufficiunt notiones quatuor; nempe *Paternitas*, qua Pater a Filio distinguitur; *Filiatio*, qua Filius a Patre; *Spiratio activa*, qua Pater, et Filius a Spiritu Sancto; et *Spiratio passiva*, qua Spiritus Sanctus a Patre, Filioque discernitur. Ut vero certus personarum definiatur numerus, explicandum est, non esse in Deo plures processiones, quam duas: ideoque Patrem ab alio non procedere: ad quod requiritur, et sufficit *Innascibilitas* in Patre. Ergo.

### *Diluuntur Objecta.*

*Objic.* I. *cont.* 1m. *part.* Non est admittendum quod officit simplicitati naturae divinae. Atqui notiones simplicitati naturae divinae officiunt: per eas enim *abstracta* concipiuntur tamquam a *concretis* distincta; *Paternitas ex. gr.* tamquam distincta a Patre. Ergo.

℟. *Neg. min. Ad prob. dist. Abstracta* concipiuntur distincta a *concretis* reipsa, *neg.* Per rationem, *conc.* Porro distinctio rationis non officit divinae naturae simplicitati, ut diximus *Lib. III. cap.* 3.

*Objic.* II. *cont.* 2m. *part.* Tot sunt notiones, quot relationes; per relationes enim personae dignoscuntur, et distinguuntur. Atqui quatuor sunt relationes. Ergo.

℟ *Neg. maj.* Nam per solam relationem Paternitatis, et Spirationis activae non perfecte dignoscitur Pater. Potest enim aliquis Pater esse, et tamen ab alio principio esse. At cum *Paternitati* additur *innascibilitas*, perfecte dignoscitur prima SS. Trinitatis persona, quae ita est Filii, et Spiritus Sancti principium, ut a nullo alio procedat principio.

*Inst.* 1.° *Innascibilitas* est aliquid *negativum*. Atqui notio *positivam* aliquam dignitatem designare debet. Ergo innascibilitas notio non est.

℟. *Dist. maj.* Est aliquid negativum, quod ad sonum vocabuli, *conc.* Quod ad rem significatam, *neg.* Significat

est enim principium sine principio: quod utique positiva dignitas est primae personae.

*Inst.* 2.° Si *innascibilitas* est aliqua dignitas, Filius, et Spiritus Sanctus, qui ea carent, imperfecti erunt, et minus digni: quod est absurdum. Ergo.

℟. *Neg. seq.* Cum enim tres personae divinae eandem *numero* naturam habeant, a qua notiones non sunt reapse distinctae, habent etiam per circuminsessionem notiones omnes: non quidem in *sensu formali*, ut Scholae ajunt; sed *identico*: hoc est, non quatenus omnes notiones constituant *formaliter*, et distinguant personas singulas; sed quatenus idem sunt reipsa cum natura divina, quae in singulis personis inest.

*Objic.* III. Notio debet esse aliquid proprium: Atqui *spiratio activa* communis est Patri, et Filio. Ergo notio non est.

℟. *Dist. maj.* Debet esse aliquid proprium vel uni, vel duabus personis, *conc.* Uni tantum, *neg.* Notio enim ad personas distinguendas valet. Cum ergo *spiratio activa* Patrem et Filium a Spiritu Sancto distinguat, recte notio dicitur: licet non distinguat ipsum Filium a Patre, qui satis inter se per *Paternitatem*, et *Filiationem* distinguuntur.

*Objic.* IV. Praeter quinque notiones agnosci etiam aliae debent. Sicut enim agnoscitur in Patre *innascibilitas*, ita agnosci quoque potest *ingenerabilitas* in Patre et Spiritu Sancto, *inspirabilitas* in Patre et Filio. Praeterea aliae notiones excogitari debent, quibus dignoscatur, Filium non posse alium Filium generare, et Spiritum Sanctum aliam personam nullo modo producere. Ergo plures sunt, quam quinque notiones.

℟. *Neg. ant. Ad* 1m. dico, *ingenerabilitatem* in Patre satis explicari per *innascibilitatem*. *Ad* 2m. *Ingenerabilitatem* in Spiritu Sancto non significare dignitatem aliquam; ac proinde non esse notionem. Nam quod producatur per *spirationem* dignitas est; quod vero non producatur alio modo, mera est rei negatio. *Ad* 3m. *Inspirabilitatem* in Patre recte etiam explicari per *innascibilitatem*, quae cum significet primum principium sine principio, omnem excludit procedendi modum. *Ad* 4m. *Inspirabilitatem* in Filio non esse notionem. Nam

 quod

quod procedat per generationem, dignitas est; quod vero non procedat per *spirationem*, mera est negatio, ac proinde notio non est. Atque eadem de causa cum non posse generare Filium, non posse producere personam aliam, non sit aliqua dignitas in Filio, et Spiritu Sancto, inutile est ad hoc explicandum alias excogitare notiones.

*Scholion.*

Ex notionibus deducuntur termini *notionales* quinque, qui explicant *in concreto* personas, quatenus habent in se notiones, ut *innascibilis*, seu quod idem est, *ingenitus*, *Pater*, *Filius*, *Spirator*, et *Spiratus*. Rursus ex notionibus oritur distinctio inter actum *essentialem*, et *notionalem* in divinis, ut inter intellectionem *essentialem*, et *notionalem*; item inter amorem *essentialem*, et *notionalem*, de quibus supra diximus *cap.* 6. *Corol.* 3. Nunc iis absolutis, quae ad personarum, processiones, relationes, ac notiones spectabant; jam de personis ipsis tum generatim, tum singillatim est more nostro breviter, ac perspicue disputandum.

## CAP. XI.

### *De personis divinis tum generatim, tum singillatim.*

### §. I.

### *De personis divinis generatim.*

*Adv.* PErsonae definitionem jam supra *cap. II.* tradidimus. De personis igitur in genere hic quaerendum superest, quid sit id, quod *formaliter* personas constituat; qua de re disceptatum est in Scholis acerrime. De singulis vero personis quaerendum, quaenam sint singularum nomina; et quae singulorum nominum ratio; quae proprietas.

PRO-

## PROPOSITIO.

*Personae divinae constituuntur per ipsas relationes Paternitatis, Filiationis, et Spirationis passivae.*

*Prob.* Unumquodque per illud in sua natura constituitur, per quod ab aliis distinguitur; unde axioma apud Philosophos receptum est: *idem est principium distinguens, atque constituens.* Atqui personae per solas recensitas relationes a se mutuo distinguuntur. Nam, ut saepe diximus, ubi non est relationis oppositio; omnia in divinis unum sunt. *Hoc solo numerum insinuant, quod ad invicem sunt, non quod ad se sunt;* inquit Augustinus *Tract. XXXIX. in Joan. Relativa nomina Trinitatem faciunt, essentialia nullo modo triplicantur,* inquit Fulgentius *Lib. de Trin. Relatio multiplicat unitatem*, inquit Boetius *Lib. de Trin.* Ergo.

### *Objecta diluuntur.*

*Objic.* I. Relationes oriuntur ex processionibus; *paternitas*, et *filiatio ex. gr.* ex generatione. Atqui generatio personam jam constitutam requirit; prius enim mente concipitur aliquid esse, quam operari: Ergo relationes non constituunt personas, sed iis jam aliunde constitutis adveniunt.

℟. Hac difficultate deterritos nonnullos Theologos in contrariam abiisse sententiam. Observandum tamen est, triplex esse relationis personalis munus; 1.° ut personam constituat; 2.° ut ad actum *notionalem* concurrat; 3.° ut referat personam producentem ad eam, quae producta est. Ita *paternitas* spectari potest: 1.° ut *forma* personam patris constituens; 2.° ut conditio concurrens ad actum intellectionis *notionalis*, per quam generatur Filius; 3.° ut referens personam Patris ad Filium. Unde Scholastici ajunt, relationes spectari posse et quatenus personae insunt, et quatenus eam ad aliam referunt: sive, ut ipsi loqui amant, et *secundum esse in*, et *secundum esse ad.* At haec tria relationis munera, licet mente nostra di-

stinguantur, in Deo tamen unum sunt. Hoc posito, *dist. maj.* Relationes oriuntur ex processionibus; si spectentur simul secundum triplex earum munus, praecipue quatenus ipsi personae insunt, *neg.* Si spectentur quatenus personam unam ad aliam referunt, *subdist.* Et tunc considerantur imperfecte, et non prout sunt revera in Deo, *transeat.* Spectantur perfecte, ut revera sunt, *neg. Proprietas personalis Patris*, inquit S.Thomas *I. P. Q. XL. art. 4.*, *considerari potest dupliciter: uno modo ut est relatio; et sic secundum intellectum* (nostrum) *praesupponit actum notionalem: quia relatio, in quantum hujusmodi, fundatur super actum: alio modo secundum quod est constitutiva personae; et sic oportet quod praeintelligatur relatio actui notionali, sicut persona agens praeintelligitur actioni.* Dixi autem *transeat*; quia defendi etiam potest, quod ait Suarez *Lib. III. cap. 6. et 7.*, relationes, etiam imperfecte, quatenus personam ad aliam referunt, consideratas, divinas personas constituere. Licet enim relationes *accidentales*, ut est in creatis relatio patris ad filium, personam jam constitutam requirat; non ita tamen se res habet in relationibus *substantialibus*, et *essentialibus*, qualis est in divinis relatio Patris ad Filium: sicut *ex. gr.* cum anima ex sui natura ad corpus animatum referatur (est enim natura sua forma corporis,) sequitur, relationem hanc ipsam animam constituere.

Ex hac autem responsione facile reliquae Scholasticorum argutationes dissolvi possunt. Dicunt enim 1.° Quod refertur, prius constituitur, quam referatur. Ergo relatio requirit, ac *supponit* personas jam aliunde constitutas. 2.° Omnis relatio fundamentum aliquod requirit, ex quo exurgit. Igitur relationes divinae supponunt in personis jam aliunde constitutis, fundamentum suum. 3.° Munus relationis non est rem constituere, sed tantum referre. 4.° Totam rei relatae naturam esse ad aliud. At persona non est tota ad aliud; pater *ex. gr.* spectatur et quatenus in se est, et quatenus ad filium est. Ergo non per solam relationem constituitur.

Respondetur enim haec vera esse de relationibus *accidentalibus*, ut est relatio domini ad famulum; aut etiam

etiam patris ad filium in creatis. Posse etiam haec vera esse de relationibus *substantialibus*, si spectentur imperfecte secundum id quod sunt ad alterum: secus vero si spectentur secundum triplex earum munus; praecipue secundum id quod sunt in re subjecta.

*Objic.* II. Persona ex Augustino *Lib. VII. de Trin. cap.* 6. dicitur ad se non ad alium; hoc est, absolutum aliquid, non relativum significat, alioquin, inquit, si persona ad alium diceretur, posset utique dici Pater persona Filii, et Filius persona Patris: quod absurdum est. Ergo per relationem constitui non potest.

℟. *Dist. ant.* Si nomen personae generatim usurpetur, *conc.* Si pro persona divina, *subdist.* Dicitur ad se, non ad alium, quatenus non significat relationem accidentalem, *conc.* Quatenus non significat relationem subsistentem in natura divina, cujus relationis triplex est munus, ut paulo ante diximus, *neg.* *Nomen hoc persona*, inquit S. Thomas *I. P. Q. XXIX. art.* 4., *dicitur ad se, non ad alterum; quia significat relationem non per modum relationis, sed per modum substantiae, quae est hypostasis.* Et *secundum hoc Augustinus dicit, quod significat essentiam, prout essentia est idem cum hypostasi.* Atque hac ratione dici nequit Pater persona Filii; quia, cum persona relationem significet subsistentem; si Pater persona Filii diceretur, eo utique significaretur, Patrem esse relativam Filii subsistentiam; sed nihil vetat dicere: Pater est persona ad Filium. Utrum autem persona relationem directe, an oblique significet, idem *S. Thomas* eodem in loco late disputat, cujus praestat sequi doctrinam, quam *Petavii*, qui *Augustini* sententiam, ac definitionem hac in re ex professo impugnat *Lib. IV. cap.* 11. Sed a suo i pius *Scholiaste* castigatur. Sed hac Scholastica controversia relicta, in quae aegre hactenus, atque inviti versati sumus, ne ista omnino tirones ignorarent, videamus quae sint singularum personarum nomina, quaenam eorum nominum rationes, quae attributa *notionalia*, sive *appropriata*.

§. II.

## §. II.

### *De persona Patris.*

I. Primum, et praecipuum primae Personae est nomen *Patris* in Scripturis usitatissimum, et a Patribus frequentius usurpatum. Advertendum tamen est, hoc nomen dici posse vel de ipsa Dei natura, vel de persona Patris: sive, ut Scholae ajunt, vel *essentialiter*, vel *notionaliter*. *Notionaliter* prima persona *Pater* appellatur respectu Verbi, estque nomen ejus personae proprium. *Essentialiter* vero Pater dicitur vel respectu creaturarum omnium, sicut dicitur *Job. XXXVIII.* 28. *Pater pluviae*; vel respectu hominum, qui per gratiam sanctificati, filiorum adoptionem consecuti sunt: ideoque clamant *Abba* (*Pater*) *Rom. VIII.* 15. *Notionalis* autem Paternitas prior, et nobilior est *essentiali*, et quacumque alia paternitate, ut ait Apostolus *Ephes. III.* 14. *Flecto genua mea ad Patrem Domini nostri Jesu Christi, ex quo omnis paternitas in caelis et in terra nominatur.*

II. Alterum nomen est *Ingeniti*, quod Graeci αγεννητον dicunt. Qui autem scripserunt accuratius αγεννητον, et αγενητον distinguunt. Αγενητον enim *increatum* significat, estque tribus personis commune nomen, Αγεννητον vero *ingenitum*; et quatenus excludit omne principium est proprium Patris: sicut e contrario γεννητον, nomen est Filii γενητον vero, quod *creatum* significat, divinis personis non convenit, ut observat Damascenus *Lib. I. de Fide cap.* 8. Sed hoc discrimen non omnes servavere Patres; unde nonnulli Filium dixerunt αγενητον confundentes scilicet αγεννητον, et αγενητον; nisi forte hic aliquid librariorum incuria peccaverit. Hac nominis ambiguitate abutebantur Anomoei, ut Verbo divinitatem negarent. Dicebant enim αγεννητον ita esse divinitati proprium, ut ne cogitari quidem posset Deus, qui αγεννητος non esset: imo nullam esse affirmabant inter αγεννητον et Deum distinctionem, ne illam quidem, quae est per rationem, κατ᾽επινοιαν. Qua de re fuse Petavius *Lib. V.* disserit, nosque etiam *Lib. III. cap.* 3., quantum sufficere videbatur, disputavimus.

Caeterum ex ipso *Ingeniti* nomine *Basilius* Verbi divinitatem, contra Arianos acute demonstrat. Non enim Pater diceretur *ingenitus*, nisi alia esset persona divina ab aeterno genita, a qua Pater per ingeniti nomen discerneretur.

III. Tertium nomen est *Principii*, quod peculiari ratione Patri attribuitur, eo quod sit Principium sine principio; unde a Concilio Toletano XI., et Florentino *Sess. XXIII.* dicitur *fons*, *et origo totius Trinitatis*, *et Divinitatis*: non quod principium sit sui ipsius, aut naturae divinae; sed ceterarum personarum, sine quibus non esset *Trinitas*, sed *Unitas*. Sed si nomen principii ad creaturas referatur, Trinitati commune est; unde et Filius dicitur *principium Joan. VIII.* 25. *Principium*, inquit, *qui et loquor vobis.* Verum locus hic *Joan. VIII.* 25. Theologorum ingenia torsit, ut videre est apud Maldonatum *Comment. in h. l.*

IV. Dicitur etiam aliquando a Patribus *Causa*, *Auctor*, ut videre est apud *Hilarium*, et *Augustinum*; sed cum haec nomina ambigua viderentur, eo quod innuant nescio quam inter personas inaequalitatem, jam ab usu recesserunt.

V. Attributum Patri *appropriatum* est omnipotentia; quia ipse a nullo procedens, aliarum personarum principium est, unde in symbolo eum dicimus *Patrem omnipotentem*, *creatorem caeli*, *et terrae*.

## §. III.

### *De persona Filii.*

I. Secunda persona dicitur 1.° frequenter in Scripturis *Filius*, eo quod ex substantia Patris aeterna generatione procedit.

II. Dicitur 2.° Verbum *Jo. I.* 1. *I. Jo. V.* 7. et *Apoc. XIX.* 13. etc. Graece λογος, sive terminus Paternae intelligentiae, omnia *intelligibilia* in se uno repraesentans. Atque eadem ratione a Latinis aliquando appellatur *Ratio*, *Sermo*, *Sapientia Patris*: imo et in sacris litteris absolute *Sapientia* dicitur, ut *Prov. VIII. Sap. VII. Eccli. XXIV. etc.* Aptius tamen nomen est *Verbi*, quam

quàm Sermonis; eo quod Sermo vox est prolata extrinsecus, verbum autem interior mentis foetus. Nomen autem hoc λογος, *Verbum*, aliquando a Patribus pro *essentiali* intelligentia Dei usurpatur: ideoque et Patri, et Spiritui Sancto tribuitur, ut apud Irenaeum *Lib. II. cap.* 8., et Basilium. Sed hoc rarius, et ex contextu sermonis facile intelligitur.

III. Appellatur etiam 3.° *Imago* Patris, ut *Colos. I.* 15. *Qui est imago Dei invisibilis* et *Heb. I.* 3. *splendor gloriae, et figura substantiae ejus* χαρακτηρ της υποστασεως αυτου. Ad imaginis enim rationem tria necessaria sunt: 1.° similitudo; 2.° expressio; 3.° ut haec similitudo ex ipsius productionis vi, ac natura oriatur. Requiritur quidem similitudo, ut patet; alioquin imago non erit, quae a *prototypo* aberrat. Requiritur etiam expressio; nempe, ut imago a prototypo educta sit: sic licet ovum ovo sit simillimum, non tamen unum est alterius imago; quia unum ab alio non est productum. Denique opus est, ut similitudo vi ipius productionis habeatur. Porro haec tria Filio conveniunt. Est enim Patri similis; tum quia eandem habet naturam; tum quia ipsam Patris personam perfecte repraesentat; est etiam a Patre productus, eique similis vi ipsius processionis producitur; procedit enim per intellectionem, cujus proprium est producere verbum rei intellectae simile. Unde Augustinus *Lib. XV. de Trin. cap.* 14. *Seipsum*, inquit, *dicens Pater genuit Verbum sibi aequale per omnia. Non enim seipsum integre, perfecteque dixisset, si aliquid minus, aut amplius esset in ejus Verbo, quam in ipso.* Quamvis autem *imaginis* nomen sacrae litterae soli Filio tribuant, eamque vocis proprietatem Latini Patres Hilarius *Lib. VIII. de Trin.* Augustinus *Lib. VI. de Trin. cap.* 10. *et Lib. VII. cap.* 1., Ambrosius *Lib. X. in Luc.* constanter retineant: Graeci tamen Scriptores minus hac in re accurate locuti, quam Latini, imaginis nomen Spiritui S. etiam accommodant, quem dicunt Patris, Filiique imaginem: quia ab utroque procedit, ut ex Athanasio *Epist. II. ad Serapion.* Basilio *Lib. V. Cont. Eunom.* Cyrillo *Lib. XIII. Thesauri* advertit Estius *in I. Dist. XXVII.* §. 9. Quamvis autem homo *ad imaginem* Dei sit conditus,

qua

qua de re dicemus in sequenti Libro; unus tamen Filius est perfectissima *imago Patris*, et *figura* substantiae ejus.

IV. Denique advertendum est, Filium aliquando a Veteribus appellari *Spiritum*, aut *Spiritum Sanctum*, propter divinam ejus naturam. *Spiritus* enim *est Deus*: *Joan. IV.* 24. Idque observandum apud Tertullianum *Apolog. cap.* 21. Cyprianum *de Idolor. vanit.*, Lactantium *Lib. IV. cap.* 6., et alios.

V. Attributum Filio *appropriatum* est *Sapientia*; eo quod ex Patris intelligentia procedit, ut paulo ante diximus; ita ut Sapientia aliquando ipsam Filii personam significet, aliquando attributum ei *appropriatum*.

## §. IV.

### *De persona Spiritus Sancti.*

I. Tertia persona dicitur 1.° Spiritus Sanctus: eo quod ex sancto Patris, et Filii amore procedit; *Spiritus* enim impulsum significat, unde ventum saepe spiritum sacrae litterae appellant: at proprium amoris est animam impellere in rem amatam, ut observat S. Thomas *Lib. IV. cont. Gent. cap.* 19., *et seq.*

II. Dicitur etiam 2.° *Donum*, non quidem respectu Patris, et Filii, quorum ab aeterno est per naturam, et a quibus procedit; sed respectu rationalium dumtaxat creaturarum, cum irrationalibus rebus nihil donari, sed dari tantum, aut praeberi possit. Hoc autem nomen habet propter eandem amoris rationem. Amor enim est omnium donorum primum, et ex eo omnia dona proficiscuntur. Unde Spiritus Sanctus, licet non sit donatus, nisi in tempore, sicut legimus *Joan. VII.* 39. *nondum erat Spiritus datus*; ab aeterno tamen procedit; ut donum, sive *donabilis*, ut observat Augustinus *Lib. V. de Trin. cap.* 15.; ideoque licet Filius etiam in Scripturis legatur datus, ut *Joan. III.* 16. *sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret*; et *Is. IX.* 6. *Filius datus est nobis*; proprie tamen doni nomen Spiritui Sancto tribuitur. Dicitur etiam *Para-*

*cle-*

*cletus*, sive consolator; eo quod charitatem in corde nostro diffundens, mire animum solatur, ac reficit.

III. Denique appellatur etiam *charitas*, *amor*, *unio*, *vinculum*, *complexus Patris*, *et Filii*: quae omnia ex ipsa ratione processionis, Spiritui Sancto tributa sunt.

IV. Atque eandem ob causam quaecumque ex charitate, bonitate, misericordia Dei profecta sunt, Spiritui Sancto *per appropriationem* aptantur. Hinc divinorum largitio donorum ipsi tribuitur *Isa. XI.* 2., *Joel. II.* 28., *Joan. VII.* 39. *et XIV.* 16., *I. Cor. XII. etc.* imo et omnia, quae ad hominum salutem operatus est Christus, Spiritui S. sacrae litterae tribuunt, ut ejus conceptionem *Luc. I.* 35., jejunium *Matth. IV.* 2., miracula *Matth. XII.* 28., sacrificium in cruce *Heb. IX.* 14., resurrectionem *Rom. VIII.* 11. Denique hominum sanctificationem in scripturis Spiritui S. passim tribui, nemo est, qui ignoret. Æquum enim erat, ut opera, quae charitatem Dei commendant, ei potissimum personae attribuerentur, quae ex perfectissima Patris, et Filii Charitate procedit. Vide de singularum personarum nominibus fuse, et erudite disserentem Petavium *Lib. V. cap.* 5., *et L. VII. cap.* 7. *et* 12.

## C A P. XII.

### *De ratione, et modo loquendi circa SS. Trinitatem.*

Restat, ut quasdam tradamus regulas, ex quibus de SS. Trinitate loquendum est, ne incauta locutio errorem aliquem, aut haeresim sapiat. Nam, ut ait Augustinus *Lib. X. de Civ. cap.* 23. *Liberis verbis loquuntur Philosophi, nec in rebus ad intelligendum difficillimis offensionem religiosarum aurium pertimescunt. Nobis autem ad certam regulam loqui fas est, ne verborum licentia, etiam de rebus, quae his significantur, impiam gignat opinionem.* Quae quidem regulae ex ipso catholico dogmate facile eruuntur. Cum enim constet, unam esse Dei essentiam, tres personas a se invicem reipsa distinctas, quarum secunda procedit a prima, et tertia a prima et secunda, neque inter personas, et es-

essentiam esse ullam *realem* distinctionem; manifestum est, quamlibet enunciationem esse falsam, quae aut multiplicem facit essentiam, aut numerum tollit personarum, aut perperam exprimit earum processiones, aut realem distinctionem ponit inter ipsas, et essentiam.

Hinc sequitur I. dici non posse in Trinitate *aliud*, et *aliud*; sed *alius*, et *alius*. Prior enim locutio essentiam facit multiplicem. *Alius est*, inquit Augustinus *Tract. XXXVI. in Joan.*, *recte dicis*: *aliud*, *non recte. Alius enim est Filius*, *quia non est ipse*, *qui Pater*; *et alius Pater*, *quia non est ipse*, *qui Filius*; *non tamen aliud*, *sed hoc ipsum est et Pater*, *et Filius*.

II. Dici non posse: *essentia generat*, aut *generatur*, aut *procedit*. Si enim hoc verum esset, multiplex esset essentia. Qua in re *Abbas Joachim* merito reprehenditur. Asserens enim contra *Petrum Lombardum*, *essentiam* generare, generari, et procedere, multiplicem fecit Dei essentiam, neque aliam in Deo unitatem posuit, quam illam, qua dicimus, plures homines esse unum populum. Dixerunt quidem nonnulli veteres Graeci, Filium esse ουσιαν γεννητην, *substantiam genitam*; sed illi ουσιαν pro hypostasi posuerunt, ut *cap. II.* monuimus. Nunc definita horum nominum significatione, ab hac loquendi ratione recedendum est. Quamvis autem nonnulli Patres improprie locuti, ita affirmaverint: *Deus de seipso*, *quod ipse est*, *genuit*, ut Augustinus *Lib. de fid. et symb. cap.* 3. *Filius est essentia de essentia*, ut idem Augustinus *Lib. VII. de Trin. cap.* 2. *Divinitas Filii de natura Patris nata est*, ut Fulgentius *Lib. de fid. ad Pet. cap.* 2., aut ejusdem generis alia, quae apud veteres occurrunt; eorum tamen dicta benigne intelligenda sunt, et commoda interpretatione mollienda, ut monet *Estius in I. Dist. V.* §. 2. Nihil enim aliud sibi volunt, nisi Filium non de nihilo factum, ut Ariani dictitabant, sed ex Patre genitum, unam, eandemque habere divinam cum Patre naturam. Quamquam autem natura divina genita non est: non potest tamen uno vocabulo dici *ingenita*; cum *ingeniti* nomen proprie Patri tribuatur, significetque personam, quae a nullo procedens, aliarum principium sit.

III.

III. Appellari non posse Deum *triplicem*, licet recte dicatur *Trinus*. Qui enim triplicem dicit Deum, ipsam ejus substantiam quodammodo multiplicem esse significat. Unde Augustinus *Lib. VI. de Trin. cap.* 6. *Nec quoniam Trinitas est, ideo triplex putandus est; alioquin minor erit Pater solus, aut Filius solus, quam simul Pater, et Filius*: cui concinit S. Thomas *I. P. Q. XXXI. art. I. ad* 3. Quapropter etsi Petavius *Lib. VIII. cap.* 9. variis rationibus eam locutionem excuset, atque ex *Cicerone* probet, triplicem, ac trinum apud Latinos idem significare, nobis tamen *Augustini* auctoritas, et ratio potior est.

IV. Itidem admitti non posse voces *uniti*, *conjuncti*, ita ut dicatur Deus esse *aliquid unitum* ex tribus personis; haec enim simplicitati naturae divinae officiunt.

V. E contrario retinendum esse nomen *Trinitatis* jam inde a secundo Ecclesiae saeculo a Patribus constanter usurpatum; ex communi enim usu fixum, ac definitum est non ad essentiae, sed ad personarum numerum explicandum; quidquid in contrarium nonnulli haeretici cavillantur, quos redarguit ipse Calvinus *Lib. I. Inst. cap.* 13. *et Inst. c.* 6.

VI. Pari ratione quia Deus, et *Deitas* inter se reipsa non distinguuntur, sicut dicitur a Patribus *Deus trinus*, sic et *trina Deitas*, sicut et *trina Unitas*, et *una Trinitas*, et *virtus trina*, et *trina Majestas. Hincmarus* quidem *Rhemensis* Saec. IX. *Gothescalcho* illud praeter alia objecit, quod *trinam Deitatem* diceret; ideoque in hymno martyrum corrigi jussit eum versum: *Te trina Deitas, unaque poscimus*, pro quo cani voluit: *Te summa o Deitas.* Sed Ecclesia in hymno, qui in *Festo Corporis Christi* canitur *Gotescalchi* locutionem retinuit; et merito, cum eam usurpaverint etiam Augustinus *Lib. de duabus animab.*, *Lib. XII. Confes. cap.* 7., *Serm. LII. de Verb. Dom. et Lib. I. Retract. cap.* 15. *n.* 8.; ideoque judicium Hincmari nimis rigidum, et severum judicavit; cum utrumque dici posset: *summa Deitas*, ut in hymno *Martyrum*; et *trina Deitas*, ut in hymno *Corporis Christi*.

VII. Quoniam nomina *adiectiva concreta*, ut *aeternus*, *immensus*, *omnipotens* conveniunt simul et natu-

rae

rae, et personis, hinc efficitur, ut si ad significandam naturam usurpentur, dici non possint *tres aeterni*, nec *tres immensi*, nec *tres omnipotentes*, sicut in symbolo, quod *Athanasio* tribuitur, habemus: *aeternus Pater, aeternus Filius, aeternus Spiritus Sanctus, et tamen non tres aeterni, sed unus aeternus etc.* E contrario si adhibentur ad designandas personas, non est absurdum dicere *tres aeternos*; significant enim tres personas, habentes aeternitatem. Sed alia ratio est de *adjectivis abstractis*, ut est *aeternitas*, *immensitas etc.*, quae cum nonnisi ad designandam naturam possint usurpari, dici non possunt in Deo *tres aeternitates*, *immensitates etc.*

VIII. Vitandas esse has voces *unicus*, *singularis*, *solitarius*; destruunt enim personarum numerum. Unde S. Thomas *I. P. Q. XXXI. art. 2. Ad vitandum*, inquit, *Sabellii errorem, vitare debemus singularitatem, ne tollatur communicabilitas essentiae divinae. Unde Hilarius dicit Lib. VII. de Trin. Patrem, et Filium singularem Deum praedicare, sacrilegum est.* Caeterum cum ex contextu patet, sermonem esse de natura divina, non de personis, Deum appellare Unicum, ad excludendum polytheismum, non esse absurdum; sed semper satius est *unum* dicere, quam *unicum*.

IX. Personas appellari debere *distinctas*, *discretas*; non vero *sejunctas*, *separatas*, *discrepantes*, *dissimiles etc.* ne significetur, eas non esse reapse idem in una simplicique essentia. Hinc idem S. Thomas *I. P. Q. XXXI. art. 2. Ne tollatur*, inquit, *simplicitas divinae essentiae, vitandum est nomen separationis, et divisionis, quae est totius in partes. Ne autem tollatur aequalitas, vitandum est nomen disparitatis. Ne vero tollatur similitudo, vitandum est nomen alieni, et discrepantis.*

XI. Porro tres divinas personas *similes*, et *aequales* esse, fide catholica tenendum, et affirmandum. Quod a Scripturis, et Patribus traditum, in Concilio Lateranensi IV. sancitum est. Haec tamen similitudo, et aequalitas non ceterarum rerum more intelligenda est, quarum similitudo, aut aequalitas in pari, sed distincta qualitate, aut quantitate fundatur, cum in Deo nec qualitas proprie sit, nec quantitas; sed substantia sola; cui nulla potest alia aequalis esse, aut similis, nisi una,

ea-

eadem sit. Cum igitur tres personae dicuntur aequales, et unitas naturae, et numerus, atque distinctio personarum explicatur. Unitas quidem naturae; quia nulla potest Deo aequalis esse persona, nisi eandem naturam habeat: distinctio vero personarum; quia nemo sibimetipsi aequalis dici ullo modo potest.

XI. Recte autem dici potest: *Pater est sua aeternitas, immensitas, etc. Essentia est Pater, Filius, Spiritus Sanctus*: quia essentia a personis reipsa distincta non est: sed dicere nefas est: *Pater est Filius*, *aut Paternitas est Filiatio*, propter realem eorum distinctionem.

XII. Illud etiam quaesitum est, an Pater dici possit *sapiens sapientia genita*, sive Verbo? et an *Pater*, et *Filius diligant se Spiritu Sancto?* Qua in re distinguendum est: *si sapere*, et *diligere*, dicantur *notionali* sensu, hoc est: *Pater sapiendo*, *sive intelligendo*, *Sapientiam*, *sive Verbum generat*; et *Pater*, et *Filius diligendo se*, *Spiritum Sanctum producunt*, utraque propositio vera erit. At si sapere, et diligere dicantur *essentialiter* eo sensu, quasi Verbum forma sit, et principium intellectionis Paternae; et Spiritus Sanctus sit forma et principium dilectionis, falsae erunt ambae propositiones, quare eo sensu ejusmodi propositiones rejicit Augustinus *Lib. I. Retract. cap.* 26. et *in Libris de Trinitate* pluribus locis.

XIII. Praeterea nomen *Deus* plerumque pro natura usurpatur; sed aliquando pro persona una, ut cum Filius dicitur *Deus de Deo*: quod ex ipsa sermonis serie dijudicandum est.

XIV. Disputatum etiam est a Theologis, utrum in Deo *tria individua* proprie dici possint. Et Thomistae quidem passim negant; quia *individuum* directe naturam significat, oblique personam, in qua subsistit. Verum si addatur aliquid, per quod ad personam directe significandam coarctetur oratio, cur tria individua dici non possint, non satis causae esse videtur. Ne quis tamen loquendo Scholas adversum se concitet Theologorum, satius erit ab ea dicendi ratione abstinere.

XV. Denique advertendum est, inter nomina *propria*, et *appropriata* illud esse apud Theologos discrimis ni-

nis, quod propria nomina cujusque personae notionem exprimunt, nec alteri convenire possunt: *appropriata* vero omnibus sunt personis communia; sed aptantur uni propter quandam cum ejus notione congruentiam. Vide de his loquendi regulis Estium *in I. Sent.*, Sylvium *in I. Part. S. Thom.* etc.

## C A P. XIII.

### *Utrum notitia mysterii SS. Trinitatis sit ad salutem necessaria.*

*Adv.* I. Notitia mysterii hujus alia *implicita*, alia *explicita* est. Prior est qua confuse creditur unius Dei existentia, ignorato prorsus personarum numero; sed agnita tamen sublimitate ejus naturae, quae humanae mentis aciem, et captum longe excedit. Qui enim fatetur esse Deum, illumque, prout in se est, a nobis cognosci non posse, *implicite* Trinitatem confitetur; Deus enim, prout in se est, Trinitas est. At *explicita* cognitio Trinitatis est, qua quis credit esse unum numero Deum in tribus personis.

II. *Explicita* Trinitatis notitia non erat ad salutem necessaria iis, quibus ante Evangelii promulgationem non fuerat clare revelata, quales fuerunt omnes Gentiles, et rudiores Judaei.

III. Post Evangelii promulgationem haeretici *Remonstrantes*, licet Trinitatem agnoscant; contendunt tamen, ejus notitiam non esse articulum fidei *fundamentalem*, ita ut sine salutis dispendio ignorari, imo et negari possit; quam ob rem ipsi cum Socinianis communione conjuncti sunt.

IV. Nonnullos alioquin catholicos, moralis Theologiae auctores dicere non puduit, salutem consequi posse homines, licet culpa sua ignorent mysterium Trinitatis, et Incarnationis. Caeterum licet Theologi omnes doceant, necessariam esse ad salutem fidem Trinitatis explicitam, non tamen inter omnes convenit, utrum ea dicenda sit necessitas *medii*, an *praecepti*.

PROPOSITIO.

*Post Evangelii promulgationem fides SS. Trinitatis explicita ad salutem necessaria est necessitate medii.*

*Prob. ex Scriptura.* Joan. *III.* 18. *Qui credit in eum, non judicatur: qui autem non credit, jam judicatus est: quia non credit in nomine Unigeniti Filii Dei.* Et Petrus *Act. IV.* 12. de eodem Filio loquens, ait · *Non est in alio aliquo salus. Nec enim aliud nomen est sub caelo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri.* Quibus, aliisque similibus locis manifestum est, ad salutem requiri non solum fidem in Deum unum, verum etiam in Patrem, et Filium, et quidem incarnatum. At non potest haberi fides incarnationis sine fide etiam in Spiritum Sanctum, cujus opera et Filius incarnatus est, et homines Filii merito sanctificati sunt, ut advertit S. Thomas 2a. 2ae. *Q. II. art.* 8. ; et ante eum Ambrosius *Lib. I. de Spir. S. cap.* 3. *Qui unum dixerit, Trinitatem significavit. Si Christum dicas, et Deum Patrem, a quo unctus est Filius, et ipsum, qui unctus est, Filium, et Spiritum, quo unctus est, designasti.* Ergo.

Praeterea *Matth. XXVIII.* 19. *et Marc. XVI.* 16. *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti . . . Qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit: qui vero non crediderit, condemnabitur.* Quibus verbis exigit simul Christus et baptismum, et fidem in SS. Trinitatem, ut *medium*, sine quo nemo salutem consequi potest: imo magis fidem, quam ipsum Baptismum, ut ait Bernardus *Epist. LXXVII. Caute, et vigilanter non repetivit: qui vero baptizatus non fuerit: sed tantum: qui vero non crediderit, innuens solam interdum sufficere fidem ad salutem, et sine ipsa sufficere nihil.* Unde Ecclesia fidem Trinitatis ante Baptismum semper a cathecumenis exegit. Quapropter merito *Innocentius XI.* anno 1679, eam propositionem proscripsit: *Absolutionis capax est homo, quantumvis laboret ignorantia mysteriorum fidei: etiamsi*

*etiamsi per negligentiam, etiam culpabilem, nesciat mysterium SS. Trinitatis, et Incarnationis Domini.* Quae propositio damnata etiam est ab Academia Lovaniensi anno 1653., et a Clero Gallicano anno 1700.

## *Diluuntur Objecta.*

*Objic.* I. Id solum ad salutem necessarium est, quod solum exigit Apostolus. Atqui Apostolus exigit dumtaxat fidem in Deum remuneratorem: *Heb. XI.* 6. *credere ... oportet accedentem ad Deum quia est, et* quod *inquirentibus se remunerator sit.* Ergo non requiritur fides Trinitatis *explicita.*

℟. *Neg. min.* Ex verbis enim Apostoli patet, necessariam esse fidem in Deum remuneratorem, tamquam basim, et fundamentum aliorum; sed non solam sufficere; id enim non dicit Apostolus, nec dicere poterat, reclamantibus aliis Scripturae locis.

*Objic.* II. Si fides explicita Trinitatis necessitate *medii* requireretur ad salutem, multa hominum millia damnarentur, qui de hac fide nihil audire potuerunt; imo multa etiam Christianorum millia, qui rudioris sunt ingenii, nec claram Trinitatis ideam possunt apprehendere. Atqui hoc absurdum est, si infinitam Dei bonitatem, et misericordiam attendas. Ergo.

℟. *Neg. maj. quoad* 2m. *part.* Nullus enim est ingenio adeo hebes, ut, adjuvante gratia Dei, non possit, saltem ruditer quantum sufficit, Mysterium Trinitatis apprehendere. Quod si quis revera sit ejusmodi, is certe infantibus, et semifatuis comparabitur, quibus utique ignorantia non erit salutis impedimento. At *dist.* 1m. *part. maj.* Multa hominum millia damnarentur ob hanc ignorantiam, *neg.* Ob alia peccata, *conc.* Infidelitas enim *negativa* in iis, qui mysteria fidei audire non potuerunt, peccatum non est, ut suo loco dicemus: non ergo ob eam damnantur, sed propter eorum peccata. Quod si quis infidelis *negativus*, divino auxilio adjutus, omnia praecepta legis naturalis servaret, non deesset ei Deus, ut revelaret ei vel per praedicatores, vel per Angelos, vel per interiorem revelationem ea, quae scitu necessaria sunt ad salutem, sicut non defuit Cornelio Centurioni

 *Act.*

*Act. X.* Haec est responsio *S. Thomae* solidissima. Sicut enim Deus incepit in eo infideli opus bonum, adjuvans illum, ut omnia legis naturalis praecepta servaret; ita Deus ipse opus suum perficiet, adducens illum ad fidem. Si vero quaeras, cur Deus non ita adjuvet infideles omnes negativos, ut a pueritia omnem naturae legem servent, atque hinc adducantur ad fidem? respondere facile possemus, Deum nonnullis propter eorum peccata denegare gratiam, quia justus est; aliis autem largiri, quia misericors est; sed si iterum urgeas, cur erga istum potius, quam erga illum justitiam voluit, aut misericordiam exercere? unum est quod respondere possimus: *O altitudo divitiarum sapientiae, et scientiae Dei! ... Numquid iniquitas apud Deum? Rom. IX.* 14. *et XI.* 33.

*Corollarium.*

Graviter ergo peccant, non solum qui addiscere negligunt, sed etiam qui, cum ex officio debeant, docere non curant mysterium Trinitatis; quae enim necessaria sunt *necessitate medii*, etiam *necessitate praecepti* necessaria sunt; ideoque omnibus discenda praecipiuntur; nonnullis etiam docenda.

## CAP. XIV.

### *Utrum mysterium Trinitatis ratione naturali cognosci, et demonstrari possit.*

*Adv.* I. Demonstrari potest aliquid vel *positive*, ex internis scilicet causis, atque principiis; vel *negative*, scilicet objecta diluendo.

II. De negativa demonstratione, quae minus accurate demonstratio dicitur, infra erit dicendi locus. Quaeritur ergo hic, an mysterium Trinitatis demonstrari positive queat, seclusa revelatione, aut saltem posita revelatione? Qua in re tres sunt sententiae.

III. Prima sententia est *Claudiani Mamerti Lib. II. de Statu Animae cap.* 7., qui tenet, posse hoc mysterium sola ratione naturali demonstrari, etiam seposita reve-
la-

latione, unde ait: *Plato unum Deum, et tres in divinitate personas laudabili ausu, mirabili ingenio, inimitabili eloquio, quaesivit, invenit, prodidit . . et indivisam Trinitatem non solum ita credi oportere docuit, sed etiam convicit.* Altera sententia est *Petri Abaelardi*, de quo Bernardus *Epist. CXC.*; et *Raimundi Lulli Lib. de articulis fidei, et Lib. de Demonstratione aequiparantiae*, et aliorum qui docent, posse id demonstrari, saltem posita revelatione. Tertia est inter Theologos communis, nullo pacto, etiam posita revelatione, mysterium Trinitatis ratione demonstrari posse.

## PROPOSITIO I.

*Nullo pacto potest naturali ratione mysterium Trinitatis, etiam posita revelatione, demonstrari.*

*Prob.* I. Scripturae docent, mysterium hoc absconditum esse, nec alia ratione, nisi per revelationem, et fidem cognosci posse. *Matth. XI.* 27. *Nemo novit Filium, nisi Pater: neque Patrem quis novit, nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare.* Et *Matth. XVI.* 17. cum Petrus Christum Dei Filium confessus esset, respondit Christus: *Beatus es Simon Bar-Jona: quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in caelis est.* Isaiae *LIII.* 8. *Generationem ejus quis enarrabit?* Et Apostolus I. *Cor. II.* 11. *Quae Dei sunt, nemo cognovit, nisi Spiritus Dei.* Ergo etc.

*Prob.* II. Patres docent, Trinitatem longe esse supra humanae rationis captum. Augustinus *Lib. XV. de Trin. cap.* 6. *Quis*, inquit, *disputandi modus, quaenam tandem vis intelligendi, atque potentia, quae vivacitas rationis, quae acies cogitationis ostendit, quomodo sit Trinitas?* Idem docent Athanasius *Epist. I. ad Serapionem*, Hilarius *Lib. II. de Trin.*, Hieronymus *Lib. XVIII. in Isaiam* (a).

*Prob.*

---

(a) Fulgentius *Lib. II. ad Trasimund. cap.* 1., Ambrosius *Lib. I. de Fide ad Gratian. cap.* 18.: Bernardus *Lib. V. de Consid. cap.* 8.

*Prob.* III. ratione S. Thomae *I. P. Q. XXXII. art.* 1. Omnis demonstratio vel est *a priori*, sive per causas; vel *a posteriori*, sive per effectus. Atqui Trinitas non potest demonstrari a priori, cum nullam habeat causam, quia est ipse Deus; neque a posteriori, cum nullum habeat effectum extra Deum; creaturae enim a Deo effectae sunt, non quatenus Trinus est, sed quatenus unus, et omnipotens est. Ergo.

### *Solvuntur Objecta.*

*Objic.* I. Sunt quaedam nota lumine rationis, ex quibus, saltem posita revelatione, potest demonstrari mysterium Trinitatis. Ergo. *Prob. ant.* 1.° Mens humana, quae ad imaginem Dei condita est, intelligit, et vult: intellectionis autem, et voluntatis foetus sunt verbum, et amor. Ergo etiam in Deo debet esse Prima persona, quae per intellectionem producit Verbum, et per voluntatem una cum Verbo producit Spiritum Sanctum. Dixi *una cum Verbo*; nam voluntas non operatur nisi praelucente intellectione, et verbo mentis. 2.° Ea est boni natura, ut sese diffundat, et communicet quantum potest; ac proinde bonum infinitum, nempe Deus, infinite seipsum communicare debet; non potest autem communicari infinite extra se; quia creatura boni infiniti capax non est. Debet igitur infinite communicari intra se ipsum per intellectionem, et voluntatem, ideoque tres erunt in Divinitate personae. 3.° Omnes creaturarum perfectiones excellentiori modo sunt in Deo. Ergo si in creaturis est virtus producendi sibi simile, debet etiam esse in Deo: unde ipse Deus apud Isaiam *cap. LXVI.* 9. *Numquid*, inquit, *ego qui alios parere facio, ipse non pariam ...? si ego, qui generationem ceteris tribuo, sterilis ero .....?* Quae ratio probat saltem, non esse unam Divinitatis personam. Ergo.

℟. *Neg. ant.* Ad 1m. Licet humana ratio cognoscat, esse in Deo *intellectionem*, et *volitionem*, ipsa tamen sola evincere non potest, terminos *intellectionis*, ac *volitionis* esse duas personas a se invicem, et a prima distinctas; quin etiam propter infinitam Dei simplicitatem, quam evidenter cognoscit, concluderet, quod sicut intelle-

tellectio, et volunlas in Deo non sunt duo, sed unus simplicissimus actus, ab essentia non distinctus; ita et Verbum, et Amor non sint distinctae, et subsistentes personae, sed una persona ab ipsa intelligentia, voluntate, et essentia non distincta.

*Ad* 2m. Cognoscit quidem humana ratio, Deum esse bonum infinitum; non inde tamen sequitur, ut debeat intra se in productione aliarum personarum infinite diffundi. Sufficit enim, ut diffundatur extra se modo infinito, hoc est per infinitam potentiam, quam in creatione adhibuit; per hanc enim verum est, bonum infinitum infinite seipsum communicare; non quoad rem, sed quoad modum.

*Ad* 3m. Omnes creaturarum perfectiones sunt in Deo vel *formaliter*, vel *eminenter*, *conc.* Omnes *formaliter*, *neg*. Perfectiones enim creaturarum, quae imperfectum aliquid includunt, non sunt in Deo, nisi eminenter, tamquam in causa. Omnis autem generatio; lumine naturali nota, imperfectum aliquid vel supponit, vel includit. Supponit enim 1.° naturam esse finitam, quae fieri potest in individuis multiplex; et mutabilem, quae per generationem conservari debeat. 2.° includit etiam naturalem defectum, quo genitus genitore minor est, ab eoque pendet, tamquam a causa. Igitur si sola consulatur humana ratio, concludendum esset, non esse in Deo generationem. Locus *Isaiae* vero non de generatione Verbi, sed de mirabili Christianae religionis propagatione, et multiplicatione fidelium intelligendus est. Sed etsi intelligendus esset de generatione Verbi, vera esset Prophetae conclusio; sed ex sola fide, non ex ratione naturali illius veritas ostendi potest.

*Objic*. II. Mysterium Trinitatis non potest demonstrari impossibile. Ergo potest demonstrari possibile.

*Prob. cons.* Inter possibile, et impossibile nihil est medium. Ergo quod demonstrari non potest impossibile, necesse est, ut demonstrari possit possibile.

℟. *Neg. cons.* Ut enim aliquid demonstrari non possit impossibile, sufficit, ut argumenta omnia solvantur quae suadere videntur, rem esse impossibilem. Sed ut demonstretur possibile, necesse est, ut ex insitis rationibus, atque principiis id esse possibile ostendatur.

Licet

Licet autem ratione possint utcumque dissolvi argumenta contra mysterium Trinitatis; non tamen potest ex insitis principiis possibile demonstrari. Ad *confirmationem* dicimus, quod licet inter possibile, et impossibile nihil sit medium, cum sint duo contradicentia; tamen cum demonstrare possibile, et demonstrare impossibile, non sint contradicentia, sed ambo affirmantia, datur inter ea medium, nempe quod non potest demonstrari neque possibile, neque impossibile.

*Objic.* III. Creaturae habent necessarium cum SS. Trinitate connexum; quia ab illa pendent, et productae sunt. Ergo potest ex creaturis demonstrari Trinitas.

℟. *Dist. ant.* Habent necessarium cum Trinitate connexum lumini naturali notum, *neg.* Lumini naturali impervium, *conc.*

*Objic.* IV. Praeter demonstrationem a priori, et posteriori, datur etiam demonstratio, quae a *Raimundo Lullo* dicitur demonstratio *aequiparantiae*, sive a re simili. Ergo ex eo quod SS. Trinitas non possit neque a priori, neque a posteriori demonstrari, non efficitur, nullo pacto demonstrari posse.

℟. *Dist. ant.* Dari potest demonstratio *aequiparantiae* inter res similes, *transeat.* Inter res infinite dispares, *neg.* Cum enim inter Deum, et creaturas infinita distantia sit, patet, demonstrationem a re simili non posse hic habere locum. Dixi autem *transeat*, quia cum nulla res sit alteri adeo similis; quin aliqua inter eas intercedat dissimilitudo, plerumque argumentum a re simili non potest ad evidentiam demonstrationis pertingere.

## PROPOSITIO II.

*Gentiles Philosophi accurata SS. Trinitatis notitia caruerunt; si quid vero obscure de ea noverunt, ab Hebraeis potuerunt accipere.*

*Prob.* 1a. *pars.* Nullus e veteribus Philosophis clare agnovit, et docuit, unam esse *numero* divinam naturam in tribus personis. Nam *Plato*, qui ceteris sublimius de

de Deo scripsit, licet *in Epistola II. ad Dionysium*, et *in alia ad Hermiam*, quas laudant *Eusebius*, *Clemens Alex.* aliiq. veteres, tres personas videatur agnovisse: tamen 1.° non constat, utrum personas ipsas putaverit distinctas, an vero unam, eandemque personam tribus attributis ornatam: 2.° unam naturam in tribus personis non agnovit: sed potius tres Deos: aut unum Deum, alias vero duas, creaturas omnium nobilissimas Unde S. Thomas *Lib. IV. con. Gent. cap. 6.* inquit: *Haec positio Arii, et Eunomii videtur a Platonicorum dictis exorta, qui ponebant summum Deum Patrem, et Creatorem omnium rerum, a quo primitus effluxisse dicebant quandam mentem, in qua essent omnium rerum formae, superiorem omnibus aliis rebus, quam paternum intellectum nominabant, et post hanc animam mundi, et deinde alias creaturas.* Et *Cyrillus Alex. Lib. VIII. cont. Julian. Verumtamen cum tres primigenias hypostases ipsi quoque* ( Platonici ) *statuant, et usque ad tres hypostases essentiam Dei pertinere asserant, atque interdum ipsum Triadis usurpent vocabulum, Christianorum suffragantur sententiis: nec ad eam rem quidquam eis deesset, si consubstantialis vocabulum accommodare vellent tribus hypostasibus, ut etiam una intelligeretur natura Divinitatis.*

Praeterea *Origenes* in veterum Philosophorum lectione versatissimus *Lib. I. de Princ. cap.* 3. affirmat, omnes Philosophos ignorasse Spiritum Sanctum; quamvis aliqua de Deo, ejusque Verbo obscure cognoverint. Idem docent Didymus *Lib. de Spiritu S.*, Augustinus *Lib. II. Quaest. in Exod.*

Denique si aliqui ex veteribus Philosophis Trinitatem cognovissent, et docuissent, non tantae offensioni, aut irrisioni patuisset hoc mysterium, cum a Christianis propositum fuit. Ergo.

*Prob.* 2a. *pars.* Certum est, veteres Philosophos in primis *Platonem*, et *Pythagoram*, diu, multumque peregrinatos esse per Phoeniciam, et Ægyptum, ut rerum scientiam undequaque colligerent. Ergo credibile non est, eos non consuluisse vel libros, vel Sacerdotes Hebraeorum, ut eorum Theologiam sublimitate, et majestate sua venerandam, scrutarentur. Hinc merito Patres do-

docent, quidquid veri de Deo dixerint Philosophi, ab Hebraeis accepisse. Ita Justinus *Apol. II.* Eusebius *Lib. XI. Praep. Evang. cap.* 10. Basilius *Homil. XVI.*, Theodoretus *Serm. II. de Graec. affectionib.*, Clemens Alex. *Lib. V. Strom.*, Augustinus *Lib. II. de Doct. Christ. cap.* 28. Ergo etc. Vide Natal. Alex. *Hist. IV. Mundi aetat. cap.* 7., et Huetium tum *in Demonstr. Evang.*, tum *in Alnetanis.*

*Solvuntur Objecta.*

*Objic.* I. *Zoroastres Bactrianus*, qui tempore *Semiramidis* floruisse dicitur, duas saltem personas divinas agnovit, *Patrem*, et *mentem secundam. Mercurius* vero *Trismegistus*, quem Moysi coaevum fuisse ferunt, clare dicit *in Pimandro*: *Monas genuit monadem, et in se suum reflexit ardorem*: quae verba Patrem, Filium, et Spiritum Sanctum aperte innuunt. Etiam Sybilla Erythraea *Jesum Christum*, *Dei Filium* conceptis verbis praedicat. Ergo.

℟. *Neg. cons.* Suppositia enim sunt *Zoroastris, Trismegisti*, et *Sybillae* istius opera; et ab ipsis Christianis animo quidem, et fine non malo, sed tamen fraudulenter composita. Vide Petavium *Lib. I. cap. II.*, Casaubonum *Exercit. I. cont. Baron.* Quod si contendas, carmina Sybillina non posse dici, saltem omni ex parte supposititia, quippe quae a Patribus laudata sint contra Gentiles; respondendum est, Sybillas non naturali lumine ea cognovisse, quae scripserunt, sed per divinam revelationem, et prophetiam, quae cum sit gratia *gratis data*, potest etiam esse in peccatoribus, ut in Balaam *Num. XXIII.*, et in Caipha *Joan. XI.* 51., multoque magis in ipsis Sybillis ob meritum fortasse virginitatis, ut nonnulli Patres opinantur.

*Objic.* II. Plato *in Epist. II. ad Dionysium*, et *in Epist. VI. ad Hermiam*, *Erastum*, et *Coriscum*, aperte tres Personas in Divinitate distinguit, quarum primam, appellat *Patrem*; secundam *principium*, *mentem*, *Opificem*; tertiam vero *animam mundi.* Hinc Patres passim Gentilibus, et Haereticis Trinitatem oppugnantibus, *Platonem* objecerunt. Ergo.

℟. *Dist.*

℟. *Dist. ant.* Tres personas agnovit diversae naturae, hoc est tres Deos, *transeat.* Ejusdem naturae, *neg.* Ita Platonis mentem explicant ipsi ejus discipuli. Vide Macrobium *Lib. I. in Somnium Scipion. cap.* 14., Plotinum *Enneade V. Lib. I. cap.* 3. *et seq.* Unde Cyrillus Alex, *Lib. III. in Julian. Plato*, inquit, *unum quidem esse opificem statuit omnium causam, quem et mundo attentum ait fuisse; sed ante eum extitisse Deum alterum, sive ideam boni. Tertiam autem etiam causam affabricatur, ordine quidem, et natura primis inferiorem, quam et rerum animam appellat.* Ita etiam loquuntur alii Patres, ut merito dixerit *S. Thomas*, Platonem Ario praelusisse. Cum igitur iidem Patres contra Gentiles, et haereticos Platonis auctoritatem urgent, non ita intelligendi sunt, quasi accuratam SS.Trinitatis scientiam ei attribuerint; sed ut eos revincerent, longius a veritate recessisse, quam Plato, qui licet veritatem ipsam non tenuerit, ad eam tamen aliquo pacto accessit.

*Objic.* III. Aristoteles *Lib. I. de Caelo Textu* 2. docet, veteres numero ternario Deum coluisse. Ergo Trinitatem agnoverunt.

℟. *Neg. cons.* Colere enim Deum numero ternario apud *Aristotelem* non est agnoscere Deum trinum; sed in cultu Dei, sive in precibus, et sacrificiis ternarium numerum, cui perfectionem quandam inesse veteres censebant, adhibere.

## *Scholion.*

De iis Philosophis intelligenda propositio est, qui ante Christum scripserunt. Postquam vero Christiana religio propagata est, mirum videri non debet, si Platonici multa e nostris accepta in suos libros derivarunt, ita ut dicere potuerit Augustinus *Lib. VII. confes. cap.* 9. *et alibi* in quibusdam se Platonicorum libris primum Evangelii *Joannis* caput, licet aliis expressum verbis, invenisse. Quod autem *Clericus, Moshemius*, aliique haeretici effutiunt, ex Platonica potius Philosophia Patres nonnulla de Trinitate mutuatos, non minus stultum, quam impium est. Vide P. Baltus *Defense des Saints* Pe-

*Peres accusés de Platonisme* . . . Lamy *de recta Christianorum in eo, quod mysterium Trinitatis attinet, sententia.*

## PROPOSITIO III.

*Posita fide, possunt aliquae in rebus creatis observari imagines, quae Trinitatem aliquatenus adumbrent, licet imperfecte.*

*Prob.* 1a. *pars* ex *Patribus*, qui varias ex rebus creatis similitudines ad illustrandum hoc mysterium adhibuerunt. Prima, et praecipua est ipsius animae rationalis, in qua tria sunt, esse, intelligere, et velle: et haec tria una eademque anima sunt. Hac comparatione saepe utitur *Augustinus* (*a*). Altera est radicis, trunci, et rami in eadem arbore. Ea utitur Tertullianus *Lib. cont. Prax. cap.* 8, et Augustinus *Lib. de fide et Symbolo cap.* 9. Tertia est solis, radii, et splendoris. Quarta, fontis, rivi, et fluminis. Quinta, ignis, splendoris, et caloris. Aliae quoque sunt ejusmodi similtiudines rerum, in quibus tria quaedam distinguuntur, quorum unum ab alio procedit; sed tamen unum sunt.

*Prob.* 2a. *pars.* In omnibus hisce comparationibus non est una, et simplicissima res in tribus *suppositis* subsistens, ut patet excurrendo per singulas. Quare Hilarius *Lib. I. de Trin. n.* 19. merito advertit: *Si qua nos de natura Dei . . . tractantes, comparationum exempla afferemus, nemo ea existimet absolute in se rationis perfectionem continere; comparatio enim terrenorum ad Deum nulla est . . . . Omnis igitur comparatio homini potius utilis habeatur, quam Deo apta; quia intelligentiam magis significet, quam expleat.*

CA-

(a) Sic *Lib. XIII. Confess. cap.* 11. *Vellem*, inquit, *ut haec tria cogitarent homines in seipsis . . . esse, nosse, velle. Sum enim, et novi, et volo. Sum sciens et volens: et scio esse me, et velle, et volo esse, et scire. In his igitur tribus quam sit inseparabilis vita, et una vita, et una mens, et una essentia; quam denique inseparabilis distinctio, et tamen distinctio; videat qui potest etc. Et Lib. XIV. de Trin. Mens meminit sui, intelligit se, diligit se; hoc si cernimus, cernimus Trinitatem; nondum quidem Deum, sed imaginem Dei.*

## C A P. XV.

*Utrum mysterium SS. Trinitatis possit negative demonstrari, hoc est utrum possint ratione naturali dissolvi, quae ex ipsa ratione contra illud mysterium opponuntur.*

*Adv.* I. SEposita revelatione, certum est, non posse dissolvi omnia, quae naturali ratione mysterio SS. Trinitatis opponuntur; non quia ipsa revelatio solutiones objectorum suppeditet; sed quia tam sublime est hoc mysterium, ut ratio sibi relicta non suspicaretur esse falsa, quae cum tanta veri specie objiciuntur. At posita revelatione, cum certi simus fide divina, Trinitatem existere, recte concludimus, non posse vera esse, quae contra ipsam pugnare videntur; ideoque considerantes attentius argumenta, quae prima fronte solvi non posse videbantur, tandem detegimus, qua in re peccent.

II. Non est tamen necesse, ut tanta evidentia dissolvantur, quantam habere possumus in iis rebus, quae minus a sensu, aut ratione humana remota sunt; sed satis est cum aliqua verisimilitudine ostendere, argumenta illa non esse apodictica, et evidentia. Cum enim habeamus exploratam divinae revelationis veritatem, nec possit ratio humana divinae revelationi esse contraria (alioquin ipse Deus esset auctor mendacii; quia ipse tum revelationis, tum rationis est auctor, ut diximus *Lib. I. cap.* 5.); sufficit ostendere, humana mente excogitatas rationes non esse ita evidentes, uti adversarii jactant, ut certo dicamus illas esse falsas, quippe quae veritati divinitus revelatae opponuntur.

III. Quidquid contra SS. Trinitatem est unquam ab aliis excogitatum, *Crellius*, *Wolkelius*, et *Volzogenius*, Sociniani collegerunt. Nos praecipua proponemus eorum argumenta; omnes enim eorum ineptias persequi non est operae pretium.

PRO-

## PROPOSITIO.

*Posita revelatione, potest SS. Trinitatis mysterium negative demonstrari.*

Propositio probatur ex ipsa solutione objectorum; hoc enim est negative demonstrare, ut supra diximus.

*Objic.* I. Quae sunt eadem cum uno tertio, sunt eadem inter se. Atqui Pater, Filius, et Spiritus Sanctus sunt idem cum natura divina, quae una *numero* est. Ergo sunt unum, et idem inter se; ac proinde una est persona divina tribus nominibus insignita. Urget etiam hoc argumentum Baelius *Dict. Hist. Crit. art. Pyrrhon.* ut probet, rationem revelationi esse contrariam (*a*).

℟. *Dist. maj.* Quae sunt eadem cum uno tertio sunt eadem inter se in eo, in quo cum uno tertio sunt eadem, *conc.* In eo, in quo non sunt eadem, *neg.* Cum igitur Pater, Filius, et Spiritus Sanctus ratione naturae sint unum, et idem cum natura divina unica, et simplicissima, recte sequitur, esse unum inter se in natura; hoc est unam, et eandem *numero* trium personarum naturam. At cum ratione personae non sint idem cum natura divina, a qua *virtualiter* distinguuntur, non sequitur, esse idem inter se ratione personae; hoc est, unam, et eandem esse in divinis personam.

*Inst.* 1.° Licet persona virtute distinguatur a natura; re tamen non distinguitur. Ergo ad summum ex *virtuali* distinctione personae a natura divina sequi potest, personas esse inter se virtute distinctas; sicut etiam ex eo, quod misericordia, et justitia virtute distinguuntur a natura divina, sequitur, eas esse virtute inter se distinctas.

℟.

---

(a) Eandem recinit cantilenam *Tolandus*, aliique increduli, quos egregie confutat Anonymus in libro, cui titulus: *La foi justifiée de tout reproche de contradiction avec la raison*; Leybnitius *De la conformité de la foi avec la raison*, aliique.

℟. *Neg. Cons.* et comparationem ad ejus confirmationem allatam. Misericordia enim, et justitia non opponuntur inter se *relative*: et potest una, eademque res esse misericordia simul, et justitia, propter varios, quos producit, effectus. At Pater et Filius, spirans et spiratus *relative* inter se opponuntur: nec potest idem esse sui ipsius Pater et Filius, spirans et spiratus. Licet ergo inter personam, et naturam realis distinctio non sit, quia persona naturae non opponitur *relative*; tamen inter ipsas personas, quia *relative* opponuntur, distinctio realis est.

*Inst.* 2.° Non potest effectus esse major sua causa. Atqui causa distinctionis personarum a se invicem est distinctio *virtualis* personae a natura. Ergo si illa distinctio est tantum *virtualis*, distinctio personarum a se invicem non potest esse *realis*.

℟. *Neg. min.* Tum quia in divinis nulla est causa, sed principium, et ratio; tum quia principium, et ratio distinctionis personarum a se invicem non est distinctio *virtualis* cujusque personae a natura; sed oppositio relationis, quae inter ipsas personas intercedit. Sic in homine, qui est rationalis secundum mentem, et irrationalis secundum corpus, *rationalitas*, et *irrationalitas*, ut Scholae ajunt, non distinguuntur nisi virtute ab ipso homine; sed ipsa rationalitas reipsa ab irrationalitate distinguitur; quia ipsi per affirmationem, et negationem opponitur.

*Inst.* 3.° Si distinctio personae a natura non est realis, sequitur, Patrem non posse Filio communicare naturam sine persona. Ergo sicut natura, et persona Filii idem sunt; ita persona Patris, et Filii idem esse debent. Idem dicas de Spiritu Sancto.

℟. *Dist. ant.* Sequitur, Patrem non posse communicare Filio naturam sine persona *formaliter*, *neg. Identice*, sive *per concomitantiam*, *conc.* Sensus distinctionis est, quod cum Persona Patris non distinguatur reipsa a natura, profecto ipsa persona Patris est in Filio per circuminsessionem, de qua supra diximus *cap.* 8.: sed non sequitur, personam Patris *formaliter* subsistere in Filio, cui *relative* opponitur.

Objic

*Objic.* II. Una natura non potest nisi in una persona subsistere; persona enim est ipsa natura subsistens, et *incommunicabilis* alteri. Ergo vel in Deo una natura est, et una erit persona; vel tres sunt personae, et tres pariter erunt naturae.

℟. *Dist. ant.* In creatis, *conc.* In divinis, *neg.* Licet enim in rebus creatis, et finitis, una natura unam habere possit personam, nec ullum habeamus in creatis contrarium exemplum; quia una persona ita totam exhaurit, et amplectitur naturam finitam, ut haec in una persona subsistat omni modo, quo subsistere potest; non ita tamen cogitandum est de natura infinita; a finito enim ad infinitum non recte concluditur. Quod autem additur, nempe personam esse ipsam naturam subsistentem, et incommunicabilem, nihil aliud probat, nisi naturam, quatenus in una persona subsistit, non posse alteri communicari; hoc est, Patrem non posse esse Filium; sed non probat, naturam divinam, quae uno modo subsistit in Patre, non posse alio modo subsistere in Filio, et Spiritu Sancto.

*Inst.* 1.° Sicut persona finita totam naturam finitam amplectitur, et exhaurit; ita persona infinita naturam totam infinitam exhaurit, et amplectitur; alioquin esset dicendum, non totam naturam divinam in una persona subsistere; quod absurdum est. Ergo valet hac in re conclusio a finito ad infinitum.

℟. *Dist. ant.* Persona infinita exhaurit, et amplectitur naturam totam infinitam quoad illum modum subsistendi, qui est illius personae proprius, *conc.* Quoad alium modum subsistendi, cujus natura infinita capax est, et qui non est illius personae proprius, *neg.* Persona ergo Patris exhaurit totam naturam divinam, quatenus potest in *Paternitate* subsistere; sed non quatenus subsistere potest alio modo, qui non est proprius personae Patris, nempe in *Filiatione.*

*Inst.* 2.° Ergo una persona divina imperfecta est; quia est alius modus subsistendi, quem ipsa non habet, quia non est ipsi proprius.

℟. *Neg. sequel.* Tum quia relationes *Paternitatis*, *Filiationis etc.* non sunt perfectiones *simpliciter simplices*, ut supra diximus *cap.* 9.; ideoque non debet cen-

seri

seri imperfecta persona Patris, eo quod non habeat *formaliter* Filiationem; tum quia in qualibet persona etiam aliae sunt per circuminsessionem, ut supra docuimus *cap*. 8.

*Objic.* III. Valet hoc argumentum: Pater est persona divina, Filius est persona divina, Spiritus Sanctus est persona divina; ac proinde tres sunt personae divinae. Ergo valet et hoc alterum: Pater est Deus, Filius est Deus, Spiritus Sanctus est Deus: ergo sunt tres Dii.

℟. *Neg. cons. et parit.* In priori enim argumento persona *disjunctive* accipitur, scilicet hoc sensu: Pater est persona divina, Filius est altera persona, Spiritus Sanctus est alia persona; ac proinde tres personae esse debent. At in altero argumento *Deus* idem semper intelligitur hoc sensu; Pater est Deus, Filius est idem ille Deus, Spiritus Sanctus est idem ille Deus; atque idcirco falso concluditur; ergo sunt tres Dii.

*Objic.* IV. Sicut repugnat tres esse Deos; quia unus carere deberet perfectionibus alterius, ac proinde non esset Deus: ita repugnat tres esse personas divinas, quia uni personae deesse debent perfectiones alterius, ac proinde non est persona divina.

℟. *Neg. ant. et parit.* Ideo enim repugnat esse tres Deos, quia unus carere deberet alterius perfectionibus, non solum iis, quae dicuntur simplices, verum etiam iis, quae *simpliciter simplices* appellantur; ac proinde non esset Deus, quia deessent ei perfectiones illae, quas melius est habere, quam non habere. At cum tres personae divinae eamdem habeant divinam naturam, una non caret perfectionibus alterius, quae dicuntur *simpliciter simplices*; licet careat *personalitate*, et relatione alterius, quae est perfectio *simplex*, quam non est melius habere, quam non habere; ac proinde ejus negatio non efficit, ut persona illa non sit Ens perfectissimum; cum praesertim persona una alias etiam duas per circuminsessionem in se habeat.

*Inst.* Ergo natura divina est aggregatum *per accidens*; constat enim ex tribus entibus perfectis. Atqui hoc est absurdum. Ergo.

℟. *Neg. sequel.* Aggregatum enim *per accidens* est quod constat ex pluribus entibus inter se non connexis:

At inter tres personas divinas tantus est connexus, ut ipsae sint unum ens absolutum, una natura divina.

*Objic.* V. Posito Trinitatis mysterio, sequitur, idem simul esse et non esse. Nam 1. Filius esset productus, et non productus; productus quidem ratione personae, non-productus autem ratione naturae; at persona, et natura Filii non distinguuntur reipsa, sed una, et simplicissima res est. Ergo idem simul esset, et non esset. 2. Deus esset, et non esset ens simplicissimum; esset quidem Ens simplicissimum propter ea, quae diximus in *Lib. III. cap.* 4.; non esset vero tale, quia Pater, gignendo Filium, partem sui communicaret, nempe naturam; partem vero retineret, nempe personam, et *paternitatem*. 3. Quaelibet persona esset trina, et non esset; esset quidem trina, quia quaelibet persona Deus est; Deus autem, posito hoc mysterio, est trinus: non esset vero, quia quaelibet persona una est. Ergo.

℞. *Neg. ant. Ad.* 1m. Licet natura Filii, ejusque persona non distinguantur reipsa, sed una, et simplicissima res sint; distinguuntur tamen *virtute*, propter quam distinctionem potest Filius dici productus, ac non productus diverso respectu.

*Ad* 2. Negandum est, Patrem, gignendo Filium, partem sui communicare, partem retinere; communicando enim naturam, communicat etiam personam, non *formaliter* (quasi paternitas subsistat in Filio quod absurdum est); sed, ut Scholastici loquuntur, *identice*, per *concomitantiam*, et *circuminsessionem*.

*Ad.* 3. Deus est trinus, si consideretur *adaequate*, quatenus in tribus personis subsistit; non vero si *inadequate* consideretur seorsim quaelibet persona; hinc falsum est, quamlibet personam esse trinam, et non trinam.

*Objic.* VI. Posito dogmate Trinitatis, tres essent divinae substantiae; persona enim est rationalis naturae individua substantie; ideoque tres personae tres substantiae esse debent. Atqui unica est Dei substantia, quia unus est. Ergo.

℞. *Dist. ant.* Tres essent subtantiae, si nomine substantiæ intelligas *subsistentiam*: quo sensu aliquando Veteres substantiae nomen adhibuerunt, *conc.* Tres essent substantiae si eo nomine intelligas id, quod per se existit,

stit, nec alio indiget subjecto ad existendum, *neg.* Una enim est Dei substantia, quae, quia tribus modis subsistit, tres sunt personae; et quaelibet persona est illa substantia singulari modo existens.

*Objic.* VII. Persona est, quae ultimo terminat naturam, et reddit eam alteri *incommunicabilem.* Ergo aut dicendum est, naturam divinam, subsistentem in persona Patris, esse alteri *incommunicabilem*, et hinc sequitur, unam esse Dei personam, nempe Patris; aut dicendum, naturam divinam in Patre, et Filio subsistentem adhuc esse *communicabilem* Spiritui Sancto, et hinc sequitur, solum Spiritum Sanctum esse veram personam, quia naturam divinam ultimo terminat; redditque eam alteri *incommunicabilem.*

℟. *Dist. ant.* Persona est, quae ultimo terminat naturam, redditque eam alteri incommunicabilem, quatenus eo modo subsistit, *conc.* Quatenus alio etiam modo potest subsistere, *neg.* Et quia in creatis una natura unum habet sibi proprium subsistendi modum; hinc una natura, creata, terminata ab una persona, non est alteri *communicabilis.* At natura infinita, quia tribus modis potest subsistere, idcirco terminata a persona Patris, quatenus quidem in *Paternitate* subsistit, non est alteri communicabilis; at communicabilis est, quatenus potest alio modo subsistere.

*Inst.* Vel Pater est perfectus sine Filio, vel non. Si primum dicas; ergo frustra ei additur Filius. Sin alterum; ergo non est Deus.

℟. *Ad ant.* Dico, Patrem esse perfectum sine Filio in natura divina; esse quoque perfectum in ratione Patris sine alio intrinsecus sibi adjuncto; sed non esse perfectum Patrem sine Filio, qui est terminus, ad quem Pater refertur, et sine quo cogitari Pater non potest. Hinc Dionysius Alex. *ap. Athanas. Lib. De sentent. Dionys. Singula*, inquit, *illa nomina, de quibus locutus sum, insegregabilia a se invicem sunt nec dividi queunt. Patrem cum dico, etiam sine mentione Filii, Filium sub Patris vocabulo indicatum volui. Contra si in mentione Filii Patrem omisissem tamen ille sub nomine Filii intelligi debuit.* Tractat ista fusius *Laurentius Berti Lib. VII. cap.* 6., ubi omnia *Wolzogenii* ar-

 gu-

gumenta persequitur, atque dissolvit. Multa etiam de his habet *Tournely*.

### *Libri Conclusio.*

Atque haec in laudem, et gloriam, et honorem Patris, Filii, et Spiritus Sancti, unius, et individuae Trinitatis dicta sufficiant. Restat tamen, ut, quoniam diximus, imaginem quandam in nobis impressam esse Trinitatis, atque eidem Trinitati devotos fuisse nos in baptismo, et consecratos; caveamus sedulo ne imaginem adeo praestantem, ac divinam peccato maculemus; sed ita nos gerere satagamus; ut manentem in nobis Patrem, Filium, ac Spiritum S. verbis, factis, atque omni vitae ratione et sentiamus interius, et exterius ostendamus.

*Finis Lib. IV.*

LI.

# LIBER V.

## SEU

## TRACTATUS DE RERUM CREATIONE.

De Angelis. De sex dierum Opificio.

De homine, ejusque lapsu.

*Praefatio.*

Libro superiori, quo de processionibus divinarum personarum intra ipsam divinitatem egimus, apposite hunc subjicimus de processione creaturarum a Deo, sive a tribus simul divinis personis, quae bonitatem suam in rerum creatione, veluti extra se effuderunt. Sed quoniam res creatae trium sunt generum, spirituales, corporeae, et compositae ex corpore et spiritu; ideo erit tractatio haec omnis quadripartita; in prima enim parte de ipsa universim creatione tractabitur; in altera de Angelis: in tertia de creatione mundi hujus corporei, atque visibilis; in quarta de homine, ejusque lapsu in peccatum, secutaque hinc totius humanae naturae corruptione.

## PARS I.

*De rerum Creatione generatim.*

### CAP. I.

*Ostenditur, creationem ex nihilo esse Deo possibilem.*

*Adv.* I. Rerum creationem ex nihilo impossibilem esse, contendunt Athei; atque in ejus opinionis patrocinium vocant veteres Philosophos, quorum plurimi, ut docet Censorinus *De die Natali cap.*

4., Mundum fuisse posuerunt ab aeterno: omnes vero, ut athei putant, saltem materiam ipsam, vel *Chaos*, unde mundus conditus est, aeternam fuisse docuerunt.

II. Sed Philosophorum patrocinium frustra, et inepte prorsus athei implorant. Primo enim ipsi omnem auctoritatem spernunt, et sola ratione volunt inquirendam esse veritatem. Cur ergo de auctoritate veterum gloriantur? Deinde illi ipsi veteres, Pythagorici nempe, Platonici, et Peripatetici, qui mundum putabant esse ab aeterno; statuebant tamen, illum esse a Deo factum, ut testatur *Plutarchus* de Pythagoricis, et Platonicis: et de Peripateticis constat ex ipso Aristotele *Lib. II. Metaphysic.* Quod observat Angelicus Doctor *I. P. Q. XLIV. art.* 2., et *Lib. VIII. Physic. Lect.* 2. Si ergo docebant, mundum a Deo factum esse ab aeterno, manifestum est, eos putasse mundum creatum ex nihilo; si enim factus esset ex jam extante materia, non esset utique factus ab aeterno, quia materia ipsa fuisset mundo antiquior, ut patet. Imo clare docet *Aristoteles* tum in laudato *Metaphysicorum* loco, tum in aliis, primum, ac supremum ens esse omnibus aliis entibus existendi causam; quod perspicue creationem ex nihilo significat. Vide Sylvium *ad I. P. Q. XLIV. et XLV.*

III. Utrum autem mundus ab aeterno creari potuerit, infra erit dicendi locus. Nunc istam atheorum audaciam, qua confidenter pronunciant, creationem ex nihilo esse impossibilem, necesse est retundamus.

## PROPOSITIO I.

***Creatio rerum ex nihilo non est Deo impossibilis. Est dogma fidei.***

*Prob.* Quod contradictionem non implicat, non est omnipotentiae Dei impossibile, ut *Lib. III. cap.* 12 diximus. Atqui creatio rerum ex nihilo contradictionem nullam involvit. Illud enim contradictionem involvit, quo dicitur; aliquid simul esse, et non esse; *ex gr.* mons sine valle, circulus sine rotunditate, triangulum sine tribus lineis, aut angulis. At creatio ex nihilo non est ejusmodi; aliud enim est, idem simul esse, et non

non esse; aliud est, ut quod non erat, jam esse incipiat. Ergo non est omnipotentiae Dei impossibilis. Quod autem sit hoc dogma fidei, patet tum ex generali effato, quod veluti fundamentum Christianae fidei posuit Angelus *Luc. I. 37. Non erit impossibile apud Deum omne verbum*; tum ex eo quod revera ex nihilo cuncta creata esse, ad fidem pertinet.

## *Solvuntur Objecta.*

*Objic.* I. Vulgatum est axioma: *Ex nihilo nihil, in nihilum nil posse reverti.* Ergo.

℟. *Dist. ant.* Virtute, et potentia finita, *conc.* Virtute, et potentia infinita, *neg.* Virtus enim finita certis est circumscripta limitibus; ita ut quamvis habeat subjacentem materiam, non possit tamen inde omnia facere, quae libuerit; ac proinde multo minus facere aliquid sine ipsa materia jam extante. At virtus infinita ad omne id extenditur, quod contradictionem non implicat; ita ut possit superare distantiam infinitam, quae est inter ens, et nihil: ideoque efficere, ut quod non erat, esse incipiat; et quod erat ulterius non sit.

*Inst.* Atqui contradictionem involvit, fieri aliquid ex nihilo; si enim ex nihilo fieret aliquid, jam nihilum esset subjectum, unde res fieret, ac proinde nihilum simul esset, et non esset.

℟. *Neg. ant. et suppositum.* Cum enim dicimus, virtute divina fieri aliquid ex nihilo, non id intelligimus, quod in objectione *supponitur*, nihilum esse subjectum, unde res efficitur; sed illud tantum, nempe per virtutem infinitam incipere esse rem, quae prius non erat.

*Objic.* II. Omnino intelligi non potest, quomodo creari aliquid possit ex nihilo; fugit enim hoc omnino mentis aciem. Ergo.

℟. *Neg. cons.* Quod enim mente assequi nequeamus creationem ex nihilo, nihil aliud ostendit, nisi mentis humanae imbecillitatem. Sat est scire, nullam ea in re inesse contradictionem; et multa Deum facere posse, quae nos fateamur intelligere non posse.

Co-

*Corollarium.*

Ergo possibile est etiam divinae potentiae res omnes redigere in nihilum. Paris enim potestatis est res creare ex nihilo, et creatas redigere in nihilum.

## C A P. II.

*Utrum omnia, quae sunt, a Deo creata sint ex nihilo.*

*Adv. I.* NUnc inspiciamus, an quod possibile esse demonstravimus, revera sit a Deo factum, ita ut omnia, quae sunt, a Deo ex nihilo creata sint.

II. Joan. Clericus *Art. Crit. Tom. III.*, et Richardus Simonius *Hist. Crit. Vet. Test. Lib. III. cap.* 3. putant, ex Scripturis clare ostendi non posse creationem rerum ex nihilo.

## P R O P O S I T I O

*Quidquid est extra Deum, ab ipso Deo creatum est ex nihilo. Est dogma fidei.*

*Prob. I. ex Scriptura.* Genes. I. *In principio creavit Deus caelum, et terram*: quibus verbis totam rerum naturam complexus est Moyses, et quidquid caelo, terraque continetur. Et quamvis hic aperte non habeatur *creavit ex nihilo*; et ipsum Hebraicum verbum *bara*, *creavit*, sumatur aliquando in Scripturis pro rerum productione ex jam extante materia, sicut in eodem *cap. I. Gen.* dicitur *creavit Deus cete grandia*, utique ex materia extante; tamen cum agitur de creatione caeli, et terrae veram creationem ex nihilo intelligendam esse, patet ex aliis Scripturae locis, ut ex *II. Machab. cap.* 7. *Caelum, et terram, et ... omnia, quae in eis sunt ... ex nihilo fecit Deus, et hominum genus.* Quid ad haec *Clericus?* Aitne Machabaeorum libros non esse Canonicos? Sed praeterquam quod id *Lib. II. cap.* 3. confutavimus, concedere saltem debet, Synagogam perpetuo per ea

**ea verba** *creavit Deus caelum, et terram*, **intellexisse creationem ex nihilo, cum Libros Machabaeorum** religiose servaverit. Num igitur adeo insolenter et inepte superbus est, ut vim, et potestatem verbi *bara creavit*, quod in *Genesi* positum est, melius se perspexisse, quam omnes veteres Hebraeos, arbitretur?

*Prob.* II. *ex perpetua Ecclesiae traditione*, cujus innumeri, et locupletissimi testes sunt quotquot vel a primis Ecclesiae saeculis floruere Patres. Sufficiant pro omnibus 1.° Ambrosius, qui, ex omnium Christianorum sensu loquens *Lib. I. Hexam. cap.* 4. ait, *Auctorem Angelorum, et Dominationum, et Potestatum facile intelligimus eum qui momento imperii sui hanc tantam pulchritudinem mundi ex nihilo fecit esse, quae non erat, et non de extantibus, aut rebus, aut causis donavit habere substantiam.* 2.° Augustinus *Lib. I. de Gen. cont. Manich. cap.* 2. *Non ea genuit de seipso, ut hoc essent, quod ipse est; sed ea fecit de nihilo.* A ceteris recensendis abstinemus, cum definitum sit in Concilio Lateranensi IV., quod *Deus utramque de nihilo condidit creaturam, spiritualem, et corporalem.*

*Prob.* III. *ratione.* Si aliquid extaret, quod non fuisset a Deo creatum ex nihilo, esset aliud *Ens a se* praeter Deum, quod repugnat. Nam, ut ostendimus *Lib. III. cap.* 2., Ens a se Deus est. Praeterea si materia creata non esset, sed aeterna, esset ens necessarium, immutabile, nullique subjectum; ac proinde nihil ex ea facere potuisset Deus: imo non existeret Deus. Deus enim est Ens perfectissimum. Atqui maxima haec perfectio est, ut sit primum Ens, a quo omnia alia entia pendeant. Ergo si esset aliquod ens, quod a Deo non pendeat, Deus non esset Deus, ac proinde non esset. Vide *Hist. Crit. Reipub. literar. Tom. IV. Art.* 3., ubi contra Clericum fuse disputatur. Tractat haec acutissime S. Thomas *Lib. II. cont. Gent.*

Ca-

*Corollaria.*

I. Cum ergo Deus cuncta creaverit ex nihilo, patet hinc, quam absurda fuerit eorum Philosophia, qui mundum hunc corporeum ex Dei substantia emanasse somniarunt. Fuerunt ejus sententiae Ægyptii, Chaldaei, Sinenses, aliique. Quid autem insulsius, quam ex Dei substantia spiritali, eaque simplicissima, emanare materiam potuisse? Concoquere id potuerit Spinoza (*in Ethica*): reliqui, quos commemoravimus, nisi pantheismi labe et ipsi aspersi fuerint, quomodo tam inepte errare potuerint, mirandum est. *Vid. Wolphium Theol. Nat. Tom. II. prop.* 671.

II. Ergo quidquid est, bonum est. Si enim quidquid est, a Deo creatum est, non potest esse nisi bonum. Hinc *Gen. I.* de singulis creaturis dicitur: *vidit Deus quod esset bonum*: et deinde de omnibus aptissime secum congruentibus: *vidit Deus cuncta quae fecerat, et erant valde bona.* Et *Sap. XI.* 25. *Diligis omnia, quae sunt, et nihil odisti eorum, quae fecisti.* Et *I. Tim. IV.* 4. *Omnis creatura Dei bona est.* Vide S. Thomam *I. P. Q. V. art.* 1. *et* 3. Merito igitur damnati, atque explosi Manichaei, et Priscillianistae, qui creaturas aliquas natura sua malas asseruerunt, de quibus vide *Epiphanium*, *Philastrium*, *Augustinum*. Nunc quod *cap. I.* proposuimus, expendendum est, utrum omnia ab aeterno creata sint, vel creari potuerint.

## C A P. III.

*Utrum omnia creata sint, vel creari potuerint ab aeterno.*

*Adv.* IN prima hujus controversiae parte, utrum scilicet omnia ab aeterno creata fuerint, nonnulli veteres Philosophi, ut Pythagorici, Platonici, et Peripatetici erraruut, docentes, mundum fuisse factum ab aeterno, ut *cap. I.* animadvertimus. At circa alteram partem, utrum potuerit saltem Deus ab aeterno omnia creare; vel quod eodem recidit, utrum creari aliquid ab aeterno contradictionem involvat, acris est inter Theolo-

logos quaestio. S. Thomas *Opusc. XXVII. de Æternitate mundi*, et *Quaest. III. de Potent. art.* 14. *docet*, potuisse mundum creari ab aeterno. At in *Summa I. P. Quaest. XLVI.* non ita clare sententiam suam aperit: imo si vera est lectio nonnullorum Codicum, videtur ea de re vel dubitasse, vel in contrariam potius inclinasse sententiam. Certe *Durandus*, *Cajetanus*, *Sotus*, *Bannesius*, aliique tenent, creationem ab aeterno non esse impossibilem: alii, ut *Richardus*, *Henricus*, *Valentia*, aliique plurimi id negant.

## PROPOSITIO I.

*Mundum non esse a Deo creatum ab aeterno, dogma fidei est.*

*Prob. Prov. VIII.* 22. ait Sapientia: *Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequam quidquam faceret a principio. Ab aeterno ordinata sum, et ex antiquis antequam terra fieret. Nondum erant abyssi, et ego jam concepta eram: necdum fontes aquarum eruperant. Necdum montes gravi mole constiterant: ante colles ego parturiebar: Adhuc terram non fecerat, et flumina, et cardines orbis terrae.* Eccli. XXIII. 29. *Domino Deo, antequam crearentur, omnia sunt agnita.* Et Joan. XVII. 5. et 24. ait Christus: *Clarifica me tu Pater apud temetipsum, claritate, quam habui priusquam Mundus esset . . . . . . Dilexisti me ante constitutionem mundi. Ephes. I. 4. Elegit nos ante Mundi constitutionem.* Alia quoque his similia leguntur in Scripturis. Concilium etiam Later. IV. sub. Innoc. III. definivit: *Deum omnipotenti sua virtute simul ab initio temporis utramque de nihilo condidisse creaturam, spiritualem, et corporalem* Ergo.

Re-

### *Refutantur Objecta.*

*Objic.* I. Vel Deus potuit, et voluit omnia ab aeterno creare: vel potuit, et noluit; vel voluit, et non potuit; vel non potuit, nec voluit. Si primum dicas, jam concedis omnia creata esse ab aeterno. Si reliqua tria, Deus fuisset vel infirmus, vel invidus, quod absurdum est. Ergo.

℟. Si creatio ab aeterno contradictionem involvit Deum nec potuisse, nec voluisse aliquid ab aeterno creare; non quia infirmus est; sed quia quae contradictionem implicant; non sunt, nec esse possunt, objectum nec intelligentiae, nec voluntatis ejus, ut *Lib. III. cap.* 12. diximus. Si vero creatio ab aeterno non involvit contradictionem (de quo infra disputabimus) dicendum est, Deum potuisse omnia ab aeterno creare: nec tamen voluisse; non quia invidus; sed quia sapientissimus est, et id vult, quod est decentius.

*Objic.* II. Causa, quae ab aeterno est *in actu*, ab aeterno effectum produxit. Atqui Deus est causa, quae ab aeterno est in actu; alioquin mutatus esset a *potentia* ad *actum*, quod divinae perfectioni repugnat. Ergo ab aeterno omnia produxit.

℟. *Dist. maj.* Si causa agit necessario, et non libera voluntate, *conc.* Secus, *neg.* Deus itaque ab aeterno *actu* voluit, ut creaturae essent non ab aeterno, sed in tempore.

*Objic.* III. Si creaturae non semper fuerunt, etiam tempus non semper fuit; cum enim tempus non aliud sit, nisi mensura motus, profecto cum creaturis incepit. Atqui hoc repugnat: qui enim dicit, tempus non semper fuisse, significat, fuisse tempus, quando non erat tempus. Ergo.

℟. *Neg. min.* Qui enim dicit, tempus non semper fuisse, significat, fuisse aeternitatem antequam inciperet tempus.

*Objic.* IV. *Eccl. I.* 9. aperte dicitur: *Quid est quod fuit? ipsum quod futurum est: Quid est quod factum est?*

*est? ipsum quod faciendum est · nihil sub sole novum, nec valet quisquam dicere: ecce hoc recens est: jam enim praecessit in saeculis, quae fuerunt ante nos.* Atqui haec verba aeternitatem mundi significant. Ergo.

℟. *Neg. min.* Quamvis enim non fuerit mundus ab aeterno conditus, tanta est tamen ejus antiquitas, ut jure possis dicere, *nihil sub sole novum.* Nam si mundum consideres naturalem, iidem sunt hodie, eruntque in posterum naturalium causarum effectus, qui a principio fuerunt. Si vero hominum actiones, cum iisdem ii passionibus subjecti sint, quibus veteres erant subjecti, non est mirum si eadem nunc accidant, quae olim acciderunt, licet eorum memoria perierit.

Alia argumenta vide apud S. Thomam, qui *I. P. Q. XLVI. art.* 1. decem argumenta in contrarium producit, et solvit: *Quaest.* 3. *de. Pot. art.* 17. triginta in *Lib. II. cont. Gentes. cap.* 32. *et seq.* octodecim: in 2. *Dist. I. Q.* 1. *art.* 5. quatuordecim.

## PROPOSITIO II.

*Verisimilius est, non potuisse aliquid creari ab aeterno; seu creationem ab aeterno involvere contradictionem.*

*Prob.* I. Quod creatur, incipit esse. Atqui esse incipere aeternitati repugnat. Quod enim aeternum est, semper fuit, nec opus habet, imo nec potest incipere esse. Ergo repugnans, ac proinde impossibile est aliquid creari ab aeterno.

*Confirm.* 1.° Ideo Patres damnarunt eos, qui dicerent, Verbum existere incepisse, quia inde sequeretur Verbum non fuisse aeternum. Ergo ponebant ut certum, aeternitati repugnare, quod aliquid esse incipiat.

*Confirm.* 2.° Creatio ex nihilo significat, rem antea non extitisse; sed quod rem antea non extitisse significat, aeternum non est, ut patet, quia aeternum excludit omne vel minimum momentum, quod praecesserit. Ergo

*Prob.*

*Prob.* II. *ex Augustino*, qui *cont. Felician. Arianum cap.* 7. sic definit creaturam, ut ad ejus essentiam pertineat non esse ab aeterno. *Creatura*, inquit, *est ex eo, quod aut adhuc non est, aut aliquando non fuit rei cujuslibet corruptibilis, quantum in se est, per omnipotentis Dei voluntatem facta substantia.* Et *Lib. XII. de Civ. Dei cap.* 15. *Quapropter si Deus semper* (hoc est omni tempore) *Dominus fuit, semper habuit creaturam suo dominatui servientem; verum tamen non de ipso genitam, sed ab ipso de nihilo factam, nec ei coaeternam. Erat quippe ante illam, quamvis nullo tempore sine illa* (quia tempus cum creatura incepit) *non eam spatio transcurrens, sed manente perpetuitate* (sive aeternitate) *praecedens.* Similia docent Damascenus *Lib.* 1. *cap.* 8., Hugo Victorinus *Lib. I. de Trin. cap.* 1.; et alii. Ergo.

### *Solvuntur Objectiones.*

*Objic.* I. Deus ab aeterno existit, ab aeterno est omnipotens, ab aeterno operari potest, et quidem in instanti momento uno, sine motu, et successione. Ergo potuit ab aeterno cuncta creare.

℟. *Neg. cons.* Omnipotentia enim Dei, quae ab aeterno est, repugnantia efficere non potest, qualis est creatio rerum ab aeterno.

*Inst.* 1.° Nullam videtur involvere contradictionem creatio rerum ab aeterno. Nam 1.° Augustinus *Lib. VI. de Trin. cap.* 1. docet, *splendorem, qui gignitur ab igne, atque diffunditur, coaevum esse illi, et esse coaeternum, si esset ignis aeternus.* 2.° Si pes ab aeterno fuisset pulveri impressus, vestigium esset causae suae coaeternum: quo exemplo utebantur Platonici apud Augustinum *Lib. X. de Trin. cap.* 31. Ergo.

℟. *Neg. ant.* et comparationes in confirmationem allatas. Recensiti enim effectus, scilicet splendoris, et vestigii, non sunt creationes ex nihilo. Creatio autem ex nihilo semper significat, rem antea non extitisse, ac pre-

proinde non esse aeternam. Adde quod ejusmodi exempla ignis, et pedis ab aeterno existentium, sunt τον αδυνατων, sive rerum impossibilium; ac proinde mirum non est si ex impossibili hypotesi impossibilis consequentia fluat.

*Inst.* 2. In divinis generatio Verbi ab aeterno non involvit contradictionem; quia licet Genitor sit Genito prior; non tamen prior est tempore, sed ordine, et origine. Ergo pariter creatio ex nihilo non involvit contradictionem; quia nihilum potest esse re creata prius non tempore, sed ordine.

℟. *Neg. cons. et parit.* Generatio enim Verbi cum non sit ex nihilo, sed ex substantia Patris, necessario debet esse Patri coaeterna, sicut et Verbum, quod est ipsius generationis terminus; quia Pater, ejusque generatio, et generationis terminus, ab essentia divina, quae aeterna est, non distinguuntur reipsa; atque ideo Pater non potest esse prior Filio nisi ordine tantum, et origine. At contra creatio ex nihilo significat, rem ante non extitisse; quid est enim nihilum, nisi quod non extat? ac proinde creatio ostendit, nihilum fuisse prius non solum ordine, verum etiam tempore, sive aeternitate.

## C A P. IV.

*Utrum Deus creaturas ex necessitate produxerit.*

*Adv.* Nonnulli, quorum meminit S. Thomas *I. P. Q. CIV. art.* 3. *in corp.* asseruerunt, Deum ex necessitate naturae res extra se produxisse: quorum error, fidei catholicae contrarius, refutandus est.

PRO-

## PROPOSITIO.

*Dogma fidei est, Deum non ex necessitate, sed libera voluntate creaturas produxisse.*

*Prob.* I. *ex Scriptura. Ephes. I.* 11. *Deus operatur omnia secundum consilium voluntatis suae.* Consilium autem voluntatis est voluntas non necessario, sed ex deliberatione agens. Et alibi dicitur, ideo res creasse, quia voluit, et si noluisset, non fuisse creaturum: quod ostendit, Deum nolle potuisse, atque ideo libere eas creasse. Ita *ex. gr. Sap. XI.* 26. *Quomodo posset aliquid permanere, nisi tu voluisses?* Ergo.

*Prob.* II. *ex PP.* Augustinus vel quivis auctor *Lib. de fide cont. Manich. cap.* 28. *et* 49. *Nullam*, inquit, *necessitatem patitur Deus: neque necessitate facit, quae facit; sed summa, et ineffabili voluntate, ac potestate; decet enim Omnipotentem facere quae voluerit.*

*Prob.* III. Quidquid Deus extra se vult, propter bonitatem suam vult; ut diximus *Lib. III. cap.* 14. Quamvis autem bonitatem suam necessario amet; tamen ea, quae propter suam bonitatem vult, non potest velle, et amare necessario, nisi sint cum sua ipsius bonitate necessario connexa; h. e. nisi sint instrumenta ad eum finem necessaria. Atqui divina bonitas in seipsa perfecta est, et potest esse sine aliis, nec aliquid perfectionis a creaturis mutuatur. Non igitur eas voluit necessario.

### *Solvuntur Objecta.*

*Objic.* I. In Deo omnia sunt unus, et necessarius actus. Ergo etiam voluntas producendi creaturas necessaria est.

℟. *Dist. cons.* Est necessaria, si spectetur quoad substantiam, *conc.* non enim distinguitur reipsa voluntas a natura divina. Si spectetur quoad ejus relationem ad res extra Deum, *neg.* Idem ergo actus, scilicet divina voluntas, necessarius est in Deo, et liber; seu poterat Deus

Deus illum referre tantum ad essentiam, et bonitatem suam; ad creaturas autem nullo modo.

*Objic.* II. Bonum ejus est naturae, ut seipsum diffundat (*a*) Ergo Deus, qui est ipsa bonitas, necessario debuit aliquando producere creaturas, in quas effunderet bonitatis suae divitias.

℞. *Neg. cons. Cum enim dicitur*, inquit Sylvius *I. P. Q. XIX. art.* 3., *quod bonum sit sui diffusivum, non significatur, quod actu se debeat aliis communicare, sed quod possit: ac proinde quamvis deceat divinam, bonitatem aliis se communicare actu, hoc tamen non arguit in Deo novam perfectionem, quod actualiter se communicet.*

## CAP. V.

*Ostenditur, res a Deo creatas indigere assidua Dei conservatione, ut existant.*

Res a Deo creatas ab ipso assidue gubernari, *Adv.* atque eum ad finem dirigi, ad quem creatae sunt, ostendimus *Lib. III. cap.* 15. Videamus nunc, an creaturae, ut existant, praeter creationem, assidua Dei actione egeant; sicut lumen assidua indiget actione solis, qua cessante, illico evanescit. Haec autem assidua Dei actio, *conservatio* dicitur.

### PROPOSITIO

*Creaturas assidua Dei conservatione indigere, ut existant, dogma fidei est.*

*Prob.* I. *ex Script.* Sap. XI. 26. *Quomodo posset aliquid permanere, nisi tu voluisses?* Joan. V. 17. *Pater meus usque modo operatur, et ego operor.* Quae verba exponens S. Thomas. *I. P. Q. LXXIII. art.* 2. *ad* 1. ait: *Deus usque modo operatur servando, et administrando creaturam conditam.* Act. XVII. 28. *In ipso vi*

L

(a) Scholast. *Est sui diffusivum.*

*vivimus*, *et movemur*, *et sumus*. Colos. I. 17. *Omnia in ipso constant*. Heb. I. 3. *Portans omnia verbo virtutis suae*. Ergo.

*Prob.* II. *ex. PP.* 1.° Augustinus *Lib. IV. de Gen. ad lit. cap.* 12. *Creatoris*, inquit *potentia*, *et Omnipotentis*, *atque Omni tenentis virtus causa subsistendi est omni creaturae*: *quae virtus ab eis*, *quae creata sunt*, *regendis*, *si aliquando cessaret*, *simul et ipsorum cessaret species*; *omnisque natura concideret*. 2.° Anselmus *Monolog. cap.* 12. *Dubium nonnisi irrationabili menti esse potest*, *quod cuncta*, *quae facta sunt*, *eodem ipso sustinente vigent*, *et perseverant esse quod sunt*, *quo faciente de nihilo habent esse quod sunt.*

*Prob.* III. *ratione*. Creaturae cum ab aeterno non extarent, sicut non potuissent existere, nisi Deus voluisset; ita non possunt diutius existere, quam quandiu voluit ab aeterno Deus, ut existerent. Atqui voluntas Dei, ut creaturae aliquandiu existant, est ipsa conservatio. Ergo non possunt creaturae in existentia sua permanere sine Dei conservatione.

## *Objectiones.*

*Objic.* I. Si res creatae assidua Dei conservatione indigerent, dicendum esset, eas natura sua tendere in nihilum; ac proinde transitus rei in nihilum esset cuique rei creatae naturalis. Atqui hoc absurdum est; in tantum enim naturae rerum adversatur ejusmodi destructio, ut quidlibet ad sui conservationem tendat, nec possit in nihilum, nisi per potentiam infinitam reverti. Ergo.

℟. *Dist. maj.* Transitus rei in nihilum esset cuilibet creaturae naturalis, si creatura spectetur in seipsa, aut comparetur cum creatis causis, *neg.* Si spectetur ut ens ex nihilo productum, et comparetur cum prima causa, a qua ex nihilo producta est, *conc.* Pari ratione *dist. min.* Naturae rerum adversatur destructio, et transitus in nihilum, si res spectentur in seipsis, aut comparentur cum creatis causis, *conc.* Si spectentur ut res ex nihilo productae, et comparentur, cum Deo, a quo productae sunt ex nihilo, *neg.* Creaturae itaque cum non existant a se, sed ex omnipotentissima Dei voluntate, qui eas ex nihilo

lo creavit, et voluit, ut in ea existentia permanerent, profecto nec a seipsis, nec ab aliis creatis causis redigi possunt in nihilum; alioquin aliqua creata causa posset obsistere voluntati Omnipotentis. Sed ex eo ipso, quod non existunt a se, consequens est, ut existentia non sit ipsis naturalis (alioquin essent necessario, et a se ipsis;) sed adveniat illis extrinsecus, hoc est a voluntate Dei; ac proinde si considerentur prout divinitus eductae sunt ex nihilo, tendunt in nihilum; et tandiu existunt, quandiu voluerit Deus, qui eas ex nihilo creavit. Hinc Gregorius M. *Lib. XVI. Moral. cap.* 18. *Omnia*, inquit, *tenderent in nihilum, nisi ea manus Omnipotentis conservaret.*

*Objic.* II. Possunt homines opera efficere, quae semel effecta pergunt existere; licet assidua artificis manu minime teneantur. Atqui Deus est qualibet creatura infinite potentior. Ergo a fortiori potuit producere res ex nihilo, quae semel effectae non indigeant assidua actione ejus, ut pergant existere.

℟. *Neg. cons. et parit.*. Homines enim non producunt ex nihilo materiam, ex qua opera componunt; sed materia ipsa jam existit, et voluntate Dei conservatur; imo et secundum leges motus, quae ab ipso Deo servantur, non potest a seipsa moveri de loco, in quo ab artifice homine semel locata est; atque ideo opera ab hominibus effecta permanent sine nova ipsius hominis actione; conservantur enim per leges motus, et quietis: quae leges a Deo servantur, a quo statutae sunt. At Deus res omnes ab aeterno non existentes ex nihilo creavit, hoc est voluit, ut existerent; ac proinde tamdiu possunt existere, quandiu Deus voluerit.

### *Corollarium.*

Conservatio igitur est continuata creatio; hoc est eadem illa actione, qua Deus ab aeterno voluit, ut creaturae existerent, voluit etiam, ut aliquandiu existerent. Haec autem voluntas in Deo permanens, conservatio rerum est. Sed jam expendendum est, utrum non solum ut existant, verum etiam ut agant, et operentur, assidua Dei actione, sive concursu res omnes creatae indigeant.

## C A P. VI.

### *De actione, sive concursu Dei ad singulos creaturarum actus.*

*Adv.* I. Concursus est actio, per quam Deus simul cum creaturis operatur, et singulos earum actus, atque motus producit. Duplex autem distinguitur concursus, *mediatus*; et *immediatus*, sive *simultaneus*; ut Scholae ajunt. Prior est ipsa vis agendi, creaturis ingenita. Alter est peculiaris Dei actio, qua creaturam ad singulos actus efficiendos adjuvat. Et de concursu quidem *mediato*, quin sit creaturis ad singulos actus necessarius, nemo est qui dubitet Sed utrum concursus *simultaneus* sit ita necessarius, ut sine eo creaturae nec agere; nec ullo pacto, ne latum quidem unguem, moveri possint, inquirendum est.

II. Sunt autem nonnulli, praesertim Thomistae, qui non solum Dei concursum ad singulos creaturarum actus docent esse necessarium, sed physicam quandam *praemotionem* requirunt, qua Deus creaturas, jam omnino ad agendum dispositas, ipse per se moveat.

III. Nos creaturas omnes dividimus in classes duas, quarum altera est creaturarum intelligentium, quae ingenita vi actuosa, et libertate pollent; altera inertium corporum. Loquimur autem hic de actibus creaturarum naturalibus; nam de *supernaturalibus*, qui per gratiam Dei fiunt, alibi erit dicendi locus. Quibus rite distinctis; quid de hac celebri inter Philosophos, et Theologos controversia sentiamus, sequentibus, explicamus propositionibus.

## P R O P O S I T I O I.

*Concursus Dei ad singulos creaturarum actus* immediatus, *cujuscumque illae sint generis, est certo necessarius.*

*Prob.* I. *ex Script. Act.* XVII. 28. ait Paulus: *in ipso*: (Deo) *vivimus, et movemur, et sumus.* Quod ait in

*in ipso* nos moveri, non significat creaturas in Deo moveri, quasi in loco; ut impie explicavit *Spinoza*, sed significat *ex ipso*, tamquam prima causa effectrice, ac movente; *in ipso* enim, et *ex ipso* in Scripturis Novi Testamenti passim eodem sensu ponuntur, ut advertit *Grotius*; et patet ex ipso contextu *cit. cap. Act.* Dixerat enim antea Paulus: *cum ipse* ( Deus ) *det omnibus vitam, et inspirationem, et omnia*: et paucis interjectis, subdit: *in ipso enim vivimus, et movemur, et sumus*: unde manifestum est, eum pro causa efficiente, atque movente laudata verba posuisse. Ergo.

Praeterea pleni sunt Scripturarum libri ejusmodi testimoniis, quibus actiones, et motus creaturarum tum irrationabilium, tum intelligentium ipsi Deo tribuuntur. Sic de creaturis irrationabilibus legimus in Evangelio *Matth. VI.* 26. *Respicite volatilia caeli, quoniam non serunt, neque metunt, neque congregant in horrea: et Pater vester caelestis pascit illa . . . . foenum agri, quod hodie est, et cras in clibanum mittitur, Deus sic vestit.* Et in *Psalmo CIII.* eleganti oratione repraesentatur Deus, ut Paterfamilias, qui unicuique vel minimae creaturae tribuit et motum, et escam. Denique omnia naturae effecta, venti, pluviae, tempestates, fulgura, tonitrua, et quidquid fieri in rerum universitate cernimus, Deus ipse efficere saepissime dicitur. De creaturis vero intelligentibus ait Isaias *cap. XXVI.* 12. *Domine . . . . omnia opera nostra operatus es nobis.*

*Prob.* II. *ratione.* Deus, ut supra ostendimus, singulis momentis creaturas conservat, sive eae sint in motu, sive in quiete. Atqui conservare creaturam in motu nihil est aliud nisi cum ejusdem motu, et actione concurrere. Ergo etc. Adde quod ex vulgari affato operari sequitur esse. Si ergo creaturae, ut sint, assiduo Dei concursu, et actione indigent; qua cessante, abirent in nihilum; hinc efficitur, eas, ut operentur, eodem concursu, et operatione indigere; qua cessante, ne latum quidem unguem moveri possent.

## *Objectiones.*

*Objic.* I. Si creaturae in sigulis actionibus concursu Dei egerent, frustra Deus ipsis agendi vim, et potestatem indidisset. At hoc absurdum est. Ergo.

℟. *Neg. maj. et suppositum.* Supponit enim objectio, Deum unicuique creaturae indidisse vim agendi, non pendentem ab ipso: quod falsum est; alioquin creaturae essent non *causae secundae*, sed primae suorum actuum. Tribuit ergo Deus creaturis vim agendi, quae creaturis conveniebat, hoc est a prima causa pendentem; haec autem agendi vis per concursum Dei ad singulos actus inanis non redditur, aut inutilis: imo tunc effectum producit suum.

*Inst.* 1.° Si creaturae tali instructae essent agendi vi, ut in singulis actibus concursu, et actione Dei egerent, dicendae essent merum Deiinstrumentum. Atqui hoc falsum est; alioquin actiones non creaturarum essent, sed Dei; quia actio non instrumento; sed causae, quae instrumentum movet, attribuitur. Ergo.

℟. *Dist. maj.* Dicendae essent instrumentum improprie, *conc.* Proprie, *neg.* Proprie enim instrumentum dicitur, quod nulla vi agendi pollet, ut ascia in manu fabri. Improprie autem dicitur instrumentum, quod instructum quidem est agendi vi, sed quae ab alia causa pendeat. Hoc sensu creaturae improprie dici possunt Dei instrumenta, et revera ita dicuntur in Scripturis. *Vae Assur, virga furoris mei et baculus ipse est: Isaiae X.* 5. Actio autem instrumenti proprie dicti non istrumento tribuitur; sed causae principi. Non ita tamen sentiendum est de actione ejus rei, quae instrumentum improprie dicitur.

*Inst.* 2.° Eo excellentius judicatur opus, et tanto nobilior habetur artifex, quanto minus machina indiget manu artificis, ut moveri pergat. Ergo si creaturae non indigerent assiduo Dei concursu, ut moverentur, non solum id nihil officeret potentiae Dei, sed magis eam commendaret.

℟. *Neg. cons. et parit.* In eo est exempli dissimilitudo, quod artifex non est materiae conditor; sed id tan-

tantummodo propositum habet, ut partes machinae ita affabre componat, ut, conservante et concurrente Deo, possint eas vires exerere, quas ab ipso Deo acceperunt; hinc quo promptius eas vires exerunt, eo opus est excellentius, et nobilior artifex. At Deus cum sit rerum ex nihilo creator, non poterat creaturam efficere ab ipso non pendentem.

*Inst.* 3.° Recte servatur subjectio creaturarum primae causae, si nihil agant, quod non oriatur ab illa generali agendi potentia, quam a prima causa acceperunt; licet in singulis actibus speciali non egeant primae causae actione, atque concursu. Ergo.

℟. *Neg. ant.* Cum enim, ut supra dictum est, concursus Dei ad singulos creaturarum actus nihil aliud sit nisi conservatio creaturarum in motu, si creaturae sine eo concursu moveri possent, atque agere, dicendum esset; creaturas in motu existentes non indigere saltem quoad actualem motum Dei conservatione; ideoque a prima causa ea in re non pendere.

*Objic.* II. Si Deus ad singulos creaturarum actus concurreret, profecto concurreret etiam ad actus impios, et scelestos. Sed hoc abhorret a bonitate, et sanctitate Dei. Ergo.

℟. *Dist. maj.* Concurreret ad actus impios, atque scelestos, si spectentur quoad *physicum*, et *materiale* ut Scholae loquuntur, *conc.* Si spectentur quoad *formale*, *neg.* In peccato enim duo distinguenda sunt; nimirum 1.° ipse actus; quatenus ens aliquod est, quod *physicum*, et *materiale* peccati dicitur: 2.° ipsius actus *inordinatio*, quae est *formale* peccatum, neque ens aliquod positivum est, sed privatio recti ordinis in Deum, per quam creatura in seipsa, tamquam in ultimo fine consistit, ac quiescit. Sic in furto, aut homicidio, extensio manus, aliique motus sunt physicum, et materiale peccatum: defectus vero recti ordinis horum actuum in finem, *formale* peccatum est. Atque haec non solum in externis actibus, verum etiam in interioribus voluntatis operationibus distinguenda sunt. Sic in voluntate deliberatus homicidii appetitus, quatenus est motus quidam mentis ex intellectu, et voluntate procedens, *materiale* peccati est; quatenus autem motus hic inordinatus est, sistens in creatura tamquam in ultimo fine, inordinatio illa

illa est *formale* peccati. His igitur ita distinctis, si considerentur actus illi, ut aliquid physicum, atque materiale, boni sunt; et secundum generales eveniunt naturae leges, quas Deus, utpote universalis rerum gubernator, constituit, et servat. Si vero consideretur in illis inordinatio, sunt utique peccata, non a Deo movente facta, sed a creata voluntate, quae ab ultimo fine deficiens, concursu Dei, qui bonus est, abutitur, ut in creatura tamquam in ultimo fine quiescat; qua de re queritur ipse Deus apud *Isaiam. XVIII.* 24. dicens; *servire me fecisti in peccatis tuis.*

*Inst.* 1.° Physicum, et formale peccatum non distinguuntur reipsa; vel saltem ita inter se conjuncta sunt, ut divelli a se invicem non possint. Sic in actibus interioribus, *ex gr.* in odio Dei, non potest reipsa distingui physicum, et formale peccatum; sed ipse physicus actus malus est. In actibus vero externis, *ex gr.* in homicidio, motus, qui ad illud perpetrandum adhibentur, ita conjuncti sunt cum formali peccato, ut nullo pacto separari ab illo possint. Ergo si Deus concurreret ad physicum peccati, etiam ad formale concurreret.

℟. *Neg. cons.* Quando enim effectus aliquis a duabus causis pendet, quarum una perfecta est, altera vero imperfecta, atque deficiens; tunc defectus, et inordinatio, quae in effectu illo est, licet reipsa ab eo non distinguatur, vel separari non possit, non tamen est a causa perfecta, sed ab imperfecta, et deficiente. Ita si artifex excellentissimus pravo utatur instrumento, defectus certe, qui in opere est, licet ab opere ipso minime distinguatur, nec separari possit; non tamen ab artifice est, sed ab instrumento. Pari ratione quamquam animus est, qui pedem movet; claudicatio tamen non animo, sed male affectae tibiae tribuitur, ut *S. Thomas* advertit. Multo magis ergo cum peccatum procedat non ab instrumento inanimo, sed ab hominis voluntate libera, imperfecta, et deficiente, licet fiat concurrente Deo, causa perfectissima, neque in eo distinguatur reipsa *physicum*, et *formale*; tamen defectus, et inordinatio non est a Deo concurrente ad *physicum* actum, sed a voluntate creata.

*Inst.* 2.° Non licet concurrere cum alterius actione bo-

bona, cum qua necessario, vel saltem certe conjunctum est peccatum; haec enim esset illicita cum peccato alterius *cooperatio*. Ergo licet id, quod est *physicum* in peccato, non sit malum; tamen cum illud cum peccato *formali* conjunctum sit; non potest Deus ad illud concurrere.

℟. *Dist. ant.* Non licet personae privatae, atque iis in causis, quas, de charitate disputantes, explicabimus, *conc.* Non licet provisori generali, nempe Deo, qui ad bonum totius universi, juxta generales naturae leges, cum omnibus creaturarum actibus concurrit, *neg.*

*Objic.* III. Si Deus cum omnibus creaturarum actibus concurreret, profecto concursus hic vel praecederet *determinationem* creaturae ad agendum, vel sequeretur. Sed neutrum dici potest. Non primum; alioquin concursus non differret a *physica praemotione*. Non alterum; tum quia absurdum est, Deum sequi *determinationem* causae secundae: imo in illo actu creatura esset causa prima; tum quia illa *determinatio*, si Dei concursum praecederet, sine ullo concursu Dei fieret; ideoque Deus non concurret cum omnibus creaturarum actibus. Ergo.

℟. Dei concursum nec praecedere creaturae determinationem, nec sequi; sed esse, ut ajunt, *simultaneum*; h. e. Deum creaturis agendi virtutem indidisse, eamque singulis momentis conservare, etiam in illo instanti momento, quo *potentia* agendi exeritur, ac prodit in *actum*; conservatio autem ejus virtutis, dum de *potentia* transit in *actum*, concursus Dei est.

## PROPOSITIO II.

*In creaturis inertibus concursus Dei ad singulos earum actus non absurde dicitur physica praemotio, sive mediata, sive immediata.*

*Prob.* Creaturae inertes moveri non possunt, nisi ab alio motae. Si Ergo *immediate* a Deo moventur, erit haec *immediata praemotio physica*. Si vero moveantur ab alià causa, et haec ab alia, atque ita deinceps, deveniendum tandem erit ad primum auctorem Deum; tum quia cogitari non potest in motu progressus in infinitum

tum ( alioquin motus esset impossibilis ); tum quia si non sistas tandem in Deo primo movente, dicendum esset, esse aliam primam rerum causam praeter Deum, quod absurdum est. Ergo erit illa praemotio physica *mediata*.

## PROPOSITIO III.

*In creaturis actuosa vi pollentibus, quales sunt substantiae intelligentes, et liberae, praemotio physica agnoscenda est in iis actibus, quae bonum in genere respiciunt: in singularibus vero actibus, quae pertinent ad electionem cujusque singularis boni, sufficit concursus Dei simultaneus in actibus naturalibus.*

*Prob.* 1.° *pars.* Nemo liber est in appetitu boni in genere, in quod unusquisque fertur, et inclinatur ineluctabili necessitate. Ergo ad bonum illud appetendum *physice* praemovetur a Deo, qui creaturis rationalibus hoc veluti pondus in ipsa creatione indidit.

Alteram partem nonnulli probant duobus rationibus; 1.° quidem, quia *physica praemotio* libertatem creaturae rationalis omnino destruit; 2.° quia facit Deum peccati auctorem, quippe qui *physice* praemovet creatam voluntatem ad actus malos. Sed utraque ratio infirma est: imo non decet calumniam adeo atrocem Scholae Thomistarum, bene de Ecclesia meritae, impingere. Nam, quod pertinet ad libertatem, si creata mens potest seipsam, et facultates suas movere juxta earundem facultatum naturam, intellectum quidem necessario, voluntatem autem libere; multo magis Deus, qui mentem ipsam creavit, et est illi intimior, quam ipsa sibi, potest eam secundum ejusdem mentis naturam, illaesa ejusdem libertate, movere. Quod vero pertinet ad peccatum, nodus est, qui eodem modo ab auctoribus physicae praemotionis solvitur, quo a fautoribus simultanei concursus. His igitur rationibus omissis,

*Prob.* 2.° *pars.* Creata mens jam est ad bonum *in genere* ineluctabili necessitate inclinata. Ergo ut singulare bonum eligat, et amplectatur, non nova requiritur motio; sed sufficit, ut ei intellectus bonum ostendat:

dat: quod quidem si ostendat ut generale bonum, voluntas illud necessario appetit; si vero ut bonum singulare, in quo species aliqua mali possit apprehendi, voluntas ita illud appetit, et eligit, ut possit non appetere: in quo libertas arbitrii sita est.

Praeterea duplex est ratio, quae Thomistas impulit ad *praemotionem physicam* adstruendam: primo quidem, ut constet subjectio creatae mentis, ita ut pendeat a prima causa; deinde vero, ut voluntas, natura sua indifferens, *determinari* possit ad unum. Atqui haec subjectio, et *determinatio* rite servatur, posita generali illa impressione, ac motione voluntatis ad bonum, quam ei Deus primum indidit, et singulis momentis conservat. Cum enim omnis creatae voluntatis actus pendeat a generali illa, quam a Deo accepit, inclinatione in bonum, constat ejus subjectio, qua pendet a prima causa; cum vero ejus indifferentia non sit mere *passiva*, sed *activa*, potest seipsam ad bonum singulare, ex judicio intellectus, et generali inclinatione in bonum *determinare*. Non est igitur *physica praemotio* ad singulos actus necessaria. Neque ab hac sententia *S. Thomas* videtur alienus. Ait enim 1. 2. *Q. IX. art.* 6. *ad* 3. *Deus movet voluntatem hominis, sicut universalis motor ad universale objectum voluntatis, quod est bonum, et sine hac universali motione homo non potest aliquid velle; sed homo per rationem determinat se ad volendum hoc, vel illud quod est vere bonum, vel apparens bonum. Sed interdum* (quod diligenter advertendum est) *specialiter Deus movet ad aliquid determinate volendum, quod est bonum; sicut in his, quos movet per gratiam.* Quibus verbis *S. Thomas* ad solos supernaturales actus specialem videtur adstruere Dei praemotionem. Quandocumque igitur Doctor acutissimus ait, causas secundas in naturalibus actionibus moveri a prima, Deum causas secundas inclinare, et cetera ejusdem generis, de praemotione generali ad bonum commode potest intelligi. Vide *Laur. Berti Lib. IV. cap.* 6.

Sol-

*Solvuntur Objecta.*

*Objic.* I. Creata voluntas erga bona singularia indifferens est. Ergo non potest unum eligere, nisi moveatur ab alio, qui non potest esse nisi Deus; si enim esset aliquid creatum, hoc rursus moveri deberet ab alio; et illud ab alio, atque ita in infinitum. Ergo.

℟ *Dist. ant.* Est indifferens indifferentia *activa*, *conc. Passiva*, *neg.* Nimirum hoc interest inter indifferentiam inertium corporum, et liberae voluntatis, quod illa non acceperunt a Deo vim se movendi; ideoque eorum indifferentia *passiva* est; haec vero praedita divinitus est virtute agendi, et seipsam movendi ad unum, praeeunte intellectus judicio.

*Inst.* Nemo dat, quod non habet. Atqui creata voluntas, antequam moveatur ad unum, non habet in se motionem illam. Ergo non potest eam sibi ipsa dare; alioquin novam perfectionem ex nihilo in seipsa produceret.

℟ *Dist. maj.* Nemo dat quod non habet neque in *potentia*, neque in *actu*, *conc.* Quod non habet *actu*, sed habet *in potentia*, *neg.* Cum ergo creata voluntas praedita sit a Deo potentia seipsam movendi, ea potentia utitur, dum seipsam cum Dei conservantis concursu movet. Neque tunc novam perfectionem *substantialem* ex nihilo educit, sed novam quandam modificationem, cujus modificationis producendae virtutem habet a Deo.

*Objic.* II. In creatura agnoscenda est summa subjectio (a), qua pendeat a Deo tum *in fieri*, tum *in esse*, tum *in operari*, ut scholae ajunt. Atqui non esset summa subjectio, si non *physice* praemoveretur a Deo; posito enim concursu Dei, de quo supra dictum est, potest excogitari subjectio major, qua creatura a Conditore suo pendeat, nempe *physica praemotio*. Ergo.

℟ *Dist. maj.* Agnoscenda est summa subjectio, quae con-

(a) Scholast. Summa *dependentio*.

conveniat sapientiae Dei, et variae creaturarum naturae, *conc.* Summa absolute, *neg.* Cum ergo creaturae duplicis sint naturae; aliae quidem inertes, ut corpora; aliae liberae; omnium quidem subjectio, qua a Deo pendent, debet esse summa, sed non eadem omnium. Porro in creaturis libertate praeditis summa, quae excogitari possit, subiectio in actibus naturalibus est concursus Dei *simultaneus.*

*Objic.* III. Creaturae omnes etiam liberae in singulis actibus egent concursu Dei generali. Atqui concursus ille idem est, ac *physica praemotio*; nam, ut supra dictum est, concursus Dei est conservatio creaturae, et proprietatum ejus, dum est in motu. Atqui conservatio est quaedam continuata creatio, ut supra demonstratum est. Ergo concursus Dei est quaedam creatio rei, quae movetur; ac proinde est *physica praemotio*; qui enim rem creat in motu, utique eam praemovet.

℟ *Neg. min. Ad confirm. dist. maj.* Concursus est conservatio, quae potest dici continuata creatio; sed haec creatio potentiam respicit operandi, quam Deus creaturae indidit, *conc.* Respicit ipsum actum ejus potentiae, *neg.* Deus itaq. per concursum conservat in creatura illam agendi potentiam, quam ipsi indidit, et quidem eam conservat in eo instanti momento quo creatura est in motu; sed ipsa creatura utitur potentia illa, et seipsam ad agendum *determinat.* Itaque concursus Dei respicit potentiam agendi; *physica* vero *praemotio* respicit ipsum actum, quem Deus in creatura producit. Quod si Thomistae hoc ipsum per *praemotionem* se intelligere contendant, quod alii per *concursum*, nos de nomine non solemus instituere controversias. Quapropter utantur quidem ipsi suo loquendi more, modo tamen et nos more nostro loqui patiantur.

CAP.

## C A P. VII.

### *Utrum aliquid a Deo creatum aliquando redigatur in nihilum.*

*Adv.* Posse Deum, quidquid creavit, in nihilum redigere, extra controversiam est; utrum autem id faciat, est inquirendum. Et de creaturis quidem spiritalibus, quod eas Deus numquam in nihilum redacturos sit, dicemus inferius, ubi de spirituum immortalitate pauca adjiciemus iis, quae dicta sunt in Metaphysicis. De animabus brutorum quidam curiosius quesiverunt, an morientibus belluis, in nihilum redigantur; sed cum non constet, utrum eae spiritales sint, an corporeae (est enim hoc naturae arcanum) de iis disputare supervacaneum est. Restat ergo, ut expendamus, utrum mundum hunc aspectabilem aliquando Deus in nihilum sit, saltem aliqua ex parte, redacturus.

## P R O P O S I T I O

*Verisimilius est, Deum nullam omnino creaturam redacturum esse in nihilum.*

*Prob.* I. *ex Script.* Eccl. III. 14 *Didici, quod omnia opera, quae fecit Deus, perseverent in perpetuum.*

*Prob.* II. ratione D. Thomae *I. P. Q. CIV. art.* 4. Quidquid Deus facit, vel est in ordine naturae, vel supra naturam, ut sunt miracula. Atqui neutro modo Deus creaturas suas in nihilum rediget. Non quidem in ordine naturali; constat enim, nihil posse naturaliter in nihilum redigi; quia substantiae spiritales, quae non habent partes, nec corruptionis principium, sunt natura sua immortales: substantiae vero corporeae, licet corrumpi possint quoad formam; secundum materiam tamen, et prima elementa destrui non possunt. Sed nec in ordine supernaturali per miraculum. Supernaturalia enim pertinent ad gratiae Dei significationem, et commendationem, sed ad gratiam Dei non pertinet, quod res aliqua redigatur in nihilum, cum e contrario *in eo ma-*

*magis divina potentia commendetur, quod res in esse conservat.* Ergo.

*Objic.* I. Nihil frustra facit Deus. Atqui post generalis judicii diem frustra erit multarum rerum conservatio; nulli enim usui erit terra, aer, plantae etc. Ergo videtur fore ut Deus tunc ab earum rerum conservatione cesset; ideoq. eas in nihilum redigat.

℟. *Neg. min.* Nescimus enim nunc, quam in formam haec omnia post fatalem conflagrationem mutabuntur, dicente Joanne *Apoc. XXI. Vidi caelum novum, et terram novam*: neque vero affirmamus, futuras tunc plantas, aliaque ad hominum, atque animalium vitam servandam, atque augendam instituta; ac proinde nescimus cui usui ea reservet Deus ad gloriam suam; sicut etiam nescimus cui usui inserviant innumerabiles corporum species, quae non solum in globo Lunae, ceterórumque planetarum, verum etiam in interioribus terrae nostrae visceribus continentur. Videbimus haec in patria, et mirabimur, et laudabimus Dominum.

*Objic.* II. In Sacramento Eucharistiae substantia panis, et vini redigitur in nihilum. Ergo.

℟. *Neg. ant.* Quamvis enim in Eucharistia per *transubstantiationem* panis, et vinum in corpus, et sanguinem Christi convertantur; ea tamen conversio *annihilatio* dici non potest, ut ostendit S. Thomas 3. *P. Q. LXXV. art.* 3.

## P A R S II.

### *De Creatione Angelorum, eorumque natura, proprietatibus, et ordinibus.*

Inter omnes creatas res primum merito sibi locum vindicant Angeli, veluti puriores luminis aeterni scintillae, et radii, nihil terrenae concretionis habentes, supremi rerum Imperatoris viciniores administri. Multa Scholastici subtilissime de Angelis disputarunt, praesertim *D. Thomas*: inter Dogmaticos autem *Petavius* copiosissime, atque eruditissime de hoc argumento disseruit. Nos iis, quae in Scriptura, et traditione fundamentum habent, breviter expositis, reliqua, ne praestitutos limi-

tes

CIII. *Angelos*, inquit, *novimus ex fide*, *et multis apparuisse scriptum legimus*, *nec inde dubitare fas nobis est*.

Etiam ex Pentateucho, quem Sadducaei agnoscebant divinitus inspiratum, possunt ipsi evidenter revinci. *Genes. XVI. 7. Cum invenisset eam* ( Agar ) *Angelus Domini juxta fontem aquae in solitudine*. Ibid. cap. XIX. 1. *Venerunt duo Angeli Sodomam*, *et sedente Lot in foribus civitatis*. Ibid. cap. XXIV. 7. *Dominus Deus coeli* . . . *ipse mittet Angelum suum coram te*. Fit etiam eorum mentio *Exod. XIV*. 19., *Num. XXII*. 22., et alibi saepe, ut mira sit hac in parte Sadducaeorum caecitas. Ergo.

Ex ratione etiam nonnulli conati sunt Angelorum existentiam ostendere; non quidem *a priori*, quia poterat Deus illos non creare; sed *a posteriori*, nempe ex admirandis effectis, quae supra humanam naturam cernuntur in *energumenis*, ut videre est apud *Martinum del Rio*, *Tartarotum*, *Calmetum*, *Le Brunium*, aliosque. Vide Henricum Morum *Enchirid. Metaphys. P. I. cap.* 26. Sed cum effecta ista, si sint bona, vel mala physica, possint ab ipso Deo fieri; mala vero moralia ab ipso energumeno; argumentum inde petitum, a revelatione sejunctum, non est nisi probabile, et conjecturale. Potius id evincitur ex consensione omnium gentium, et philosophorum, de qua vide *Petavium*, Huetium *in Alnetanis Lib. II. cap.* 4., Vossium *de idololatria Lib. I. cap.* 4. Quippe non solum Graeci, verum etiam Ægyptii, Chaldaei, Sinenses, aliaeque gentes substantias quasdam intelligentes, et invisibiles agnoverunt, quos δαιμονας dixere Graeci. Haec autem universalis consensio nonnisi ex prisca, et perpetua traditione a primis hominibus divinitus edoctis ad omnes posteros dimanare potuit. Fictitium autem *Volterii* commentum facile esset refellere, non solum ex eo quod *Lib. I.* ostendimus, sacrarum scripturarum libros non ex hominum opinionibus concinnatos, sed inspiratos esse divinitus; verum etiam quia libri Chaldaeorum, atque Persarum, a quibus mentitur iste, Angelorum opinionem ad Hebraeos manasse, longe sunt Mosaicis, atque Propheticis libris recentiores; ita ut quamvis fingamus, hos

non esse divinos, absurdum tamen esset, eorum auctores fuisse aliquid a Chaldaeis, aut Persis mutuatos. Sed nostrum non est cum scurra isto mendacissimo disputare.

*Dices pro Sadducaeis.* Moyses rerum creationem in Genesi describens, de Angelis silet. Atqui eorum creationem praetermittere non debuisset, si revera existerent; ne forte Judaei ad idololatriam proni putarent, eos esse Spiritus non creatos, ac proinde Deos. Ergo quoties in Pentateucho ipse Moyses meminit Angelorum, non intelligit personas; sed ipsam Dei virtutem; quae exteriori aliquo signo ejus voluntatem hominibus patefacit: cum praesertim nomen Angeli non personam aliquam, sed officium, et operationem designet, nempe *nuncium*, ut observat *Gregorius M.*, *Augustinus*, aliique Patres. Ergo etc.

℟. 1.° *Dist. maj.* Silet de Angelis; h. e. non recenset eorum creationem *explicite*, *conc.* Non recenset *implicite* per ea verba *creavit caelum*, *et terram*: quae comprehendunt quidquid caelo, terraque continetur, ut observat S. Thomas *I. P. Q. LXI. art. 1. ad 1. neg.*

℟. 2.° *Neg. min.* Nam quia Hebraei nihil spiritale comprehendere valebant, ut ait Chrysostomus *Hom. II. in Gen.*, et aliunde proni erant ad idololatriam rerum sensibus objectarum; ideo necesse erat eos edocere, cuncta haec visibilia a Deo creata esse: non oportebat autem de spiritalibus naturis initio libri mentionem fieri. Nec refert, quod Moyses postea Angelorum meminit; loquitur enim de iis, ut Dei ministris, ac nunciis, ut periculum idololatriae non esset: unde non legimus, Judaeos unquam Angelis divinum cultum exhibuisse. Nomen autem Angeli est nomen officii non *in abstracto*, sed in persona, quae hoc officio fungitur. Sicut nomen Regis, oratoris, legati. Talibus autem characteribus Moyses Angelorum personas describit, ut eos revera personas non esse, sed virtutem Dei, ejusque auxilium, nulla ratione, ne poetice quidem, fingi possit.

PRO-

## PROPOSITIO II.

*Maximus est Angelorum numerus.*

*Prob. I. Daniel. VII.* 10. *Millia millium ministrabant ei, et decies millies centena millia assistebant ei.* Quibus verbis, ut observat *Hieronymus*, non definitum aliquem numerum significare voluit Propheta, sed indefinitum, et immensum. Et *Heb. XII.* 22. *Accessistis ad Sion montem, et civitatem Dei viventis, Jerusalem coelestem, et multorum millium Angelorum frequentiam.* Et *Matth. XXVI.* 53. *An putas, quia non possum rogare Patrem meum, et exhibebit mihi modo plusquam duodecim legiones Angelorum?* At haec de Angelis bonis dicta sunt. Ergo si iis addatur immensus malorum Angelorum numerus, quorum in uno homine obsesso integra legio fuisse dicitur *Luc. VIII.* 30., innumerabiles esse Angelos constabit.

*Prob.* II. Concors est SS. PP. doctrina, Angelos esse innumeros. Ita Dionysius *de Caelesti Hierarch. cap.* 14., Gregorius M. *Lib. XVII. Mor. cap.* 9., aliique. Putat autem *S. Thomas*, numerum Angelorum longe excedere species rerum corporearum. Ergo etc.

Porro quantus Angelorum sit numerus, definire temerarium est.

## CAP. II.

*Quando, et ubi Angeli fuerint creati.*

*Adv.* I. Quamvis fide certum sit, Angelos a Deo creatos esse, non tamen eadem fide constat quando, et ubi fuerint creati. Origenes quidem putabat, spirituales substantias longe ante Mundum creatas esse solas. Deinde, cum illae peccassent, Deum in earum poenam condidisse materiam, in qua veluti carcere inclusae sceleris sui poenas luerent. Damnatus hic error est in Concilio Lateranensi IV. sub Innocentio III., aliisque.

II. Patres nonnulli, praesertim Graeci docuerunt,

Angelos ante Mundum corporeum a Deo fuisse conditos, ut Nazianzenus *Orat. XXXVIII.*, Damascenus *Lib. II. cap.* 3., Auctor *de divinis Nominibus cap.* 5., et alii plures, quorum testimonia recitat Petavius *Lib. I. de Ang. cap.* 15. Iis subscribunt ex Latinis Ambrosius *Lib. I. Hexamer.*, Isidorus *de Summo bono Lib.* 1. *cap.* 12., Hieronymus *in cap.* 1. *ad Tit.* aliiq. Communior tamen apud Patres est contraria sententia, nempe Angelos simul cum mundo corporeo creatos esse. Duguetus *in explicatione Lib. Genes. Tom. I. cap.* 1. ita hanc sententiam communiorem sequitur, ut tamen uno saltem momento Angelorum creationem praecessisse asserat creationem corporum.

III. Sunt qui post *Ferrariensem* affirment, definitum esse a Concilio Lateranensi ut dogma fidei, Angelos non ante Mundum corporeum fuisse conditos, iis verbis: *Creator omnium sua omnipotenti virtute simul ab initio temporis utramque de nihilo condidit naturam, spiritualem, et corporalem, Angelicam videlicet et mundanam.*

## PROPOSITIO I.

*Non est recedendum a sententia communiter apud Theologos recepta, Angelos simul cum mundo corporeo creatos esse. Ea tamen sententia dogma fidei non est.*

*Prob.* 1a. *pars. Genes. I.* 1. *In principio creavit Deus Coelum, et terram*: et *Psalm. CI.* 26. *Initio tu Domine terram fundasti.* Atqui si ante mundum corporeum creasset Angelos, non diceretur *in principio* creasse coelum, et terram; ut observat Augustinus *Lib. XI. de Civ. cap.* 6. *Porro sacrae literae, maximeque veraces ita dicunt, in principio fecisse Deum caelum, et terram, ut nihil antea fecisse intelligatur; quia hoc potius in principio fecisse diceretur, si quid fecisset ante cetera cuncta, quae fecit.* Praeterea *Exod. XX.* 11. *Sex diebus fecit Dominus caelum et terram, et mare, et omnia quae in eis sunt.* Ergo et Angeli, qui in caelo, terraque sunt, sex illis diebus creati fuerunt.

*Prob.* II. *ex* PP. Epiphanius *Haeres. LXV. Illud enim*

*enim*, inquit, *evidenter divinus sermo declarat*, *neque post sidera productos Angelos*, *neque ante coelum*, *terramque constitutos.* Concinit Teodoretus *Quaest. III.*, Augustinus tum loco supra laudato, tum *Lib. XXII. cont. Faustum cap.* 10., Gregorius M. *Lib. XXVIII. Moral. cap.* 7., Beda *in Hexameron*, aliique complures, quorum sententiam secutum videtur Lateranense Concilium verbis supra laudatis.

*Prob.* III. ratione S. Thomae. Angeli pertinent ad perfectionem totius universi. *Non est ergo probabile*, *ut Deus*, *cujus perfecta sunt opera*, *ut dicitur Deuter. XXXI.*, *creaturam Angelicam seorsim ante alias creaturas creaverit*, partem scilicet seorsim a toto.

*Prob.* 2a. *pars.* 1.° S. Thomas, qui utique post Concilium Lateranense floruit, verbis mox recitatis haec subjungit: *quamvis contrarium non sit reputandum erroneum*, *praecipue propter sententiam Gregorii Nazianzeni*, *cujus tanta est in doctrina Christiana auctoritas*, *ut nullus umquam ejus dictis calumniam inferre praesumpserit*, *ut Hieronymus dicit.* Idem docent Vasquez *Disput. CCXXIV.*, Juenin *Dissert. I. de Ang. Quaest.* 3., Laurentius Berti *Lib. X. cap.* 6., Petavius, aliique Catholici Auctores. 2.° Praeterea non est credibile, Concilium damnare voluisse sententiam Nazianzeni, aliorumque Patrum, cum propositum tantum ei esset damnare Manichaeorum haeresim, quae tunc grassabatur, scilicet, non omnia fuisse a Deo creata; aut etiam errorem Origenis, corpora videlicet creata esse a Deo ad poenam spirituum, qui peccaverant. Ergo verba illa, *simul ab initio temporis*, significare possunt, Deum esse aeque rerum spiritalium, atque corporearum, et quidem non ab aeterno, sed in tempore conditorem. Ergo.

*Solvuntur Objecta.*

*Objic. I. cont.* 1m. *part.* Plures PP., ut *Nazianzenus*, aliique supra commemorati, non solum contrariam tenuere sententiam; sed etiam congruam cur ita sentirent rationem subjecerunt; ne scilicet dicatur Deus *ante hujus mundi creationem fuisse otiosus*, *tamquam non habens in quos bonitatis suae exerceret beneficia*, *solitarius*, at-

*atque ab omni munificentia alienus*, ut ait Cassianus Collat. *VIII. cap.* 7. Addunt etiam ex Scripturis illud Job. *XXXVIII.* 7. *Cum me laudarent simul astra matutina, et jubilarent omnes Filii Dei*: quod a *Cassiano* juxta versionem LXX. legitur: *Quando facta sunt simul sidera, laudaverunt me voce magna omnes Angeli mei.* Erant ergo Angeli spectatores creationis Mundi. Deique laudatores; ac proinde jam antea creati fuerant.

℟. *Neg. cons.* Quod enim ad Patrum auctoritatem pertinet, cum non agatur de fidei dogmate, non est mirum, aliquos diversa sensisse. Imo vero in rebus fidei ante Ecclesiae definitionem potuerunt aliqui Patres errare, ut de Regno millenario, de baptismo haereticorum etc. Quod autem pertinet ad rationem oppositam, ea nimis probat; sequeretur enim hinc, Deum debuisse creare Angelos ab aeterno. Locus denique *Jobi*, licet juxta LXX. interpretes intelligatur de Angelis, negotium nobis non facessit. Angeli enim initio creationis rerum producti, in ipso suae creationis instanti momento laudaverunt Deum, et in illa prima rerum creatione, et in sequentibus operibus, ut in productione siderum, de qua loquitur *Job*: quae quidem quarto tandem die effecta est. Vide Estium *Comment. in hunc loc.*

*Objic.* II. cum *Dugueto loc. cit.* Deus omnia ad gloriam suam facit, non quidem interiorem, quae ipsi naturalis est, neque indiget creaturis; sed exteriorem, quae in admiratione, et laudibus creaturarum sita est. Ergo non est putandum, in opere tam stupendo creationis rerum corporearum ex nihilo, nullas fuisse creaturas intelligentes, quae Deum mirarentur, et laudarent; sed uno saltem momento creatio spirituum praevertere debuit creationem corporum.

℟. *Transeat cons.* Si enim dicamus, eodem momento creata esse corpora, et Angelos, jam constat in creatione corporum non defuisse creaturas laudantes Deum in ipso suae creationis momento. Si vero concedamus, in primo momento creatos Angelos, in altero vero corporeas creaturas; dummodo nullum fingamus intervallum inter utramque creationem (alioquin statuere debemus, bis Deum cessasse ab opere, quod non congruit Scripturae dicenti, septimo tandem die requievisse Deum),

id

id nihil officit sententiae nostrae. Quae enim in duobus temporis momentis sine intervallo fiunt, ea simul fieri recte dicuntur.

*Scholion.*

Etsi dogma fidei non est sententia, quam propugnavimus, recte tamen monent *Estius*, *Suaresius*, *Gonetus*, *Sylvius*, *Bannez*, aliique, temeritatis notam non effugere eum, qui hodie contrarium doceret contra communem Theologorum sententiam, valde consentaneam verbis Concilii Lateranensis. Eadem tamen censura notanda non est sententia *Dugueti*, ut paulo ante diximus.

## PROPOSITIO II.

*De loco, ubi Angeli creati sunt, nihil certi statui potest.*

*Prob.* In rebus Theologicis, de quibus Scriptura silet, Patrum vero non est constans sententia, quaeque non ab ipsa rerum natura, sed a libera Dei voluntate pendent, nihil certi definiri potest. Atqui hac de re Scriptura silet; nullus enim locus inveniri potuit, qui id definiret: Patrum vero constans sententia non est. Augustinus enim *Lib. III. de Genes. ad lit. cap.* 10. docet, creatos Angelos in superiore parte aeris. S. Thomas *I. P. Q. LXI. art.* 4. in caelo *empyreo*, seu supremo, quae sedes beatorum est. Alii in caelo quidem propter verba Christi *Luc. X.* 18. *videbam Satanam, sicut fulgur de caelo cadentem*: sed non in suprema caeli parte; alioquin, inquiunt, non dixisset Lucifer *Isaiae XIV.* 13. sub figura Regis Babylonis: *in caelum conscendam* etc. Denique res haec non ab ipsa natura, sed a libera Dei voluntate pendet. Ergo nihil hac de re certo statui potest. Praestat autem, ut quoniam satis de Angelorum creatione diximus, quaenam eorum natura sit, expendamus.

## CAP. III.

### *De Natura Angelorum.*

TRia in hoc capite discutienda sunt: 1.° utrum Angeli spiritales sint, an corporei: 2.° utrum immortales; 3.° utrum inter se specie, an numero differant.

### §. I.

#### *Utrum Angeli spiritales sint, an corporei.*

*Adv.* Potest aliquid duobus modis esse spiritale; 1.° quidem, ut sit omnis omnino corporis, et materiae expers, sicut Deus: 2.° ut spiritale sit in nobiliori sui parte, ut homo, in quo est spiritus corpori conjunctus.

### PROPOSITIO

*Angeli spiritales sunt priori modo: h. e. ita sunt meri spiritus, ut nullum habeant corpus conjunctum.*

*Prob.* 1a. *pars*, nempe eos esse spiritales. 1.° Angeli hominibus nobiliores sunt ex *Psalmo VIII.*, ubi de homine dicitur: *Minuisti eum paulo minus ab Angelis.* Atqui essent ignobiliores, si corporei essent. 2.° Substantia intelligens, et volens spiritalis est. Atqui Angelos intelligentia, et voluntate pollere, ex Scripturis est manifestum 3.° Concilium Laternanense *cap.* 1. *Deus*, inquit, *utramque condidit substantiam spiritalem, et corporalem; Angelicam videlicet, et mundanam.* Ergo si qui ex veteribus videntur contrarium affirmare, vel commode interpetrandi, vel hac in parte deserendi sunt.

*Prob.* 2a. *pars.* Scriptura vocat Angelos *absolute* spiritus *Ps. CIII. Qui facis Angelos tuos, Spiritus*: quae verba Apostolus *Heb. I.* 7. non de ventis, sed de Angelis intelligit; ubi etiam de Angelis ait: *omnes sunt administratorii spiritus.* Atqui non dicerentur absolute *spi-*

*spiritus*, si ex corpore, et spiritu mixti essent; sicut hominem nemo dixerit absolute esse spiritum. Ergo.

*Prob.* II. Licet non pauci Patres vel asseruerint Angelos habere corpora quaedam aërea, et subtilissima, vel saltem hac de re dubitaverint; multo plures tamen eos omni prorsus corpore expertes statuunt. Ignatius *in Epist. ad Trallianos* vocat Angelos *incorporeas naturas*; ita et Nyssenus *Lib. XII. cont. Eunom.* eos appellat *incorpoream creaturam.* Eusebius Caesariensis *Demonstr. Evang. Lib. IV. cap.* 1. ait, Angelos, et Archangelos esse *incorporeas quasdam, et intelligentes, et divinas virtutes materia carentes, et puros omnino Spiritus.* Gregorius M. *Lib. IV. Mor. cap.* 9. *Angelus namque solummodo spiritus est; homo vero et spiritus, et caro.* Similia docent Chrysostomus *Hom. XXII, in Genes.*, Damascenus *Lib. II. de Fide cap.* 3., aliique Graeci, et Latini Patres, quos secutum Concilium Lateranense IV. docet, Deum condidisse ex nihilo substantiam spiritualem, sive Angelicam, et corporalem, deinde humanam, quasi communem ex spiritu, et corpore constitutam; ubi aperte substantiam spiritalem, vel Angelicam, distinguit a substantia constituta ex spiritu, et corpore: quae verba satis indicant communem Ecclesiae catholicae sensum. Unde post Concilium illud nullus est Theologus, qui contrarium sentiat, uno excepto *Cajetano*, qui censet, saltem daemones subtilissimis corporibus alligatos esse. Imo inter ipsos haereticos vix pauci corporatos putarunt Angelos, ut Radulphus Cudworthus in *System. Intellectuali cap.* 5. *sect.* 3. §. 3., Loërsius *in Dissert. de Angelorum corporibus*, ab ipsis gregalibus suis coufutati. Hinc etsi non est dogma fidei, Angelos non habere conjuncta corpora; temerarium tamen esset hodie contrarium asserere, ut observat *Estius in II. Dist. XIII.* §. 4.

### *Solvuntur Objecta.*

*Objic.* I. Multi Patres Graeci, Latinique docuerunt, Angelos habere corpora. Hinc Fulgentius, vel quivis auctor *Lib. de Trin. Plane*, inquit, *ex duplici eos esse substantia asserunt magni, et docti viri, idest ex spiritu*

*ritu incorporeo, et corpore.* Et quidem multi de Angelis intellexerunt illa verba *Genes. VI. 2. Videntes filii Dei filias hominum quod essent pulchrae, acceperunt sibi uxores ex omnibus, quas elegerant.* Ita Justinus *Dial. cum Tryph.*, Athenagoras *in Apolog.*, Clemens Alex. *Lib. XVIII. Strom.*; Lactantius *Instit. Lib. II. cap.* 14., Ambrosius *in Apolog. David. cap. I.*, aliique. Nonnulli etiam docuerunt, solum Deum esse omnino corporis expertem, ut Cyrillus Alex. *Lib. IX. in Joan.*, Joannes Thessalonicensis *in Dialogo*, qui lectus est in septimo generali Concilio *Act. V.* Ipse Augustinus *Lib. II. de Trin. cap.* 7. ait, Angelos *corpus suum, cui non subduntur; sed subditum regunt, in species, quas velint, accomodatas vertere.* Ergo saltem imitanda est modestia *Bernardi*, qui *Serm. V. in Cant.* satius duxit hac de re, quae ad salutem non pertinet, dubitare.

℟. *Neg. cons.* Fatemur enim, nonnullos Patres in contraria fuisse sententia, antequam communis totius Ecclesiae sensus innotesceret. Quod si accidit aliis in rebus, quae ad fidem pertinent; multo magis in hac accidere potuit, quae dogma fidei non est. Ceterum Patres, qui de Angelis intellexerunt laudatum *Genesis* locum, decepti ex nonnullis Codicibus Versionis LXX., ubi pro *filii Dei*, legebatur *Angeli Dei* (quos Codices mendosos fuisse observat Cyrillus *Lib. I. cont. Julian.*) manifeste errarunt. Angeli enim illi non poterant esse Angeli Sancti; tum quia beati erant, atque in eos peccatum cadere non poterat; tum quia *neque nubunt, neque nubentur*, ut habetur *Matth. XXII.*: nec poterant esse Angeli mali; quia immerito appellati essent *filii Dei*, *Angeli Dei* (a). Patres vero, qui solum Deum esse *ἀσώματον*, sive *incorporeum* dixerunt; *Incorporeum* utique pro eo usurparunt; quod ubique est; vel pro spiritu, in quo compositio ex substantia, et accidentibus nulla est. Sic Cassianus *Collat. VII. cap.* 13. ideo ait,

(a) Vide Nourrium in *Apparasu ad Bibl. PP.* ubi de *Tatiano*, et *Clement. Alexand.*; Calmet *Dissert. de Gigant. et de Lib. Henoch.*, Nat. Alex. *Dissert. VII. in I. Mundi Aetat.*

ait, solum Deum esse incorporeum, *quia est ubique, et omnia penetrat.* Hilarius *Lib. II. de Trin. Spiritus nec circumscribitur, nec tenetur, quia per naturae suae virtutem ubique est.* Denique multi ex iis, qui Angelos corporeos dixere, non opinando, sed dubitando locuti sunt; praesertim *Augustinus*, qui semper hac de re dubitavit, ut videre est *in Enchirid. cap.* 59.; *Lib. I. Retract. cap.* 26. *Lib. III. de Genes. ad lit. cap.* 6. *Lib XV. de Civ. cap.* 23. *et Lib. XXI. sap.* 16. (*a*).

*Objic.* II. In Concilio Nicaeno II. lectus, atque approbatus est *Dialogus Joannis Thessalonicensis*, in quo dicebatur, Angelos subtilia quaedam habere corpora, in propria specie apparuisse hominibus; ideoque pingi posse. Unde eo perfecto *Tarasius* Constantinopolitanus patriarcha dixit: *Ostendit Pater, etiam Angelos oportere pingi; quoniam circumscripti sunt, et hominum specie hominibus apparuerunt.* Quae verba Concilium universum probavit dicens: *Etiam Domine.* Ergo.

℟. *Dist. ant.* Concilium probavit sententiam *Joannis*, et *Tarasii* quoad id, de quo tunc agebatur contra *Iconomachos*; h. e. probavit in eo quod dicebant, Angelos apparuisse hominibus in humana specie, ideoque pingi posse, *conc.* Probavit quoad omnia, h. e. etiam in eo quod dicebat *Joannes Thessalonicensis*, eos habere propria corpora, et in iis apparuisse, *neg.* Non enim omnia, quae recitantur in Conciliis, censeri debent approbata, sed ea tantum, quae pertinent ad dogma definiendum. Doctrina igitur illa probata est, nempe Angelos pingi posse: ratio vero *Joannis Tessalonicensis*, nempe quia Angeli corpus habent, nec revocata ad examen est, neque laudata.

*Objic.* III. Angelos saepenumero hominibus apparuisse, cum iis locutos esse, manducasse etc. ex Scripturis manifestum est. Atqui ista praestare non potuissent sine corpore. Ergo.

℟. *Dist. maj.* Apparuerunt in specie aliena, *conc.* In proprio corpore, *neg.* Etiam Patres, qui corpora An-

---

(a) Vide Noris *Vindic. August. Lib. VI. cap.* 10.

Angelis affinxerunt, non eos putarunt indutos crassiori corpore, sed aethereo, ac subtilissimo: unde, ad explicandas Angelorum visiones, ad corpus ab Angelis assumtum confugere debuerunt, ut patet ex Augustino *Lib. III. de Trin. cap.* 1. Ex iis vero, qui Angelos corpora habere negant, nonnulli docent, visiones illas omnes fuisse in hominum imaginatione, aut sensibus; h. e. sensus hominum sive internos, sive externos, ita fuisse affectos, ac si praesens adesset Angelus cum humano corpore. Haec tamen explicatio stare non potest; cum enim res ab omnibus, qui adsunt, eodem modo videtur, auditur, tangitur, non potest esse falsa corporis imago; alioquin probare non potuissent Apostoli, Christum in vero corpore resurrexisse: imo actum esset omnino de rerum veritate, earum, quae sensibus objectae percipiuntur. Alii ergo rectius docent, Angelos ex crassiori aëre corpus sibi, in quo apparuerunt, coaptasse. Sed quia in corpore illo assumpto non erat Angelus tamquam forma corporis; sicut est in humano corpore anima illud vivificans: sed tamquam gubernator: ideo comedendi, bibendi, loquendi, aliaeque ejusdem generis actiones non erant vitales; nec cibus in corporis alimentum vertebatur; sicut S. Raphael Angelus Tobiae dixit: *videbar quidem vobiscum manducare . . . sed ego cibo invisibili . . . utor*: *Tob. XII.* 19.

## §. II.

### *Utrum Aageli sint immortales.*

*Adv.* Potest aliquid creatum dici immortale vel quia nullum in se habet corruptionis principium, vel quia numquam a Deo in nihilum redigetur. Prior immortalitas insita rei est, atque ab ipsa ejus natura proficiscitur; ideoque ab Scholasticis dicitur *ab intrinseco*: posterior extrinsecus accidit, diciturque in Scholis *ab extrinseco.*

PRO-

## PROPOSITIO

*Angeli utroque modo immortales sunt, hoc est tum* ab intrinseco, *tum* ab extrinseco.

*Prob.* 1a. *pars.* Quod est spiritale, est immortale ab intrinseco, h. e. nullum habet in se corruptionis principium; ut de animo humano in Metaphysicis ostenditur. Atqui Angeli spiritales sunt, ut supra demonstratum est Ergo.

*Prob.* 2a. *pars*, quae est dogma fidei. Quod Deus in aeternum conservabit, est extrinsecus immortale. Atqui Deus Angelos in aeternum conservabit: malos quidem in supplicium aeternum; bonos vero in vitam aeternam. Nam *Matth. XXV.* 41. 46. *ignis aeternus* dicitur *paratus diabolo, et Angelis ejus*: vita vero aeterna justis; ac proinde etiam Angelis. Ergo.

*Objic.* I. Damascenus *Lib. II. de fid. Orth. cap.* 3. aliique Patres docent; Angelos esse immortales *non natura, sed gratia.* Ergo non sunt intrinsecus immortales.

℟. *Neg. cons.* Nomine enim *gratiae* intelligunt ibi Patres non supernaturale donum, sed ipsam creationem h. e. docent, solum Deum habere immortalitatem a seipso, sicut ait Apostolus *I. ad Tim. VI.* 16. *Qui solus habet immortalitatem*: Angelos vero immortalitatem habere beneficio Creatoris. *Quo modo*, inquit Hieronymus *in Epist. ad Tit.*, *solus immortalitatem habere dicatur (cum et Angelos, et multas rationabiles fecerit creaturas, quibus dederit immortalitatem) ita solus dicitur verax; non quod et ceteri non immortales, et veritatis sint amatores, sed quod ille solus naturaliter sit immortalis, et verus: ceteri vero immortalitatem, et veritatem ex largitionis ipsius dono consequantur.*

*Inst.* Quod non habet immortalitatem, nisi a Deo conservante, non habet intrinsecus immortalitatem; Atqui Angeli nonnisi a Deo conservante immortalitatem habent; quia si Dei conservatio cessaret, abirent in nihilum. Ergo.

℟. *Neg. maj.* Solus enim Deus ita immortalitatem habet intrinsecus, ut alio non indigeat; reliqua vero, si non

si non habent in se corruptionis principium, intrinsecus immortalia dicuntur, quia ipsa per se perire non possunt, nec ab ulla creata causa destrui; sed tantum a supremâ, atque omnipotenti potestate, nempe Deo, qui ea conservare cessat.

## §. III.

### *Utrum Angeli differant inter se specie, an numero.*

*Adv.* Celebris est doctrina S. Thomae *I. P. Q. L. art.* 4. singulos Angelos inter se differre specie, non numero: quam doctrinam saepe alibi inculcat, in eaque fuit adeo constans, ut diceret, impossibile esse, ac repugnans fingere duos ejusdem speciei Angelos. Reliqui Theologi dividuntur in partes duas: alii volunt, Angelos diversorum ordinum, de quibus ordinibus infra erit dicendi locus, inter se differre specie; ejusdem vero ordinis Angelos numero inter se differre: alii vero asserunt, omnes Angelos ejusdem esse speciei; differre autem inter se numero, et proprietatibus *accidentalibus.* Denique nonnulli rem incertam esse docent; secuti Augustinum, qui *in Enchirid. cap.* 58. nescire se fatetur, quae sint in suprema Angelorum societate differentiae personarum.

### PROPOSITIO

***Utrum Angeli specie, an numero inter se differant, quaestio valde implexa est, ad fidem non pertinens; congruentius tamen est modo loquendi Patrum, Angelos, saltem ejusdem ordinis, esse ejusdem speciei.***

*Prob.* 1a. *pars.* 1.° Auctoritas S. Thomae omnium Metaphysicorum acutissimi, unumquemque terrere debet, ne cito pronunciet, eum in hac metaphysica quaestione errasse. 2.° Ratio S. Thomae non levis est ponderis, si penitus inspiciatur. Ait enim, principium *individuationis*, seu causam cur in eadem specie unum ab altero individuum differat, esse materiam, qua cum

An-

Angeli expertes sint, non possunt a se invicem in individuo differre; sed omnis inter eos distinctionis ratio ab ipsa forma repetenda est. Haec, inquam, ratio contemnenda non est; quia in iis, quae ex materia, et forma non sunt composita, quales sunt Angeli, non est nisi sola forma, sive natura materiae expers. Atqui fieri non potest, ut sint duae ejusdem speciei formae sine materia; ex. gr. duae albitudines: sed tantum esse possunt duo corpora alba. Ergo. Hinc doctissimus *Estius* doctrinam *S. Thomae* probabiliorem appellat; licet concedat, saltem divina potentia fieri posse, ut sint duo Angeli ejusdem speciei: quod *S. Thomas* meliori consequentia ex suis principiis negat, utpote contradictionem involvens. E contrario communis Theologorum doctrina, ab hac sententia abhorrens, gravi quoque ratione nititur; quia animae humanae, licet a corporibus separatae, remanent tamen ejusdem speciei, et numero tantum inter se differunt. Igitur obscura valde, et implexa quaestio est.

*Prob.* 2a. *pars.* Neque Scriptura, neque traditio, neque Ecclesia quidquam hac de re definiunt. Ergo ad fidem non pertinet.

*Prob.* 3a. *pars.* 1.° Basilius *Lib. III. cont. Eunomm. Angeli omnes, ut appellationis unius, sic et naturae omnino sunt ejusdem invicem; nam et stella a stella differt in gloria; natura vero stellarum omnium est una.* 2.° Cyrillus Alex. *Lib. II. in Joan. Angelus ab altero Angelo nulla re differt secundum id quod sunt Angeli, nempe pro eo, quod cum sint ejusdem omnes speciei, in unam naturam colligantur.* Ergo.

Dixi *in prop. saltem ejusdem ordinis*; quia verisimilius videtur, Angelos diversorum ordinum specie differre. Si enim Deus in rebus corporeis ad pulchritudinem universi tot genera ac species multiplicavit, verisimilius est, idem fecisse in substantiis spiritalibus. Objectiones praetermittimus in quaestione momenti non magni. Jam explicata Angelorum natura, de eorum proprietatibus dicendum est.

## C A P. IV.

### *De proprietatibus Angelorum naturalibus.*

*Adv.* CUm rationabilis quaelibet creatura, praeter proprietates naturae insitas, etiam supernaturalibus a Deo sit instructa donis, nos ut ordine procedamus, primo naturales, deinde supernaturales Angelorum proprietates explicabimus. Naturales autem eorum proprietates quatuor sunt: 1.° intellectus, ad quem pertinet etiam locutio, seu modus, quo unus alterius cogitationes sibi significatas intelligit; 2.° voluntas; 3.° locus, et de loco in locum mutatio: 4.° vis, atque potestas movendi corpora. De his gravissimae excitantur controversiae.

### §. I.

### *De intellectu, et locutione Angelorum.*

*Adv.* Angelos esse intelligentia praeditos, ex sacris literis perspicuum est: quae quidem talia Angelis attribuunt, quae sine intelligentia fieri non possunt; puta quod Deum in rerum creatione mirabundi laudaverint *Job. XXXVIII.* 7. ex versione LXX.: quod semper faciem Patris videant *Matth. XVIII.* 10.: quod sint administratorii spiritus etc. Sed quaeritur 1.° an Angelorum intellectus similis nostro sit, qui partim simplici intellectione, partim ratiocinatione cognoscimus: 2.° ad quaenam se extendat *objecta*, utrum scilicet res omnes sive spiritales, sive corporeas videat: utrum arcana Dei: utrum futura libera: denique utrum secretas aliorum Angelorum, atque hominum cogitationes: quae hic singillatim expedienda sunt.

PRO-

## PROPOSITIO I.

*Verisimilius est, Angelos non ratiocinatione, sed simplici intellectione cognoscere ea, quae naturaliter vident.*

*Prob. I.* ex auctoritate S. Thomae *I. P. Q. LVIII. art.* 3. *Inferiores*, inquit, *intellectus*, *scilicet hominum*, *per quemdam motum*, *et discursum intellectualis operationis perfectionem in cognitione veritatis adipiscuntur*, *dum scilicet ex uno cognito in aliud incognitum procedunt. Si autem statim in ipsa cognitione principii noti inspicerent*, *ut quasi notas*, *omnes conclusiones consequentes*, *in eis discursus locum non haberet. Et hoc est in Angelis*, *quia statim in illis*, *quae primo naturaliter cognoscunt*, *inspiciunt omnia*, *quaecumque in eis cognosci possunt.*

*Prob.* II. Videmus, homines, quo sunt ingenii praestantioris, eo plures in principiis sine ratiocinatione videre conclusiones. Atqui Angelorum intelligentia acutior, et vividior est humana. Ergo non videtur indigere ratiocinatione; sed statim in principiis cognoscere veritates, quae ex iis consequuntur, et in effectibus videre causas, et vicissim in causis effectus.

Dixi *quae naturaliter vident*, nam circa singularia, quorum notitiam acquirunt, eos uti ratiocinatione verisimile est; sicut ex miraculis Christi ratiocinando conjiciebant, ipsum esse Messiam.

## PROPOSITIO II.

*Angeli non vident omnia possibilia. Tamen omnium rerum existentium ideas a primo creationis momento impressas, et ingenitas habuere, saltem quoad earum species; simulque naturalem Dei cognitionem.*

*Prob.* 1.° *pars.* Cognoscere omnia possibilia est divinam omnipotentiam, ideoque et essentiam divinam, quae reipsa ab omnipotentia non distinguitur, comprehende-

re. Sed hoc solius mentis infinitae, sive Dei est. Ergo etc. Multa tamen possibilia possunt cognoscere; tum quia homines, licet Angelis inferiores, multa possibilia cognoscunt; tum quia cum Angeli sint administratorii spiritus, pertinet saepe ad eorum ministerium scire quid sit possibile, quid non.

*Prob.* 2a. *pars.* 1.° Angeli creati sunt a Deo perfecti: *Dei*, enim, *perfecta sunt opera*: *Deuter. XXXII.* 4. Atqui pertinet ad perfectionem naturae intelligentis cognitio rerum omnium existentium, saltem quoad species; nam numerum omnium singularium individuorum scire non est ad perfectionem intelligentis naturae necessarium. 2.° Deus primo homini, eo quod aliorum caput, et doctor futurus erat, rerum naturalium scientiam indidit, ut infra docebimus. Ergo a fortiori Angelis, quibus sublimiora misteria, et ipsorum hominum custodiam destinabat.

*Prob.* 3.° *pars*. Angeli, ut supra dictum est, vident sine ratiocinatione effectus in causis, et causas in effectibus. Atqui omnes creaturae, quarum Angeli ideas habent, sunt effectus primae causae, sive Dei. Ergo quocumque vertant mentis aciem, sive in seipsos sive in alias res creatas, semper iis occurret Deus, qui omnia ex nihilo creavit, et servat, et cum singulis earum actibus concurrit. Praeterea si homines sensibilibus rebus illecti, atque hebetati, ex creaturis Deum cognoverunt; a fortiori Angeli, qui majori pollent intelligentiae acumine, et nobiliora Dei opera conspiciunt.

## PROPOSITIO III.

*Praeter generales rerum omnium ideas, Angeli res ipsas praesentes vident; licet, quomodo id fiat, incertum sit.*

*Prob.* 1a. *pars*. Angeli, ut habetur *Job. XXXVIII.* 7. ex versione LXX., in rerum creatione Deum laudarunt: *sunt administratorii Spiritus in ministerium missi propter eos, qui haereditatem capient salutis Heb. I.* 14. Atqui nec Deum laudare poterant, nec ejus jussa facere, si res praesentes non viderent. Essent enim omnino cae-

caeci, et surdi, ignorantes omnia, quae circa ipsos sunt. Ergo.

*Prob.* 2a. *pars.* Licet homo sensus habeat, in quos agunt exteriora corpora, tamen adeo obscurum est, quomodo mens humana, quae spiritalis est, afficiatur a sensibus, ac praesentia corpora videat, ut nihil certi adhuc in Metaphysicis hac de re statui potuerit. Ergo a fortiori id obscurum erit de Angelis, quos omnino spiritales esse, et corporis expertes, supra docuimus. Hinc nonnulli docent, Angelos res praesentes videre in Deo, tamquam in speculo *intellectuali*, naturaliter illuminante rationales creaturas: quod etiam de hominibus asserebat *Malebranchius.* Alii putant, Deum ipsum, qui generales rerum ideas Angelis in creatione indidit, occasione rerum praesentium ipsis immittere ideas rerum singularium, atque praesentium. Res obscura est. Qui Angelos subtilissimis corporibus indutos putabant, difficultatem non effugiebant; adhuc enim obscurum erat, quomodo subtilissima illa corpora in spiritus agerent.

## PROPOSITIO IV.

*Arcana Dei, seu res supernaturales, et decreta Dei libera, quae pertinent ad mysteria Religionis, Angeli naturae viribus non vident. Vident tamen ex speciali revelatione, quae voluit Deus ipsis ostendere.*

*Prob.* 1a. *pars.* 1.° *I. Cor. II.* 11. *Quae Dei sunt, nemo cognovit, nisi Spiritus Dei.* Et *Marc. XIII.* 32. *De die autem illo vel hora nemo scit, neque Angeli in caelo.* Ergo haec etiam propositio ad fidem pertinet. 2.° Inter naturales Angelicae intelligentiae vires, et res supernaturales nulla proportio est. Item inter Deum, quem Angeli naturaliter cognoscunt, et libera ejus decreta necessarius non est connexus. Ergo etc.

*Prob.* 2a. *pars.* 1.° Angeli antequam beatitudinem supernaturalem, et aeternam assequerentur, supernaturalia aliqua per fidem cognoverunt, alioquin naturali lumine ad supernaturalem finem pervenissent. Ergo ea

per revelationem cognoverunt. Quaenam autem illa fuerint, inter Theologos non constat.

2.° Quae Deus hominibus Angelorum ministerio revelavit, cujusmodi fuerunt omnia, vel fere omnia quae Patriarchis, atque Prophetis revelata sunt, per revelationem innotuerunt Angelis.

3.° Mysterium Incarnationis nonnulli docent Angelos latuisse ante lapsum malorum, et beatitudinem bonorum, cum eorum gratia, et gloria ex meritis Christi non penderet. Alii vero post *S. Thomam* putant, a principio quidem fuisse imperfecte cognitum ab Angelis mysterium illud. Deinde plenius iis revelatum, saltem quoad ejus substantiam, cum beatitudinem assecuti sunt. Mox paulatim, prout tempus, et causa postulabat, etiam aliquas circumstantias iis innotuisse, cum scilicet circumstantiae illae, puta temporis, loci, etc. hominibus revelatae sunt. Tandem plenissime quoad omnes circumstantias mysterium illud Angelos didicisse in ipsa Ecclesiae institutione, juxta id, quod ait Apostolus *Ephes. III.* 8. Sibi datam esse gratiam *in gentibus evangelizare investigabiles divitias Christi, et illuminare omnes, quae sit dispensatio Sacramenti absconditi a saeculis in Deo: . ut innotescat Principatibus, et Potestatibus in caelestibus per Ecclesiam multiformis sapientia Dei.* Et *I. Tim. III.* 16. vocat incarnationem Verbi *magnum sacramentum, quod manifestatum est in carne, justificatum est in spiritu, apparuit Angelis* Unde Chrysostomus *Hom. IV. de Incomprehensib. Vide*, inquit, *quantus honor humanae naturae est habitus, ut nobiscum, et per nos caelestes virtutes Regis arcana cognoverint.* Non quod Angeli haec didicerint ab Apostolis, sed in Apostolis, ut observat S. Thomas *Comment. in cap. III. Ephes.*

## PROPOSITIO V.

***Futura libera, nisi Deo revelante, Angeli naturali lumine certo praenoscere non possunt. Dogma fidei est.***

*Prob.* I. Deus *Isaiae XVI.* 23. hunc Divinitatis proprium characterem constituit, notitiam futurorum. *Annun-*

*nuntiate quae ventura sunt in futurum, et sciemus quia Dii estis vos.* Unde Tertullianus *Apolog. cap.* 2.° *idoneum*, inquit, *testimonium Divinitatis, veritas divinationis.*

*Prob.* II. Mens creata percipere non potest, nisi quae sunt aut in se ipsa, aut in causa. At futura libera non sunt in se ipsa, quia futura; non in causa, quia libera. Ergo non potest ea videre, nisi ut possibilia.

Dixi autem *futura libera*; quia quae ex naturalium causarum actione, et concursu necessario pendent, ut solis, lunaeque eclipses, tempestatum vicissitudines etc. Angeli, ut sunt ingenio acutissimi, praenoscunt; licet etiam in eo falli possint, si Deus pro suprema potestate sua in res creatas naturae leges aliquando velit suspendere; ut ex. gr. cursum solis, orante Josue.

Dixi *certo*; nam conjectura assequi possunt quid quisque verisimilius sit facturus, spectato hominis ingenio, consuetudine, omnibusq. aliis circumstantiis; si enim id aliquando faciunt homines; multo magis Angeli, quorum intelligentia subtilior est, et experientia major.

### *Objectiones.*

*Objic.* I. Multa daemones praedixisse legimus apud Ethnicos, quae vera fuisse probavit eventus. Ideo enim toto fere orbe celeberrima fuerunt Oracula *Apollinis Pythii*, responsa *Ammonis*, *Sortes Praenestinae*, et alia falsorum numinum vaticinia, quae si nihil umquam praedixissent, aut si numquam praedictioni respondisset eventus, quis fuisset adeo demens, ut ea ulterius consuleret? Atqui illa non acceperunt ex Dei revelatione. Ergo praeviderunt naturali lumine.

℟. *Dist. maj.* Praedixerunt futura necessaria ex naturalibus causis oritura; vel contingentia quidem, sed jam facta in remotissimis regionibus, quae hominibus id ignorantibus videbantur futura, *conc.* Praedixerunt futura libera, *subdist.* Praedixerunt certo, *neg.* Per conjecturam, et ambigue; ut responsio oraculi in utrumque sensum trahi posset, *conc.* Sciendum est, *Antonium Van-Dale Lib. de Oraculis*, corrogatis undique multis oraculorum historiis, asserere, omnia numinum vaticinia non a dae-

mo-

monibus fusa, sed conficta a Sacerdotibus, qui oracula venditantes, de stupida hominum credulitate quaestum faciebant. Ipsi Gentiles emunctae naris id videntur sensisse; nam *Demosthenes* ajebat *Pythiam* φιλιππίζειν, hoc est muneribus *Philippi* corruptam pro eodem oracula fundere; et *Cicero* ait, ideo Apollinem Pythium sua aetate obmutuisse, quia homines minus creduli esse coeperunt. Sed licet fateamur, multa oracula conficta esse calliditate Sacerdotum, temere tamen id asseritur de omnibus contra constantem omnium Patrum doctrinam, qui viciniores iis temporibus, vaticinia illa aliqua ex parte daemonibus tribuunt. Quare ex proposita *distinctione*, dicimus, daemones, Dei aemulatores, affectasse semper, et venditasse praescientiam futurorum, quam sciebant unius veri Dei esse propriam, *ut cultoribus suis suam quasi divinitatem commendarent*, ut ait Augustinus *Lib. de Divinat. daemonum cap.* 7. Eos tamen praedicere non posse nisi 1.° effectus necessarios causarum naturalium: quae caussae cum hominibus ignotae sint, ii pro vero vaticinio praedictionem accipiunt: 2.° pro summa celeritate, qua de loco in locum moveri queunt, edicere posse ut praesentia, vel futura, quae in regionibus remotissimis acciderunt: 3.° res vere contingentes, et liberas praedicere non posse, nisi ex conjectura plerumque fallaci; vel tali verborum ambiguitate, et involucro, ut quicumque casus accidat, possit vaticinium eo trahi: quale fuit illud: *Aio te Æacida Romanos vincere posse*: item illud: *Craesus Alim superans magnam disperdet opum vim*, ut observat Augustinus *Lib. III. de Civ. cap.* 17., Lactantius *Lib. II. cap.* 14., et ipse Cicero *Lib. II. de divinat.*

Caeterum daemones futura libera ignorare, falsoque praedicere, patet ex Scripturis. Bis enim falso praedixit Satanas, Jobum peccaturum, si Deus illum calamitatibus probaret. Imo, ut observat *Ambrosius*, numquam diabolus superbissimus viros sanctos tentationibus impeteret, si se certo sciret ab iis turpiter vincendum, et majorem iis meritorum cumulum ex victoria accessurum: *Lib. II. in Luc.* 3. Addit Leo M. *Serm. XI.* et Augustinus *in Psal. CXXX.* numquam diabolum suasurum fuisse Judaeis mortem Christi, si inde imperium suum de-

destruendum, et redimendum genus humanum praevidere potuisset.

*Objic. II.* Astra caeli signa sunt rerum futurarum. Ait enim Moyses, ea posita esse a Deo, *ut essent in signa, et tempora, et dies, et annos Gen. I.* 14. Et *Origenes* apud Sixtum Senensem *Biblioth. Lib. V. annot.* 15. ait, omnia in caelo esse scripta. Ergo ea legere possunt Angeli; alioquin frustra Deus posuisset signa, quae nemo cognosceret.

℟. *Dist. ant.* Sunt signa futurorum, quae necessario eveniunt ex illorum *influxu*, *conc.* Futurorum contingentium, et liberorum, *neg.* Adde quod *Moyses* de sole praesertim, et luna scribat ea esse in signa, et tempora, et dies, et annos, quae locutio Hebraismus est, idem valens, ac si dicas *in signa temporum, dierum, et annorum* (a).

## PROPOSITIO VI.

*Angeli non possunt naturae lumine intimas hominum, et aliorum Angelorum cogitationes cognoscere.*

*Prob. cont. Durandum, aliosque Scholasticos.* I. Scriptura soli Deo tribuit scrutari cordium arcana; *III. Reg. VIII.* 39. *Tu nosti solus cor omnium filiorum hominum.* Jerem. XVII. 9. et 10. *Pravum est cor omnium, et inscrutabile: quis cognoscet illud? Ego Dominus scrutans cor, et probans renes.* Heb. IV. 12. vocatur Deus *discretor cogitationum et intentionum cordis.*

*Prob. II. ex PP.* 1.° Ambrosius *in cap. V. Luc. Dominus*, inquit, *occultorum cognitione Deum se esse demonstrat.* 2.° Augustinus *Serm. XVI. de Divers.* (b) *Cor videre Dei est, cujus oculis*, inquit, *cuncta subjecta sunt, et cui cordis cujuslibet profunditas patet.* 3.° Hie-

(a) Vide Buddeum *Introduct. ad Hist. Philos. Hebraeor.*, Huetium *in Origen.*, Calmet *in Comment.*

(b) Nunc *Serm. XII.*

Hieronymus *in Psal. XVI. Diabolus in anima intrinseceus nescit, nisi per exteriores motus intelligat.* Idem alii docent, ideoque probant (a) Christum, et Spiritum S. esse Deum, ex eo quod Scriptura ipsos arcanas cordium cogitationes intueri docet.

*Prob.* III. ratione S. Thomae *I. P. Q. LVII. art. 4.* Nequit Angelus ea cognoscere, quibus non adest. Atqui Angeli non illabuntur cordibus hominum, aut aliis Angelis; seu non pervadunt alios spiritus, nec ipsis intime adsunt; hoc enim solius Dei proprium est, *in quo vivimus, movemur, et sumus.* Ergo arcanas cogitationes videre non possunt.

*Scholion.*

Quoniam in homine, ex conjunctione animi, et corporis, interioribus mentis cogitationibus externae etiam in corpore mutationes respondent, quae aliquando etiam ab aliis hominibus cognoscuntur; aliquando vero non percipiuntur ab hominibus, sed ab Angelis ingenio subtilioribus percipi possunt; hinc fit, ut Angeli saepe per externa ista signa intimas hominum cogitationes vel certo, vel probabili conjectura assequantur.

## PROPOSITIO VII.

*Angelos secum invicem, et cum Deo, et animabus a corpore separatis loqui, hoc est cogitationes suas communicare; certum est; quomodo autem haec locutio fiat, incertum.*

*Prob.* 1a. *pars. ad fidem pertinens. Isaiae VI. 3. Seraphim clamabant alter ad alterum.* Simili ratione *Dan. VIII.* 13. *et seq.*; et *Zach. I.* 11. unus Angelus ad alterum loquitur: quod et in *Apocalypsi* frequenter oc-

(a) Origenes *in Job. I.*, Ambrosius *Orat. de obitu Theod. et in Luc.* Chrysostomus *Hom. XI. in Joan.* Cyrillus *Lib. II. in Joan. et alibi,* Damascenus *Lib.* II. *De fid. cap.* 4; Augustinus *De divin. daem. cap.* 5., et Theophylactus *in Luc. V.* etc.

occurrit. Denique Apostolus *I. Cor. XIII.* 1. *Si linguis*, inquit, *hominum loquar*, *et Angelorum*. Ergo Heterodoxi, ut Beza *Comment. in Epist. ad Galat.*, qui Catholicos Theologos irrident, de lingua Angelorum tractantes, Scripturam Sacram irrident. Non tamen locutionem Angelorum suspicari debemus humanae similem, quae per corporeos sonos efficitur; sed sublimiorem, et omnino spiritalem, ut advertit Gregorius M. *Lib. II. Moral. cap.* 5.

*Prob.* 2a. *pars.* 1.° Quia Scriptura, et traditio hac de re omnino silent: humana vero ratio nihil certi de re supra sensus, et cogitationes nostras posita statuere potest, quod non gravibus urgeatur incommodis. 2.° Ex ipsa Theologorum varia opinandi ratione. Nonnulli enim docent, vel eo dumtaxat, quod unus velit cogitationes suas vel uni, vel pluribus Angelis esse manifestas, statim illis innotescere, quantumcumque distantibus: quae videtur sententia S. Thomae *I. P. Q. CVII. art.* 5. Et hi iterum dividuntur in duas partes; alii enim volunt; ipsum Deum revelare cuique Angelo quidquid alius Angelus illi significare velit: alii putant, id fieri sine Dei revelatione; quia, inquiunt, voluntas cujusque Angeli est tamquam velum, secretas ejus cogitationes obtegens; ac proinde si ille velit, eas esse alteri manifestas, statim, quasi sublato velo, innotescere. Alii Theologi volunt, Angelos colloqui per signa quaedam, secundum nonnullos corporea, secundum alios spiritalia: quam sententiam post *Vasquesium*, et alios tuetur Laurentius Berti *Lib. X. cap.* 11.: nec ab ea videtur fuisse alienus S. Thomas *in II. Dist. II. Quaest.* 2. *art.* 3. Sunt qui cum *Okamo* volunt, unum Angelum alteri cogitationes suas imprimere. Nulla ex his sententiis solidum, atque evidens fundamentum habet, et unaquaeque suis premitur incommodis. Quapropter praestat hic judicium suspendere, *ubi nec sensus corporis regit*, *nec perspicua ratio veritatis elucet*, *nec sacra divini eloquii auctoritas firmat*, ut loquitur Augustinus *Lib. III. de Trin. cap.* 11.

Scho-

### Scholion.

Haec Angelorum locutio, si continet veritatis antea ignotae, et supernaturalis significationem, *illuminatio* dicitur. Licet autem Angeli inferiores superiores Angelos, ipsumque Deum alloquantur, ut constat ex Scripturis; tamen superiores dumtaxat Angeli inferiores illuminant, atque edocent ea, quae divinitus ipsis significanda accipiunt, ut post *Dionysium S. Thomas*, aliique Theologi passim affirmant, quam quidem ordinatissimam rationem idem *S. Thomas* numquam inter Angelos perturbari docet; licet inter homines aliquando ad fovendam humilitatem, aliasque ob causas, velit Deus majores a minoribus illuminari. Unde *Bernardus* qui *Serm. I. in Evang. Missus est*, docuerat, Deum nulli beatorum Spirituum, antequam Virgini, suum revelasse consilium, excepto uno Gabriele Archangelo; admonitus ab *Hugone a S. Victore* quod ea res multos offenderat, respondit, se ista dubitanter protulisse. Porro Angeli saepe homines illuminant, et docent, ut ex Scripturis perspicuum est. Illuminant autem non infundendo cogitationes ipsas; et multo minus movendo voluntates: sed afficiendo sensus, et spiritus animales, ut docet Bernardus *Serm. V. in Cant. et alibi.*

## §. II.

### *De voluntate Angelorum, et libero voluntatis arbitrio.*

*Adv.* I. Cum Deus omnes creaturas suas ad finem ultimum, atque optimum, hoc est ad seipsum ordinaverit, hinc unaquaeque res in hunc finem inclinatur; irrationabiles quidem creaturae per quandam extrinsecus ortam propensionem; rationabiles vero per voluntatem. Cum ergo Angeli intellectu praediti sint, eos etiam voluntatem habere necesse est.

II. Haec inclinatio in finem ultimum, cum ab ipso Deo sit indita creaturis omnibus, non potest esse libera, sed necessaria est. Hinc rationales creaturae, An-

Angeli nempe, et homines, finem ultimum, ipsam scilicet beatitudinem in genere, necessario appetunt. Sed cum ipsorum judicio, et rationi relinquatur electio eorum, per quae ad beatitudinem pervenire possint, quaeque a Cicerone necessitates, ab Scholasticis *media ad finem* appellantur; *media* autem illa apparere possint intellectui vel utilia ad assequendum finem, vel noxia, vel inepta, vel certe non necessaria; fit hinc, ut voluntas possit illa vel eligere, vel rejicere. Haec itaque potestas eligendi, vel rejiciendi *media* ad finem, libertas est arbitrii, cujus radix, et origo est judicium rationis, quo aliquid cernitur vel aptum, vel ineptum ad finem ultimum, vel saltem non necessarium. Licet autem ultimus finis, et beatitudo rationabilium creaturarum sit ipse Deus; tamen quia, intellectus, quousque Deum clare non videt, potest ipsum Deum mente concipere, non ut finem ultimum, sed ut *medium* ad beatitudinem consequendam, sequitur ut voluntas, quocumque etiam divinae gratiae auxilio incitata, libera etiam sit ad Deum ipsum vel diligendum, vel aversandum, donec illustrata lumine gloriae clare videat Deum esse beatitudinem illam, ad quam necessario tendit, illumque felici necessitate diligat.

III. Porro libertas arbitrii a Theologis dividitur in libertatem *contrarietatis*, qua possunt eligi duo contraria, bonum, et malum; et *contradictionis*; qua unum aliquid eligi potest, vel rejici sine electione contrarii. Haec autem posterior libertas iterum dividitur in libertatem *specificationis*, et *exercitii*. Illa est, qua inter varia *media*, quibus finis comparari posset, unum potest prae alio eligi; posterior vero, qua unum medium jam electum potest variis modis adhiberi, *ex. gr.* majori, vel minori voluntatis impetu; citius, aut tardius etc.

IV. His explicatis, quae in sequentibus etiam libris usui esse possunt, omnes Theologi consentiunt, Angelos libertate arbitrii pollere; sed singularis est Thomistarum doctrina, Angelos libero quidem gaudere arbitrio ante electionem, et *determinationem* voluntatis; at post electionem natura sua esse immutabiles, quae videtur esse ipsissima *S. Thomae* doctrina *I. P. Q. LXIV. art.* 2.

Li-

*Liberum*, inquit, *hominis arbitrium flexibile est ad oppositum et ante electionem, et post; liberum vero arbitrium Angeli flexibile est ad oppositum ante electionem, sed non post.* Ab hac sententia ceteri omnes passim Theologi recedunt, *Petavius Lib. I. de Angelis cap. 11. Juveninus*, *Habert. etc.* Sed advertendum est cum *Sylvio*, qui rem hanc copiose versat, non ita intelligendum esse *S. Thomam*, ut in quacumque electione Angeli immutabiles sint; sed tantum in electione finis ultimi; hoc est postquam semel finem ultimum vel in Deo, vel in creatura statuerunt, ab eo amplius removeri non posse: quo sensu explicata doctrina a veritate non abhorret, ut infra videbimus. Numquam tamen asseruit, Angelos non posse mutare consilium, sive electionem *mediorum*, quae ad finem a se electum assumunt.

## PROPOSITIO I.

*Angeli libero pollent arbitrio. Est dogma fidei.*

*Prob.* I. Deus Angelos, qui peccaverunt, aeternis addixit suppliciis; bonos aeterna gloria donavit, ut infra dicemus. Ergo liberi erant; quod enim quis necessario facit, nec praemio, nec poena dignum est. Unde Basilius *Lib. de Spir. Sancto cap.* 16. *Impiorum*, inquit, *et adversariorum spirituum defectio id quod dicimus, approbat, juris sui, et potestatis esse invisibiles virtutes, et aeque in virtutem, et in vitium vergere.*

*Prob.* II. Quod ratione utitur, liberum est ad eligenda ea, quae ad finem ultimum ducunt; potest enim illa cognoscere vel ut apta, vel ut inepta, vel non necessaria. *Id omne, quod ratione utitur, libertate praeditum est*, inquit Damascenus *Lib. II. de fid. Orth.* Ergo etc.

PRO-

## PROPOSITIO II.

*Angeli quoad media, quae ad finem ducunt, liberi sunt et flexibiles ante, et post electionem. At circa finem ultimum ante electionem quidem erant ad utrumque flexibiles; post electionem vero immutabiles sunt, non quidem natura sua, sed ratione status vel gloriae, vel damnationis, qui electionem illam consecutus est.*

*Prob.* 1a. *pars.* Intellectus Angelicus falli potest in electione *mediorum*, erroremque suum post electionem detegere, vel divina revelatione, si bonus est; vel experientia, si malus. Ergo et voluntas post electionem mutari. *Ant. prob.* ex Scripturis. 1.° De Angelis bonis habemus *Dan. X.* 13. voluntates fuisse inter illos contrarias, cum divina nondum per revelationem innotuisset voluntas, scilicet Angelum Regni Persarum restitisse Angelo Judaeorum, ne isti a captivitate solverentur, donec, cognita Dei voluntate, omnes in idem consenserunt. 2.° De Angelis malis constat, eos in hominibus impugnandis varias adhibere artes, et cum experientia discunt, primum artificium non succedere, adhibere contrarium. Ita Satanas variis modis *Jobi* patientiam aggressus est. Idem cum vidisset primam artem, qua Christum tentavit, successu caruisse, alteram adhibuit *Matth. IV.*

*Prob.* 2a. *pars.* Angeli boni, ut infra dicemus, postquam libere persliterunt in amore Dei, tamquam in ultimo fine; illustrati lumine gloriae, jam in malum converti amplius non possunt. Mali vero Angeli, postquam libere a Deo recesserunt, aeterno supplicio affecti, omnique destituti auxilio gratiae, sine qua charitas haberi non potest, jam in bonum amplius converti nequeunt. Ergo.

*Prob.* 3a. *pars.* Patres docent, immutabilitatem beatorum Angelorum esse eximium gratiae Dei munus. Fulgentius *Lib. de fide ad Petrum cap.* 23. *Hoc ipsum,* inquit, *quod ab illo statu beatitudinis, in quo sunt, mutari*

*tari in deterius nullatenus possunt*, *non est illis naturaliter insitum*; *sed*, *postquam creati sunt*, *gratiae divinae largitate collatum*. Idem docuerat Augustinus *Lib. de Corrept. et Grat. cap.* 10. *et Lib. XI. de Civ. cap.* 9. *et alibi*. Concinit S. Thomas *I. P. Q. LXII. art.* 8. *Angeli beati peccare non possunt*, *et ratio est*, *quia eorum beatitudo in hoc consistit*, *quod per essentiam Deum vident*. Ergo non est naturalis illa Angelorum in bono stabilitas. Ergo.

## *Diluuntur Objecta.*

*Objicies I. cont.* 2m. *part. Sap. V.* 3. damnati homines ( et idem de daemonibus ferri debet judicium ) poenitentiam peccatorum agent in die judicii : *dicentes intra se*, *poenitentiam agentes*, *et prae angustia spiritus gementes etc.* Adde quod impossibile sit, daemones non poenitere peccati, cujus atrocissimam poenam experiuntur. Ergo.

℟. *Dist. ant.* Agent poenitentiam peccati, quatenus causa est poenae, *conc.* Quatenus legi aeternae Dei contrarium est, *neg.* Hoc autem non est malum detestari, et poenitere culpae, sed tantum poenae. Non igitur eorum voluntati displicet peccatum, sed nollent inde poenam esse tam gravem consecutam. Apposite S. Thomas 2a. 2ae. *Q.XIII. art.*4. *Illi*, inquit, *qui sunt in inferno*, *retinebunt perversam voluntatem aversam a Dei justitia in hoc*, *quod diligunt ea*, *pro quibus puniuntur*, *et vellent eis uti si possent*, *et odiunt poenas*, *quae pro hujusmodi peccatis infliguntur*; quod quidem poenarum odium divinae justitiae detestatio est, novumque peccatum. Vide et *III. P. Q. LXXXVI. art.* 1. Ceteras objectiones discutiemus ubi de aeternitate poenarum disputabimus.

*Objic.*II. *cont.* 3m. *part.* Videtur ex ipsa natura voluntatis Angelicae oriri eorum immutabilitas post electionem ultimi finis. Ut enim arguit S. Thomas I. *P. Q. LXIV. art.* 2. voluntas ejus conditionis est, cujus intellectus. At intellectus Angelicus non per ratiocinationem res noscit, sed simplici intellectione; sicut homi-

mines prima principia; ac proinde intellectus Angelicus natura sua immutabilis est. Ergo et voluntas.

℟. *Dist. min.* Intellectus Angelicus res noscit simplici intellectione, et in hoc errare potest, errorem que suum postea detegere, *trans.* Nam in multis eos ratiocinatione uti, supra diximus. Et in hac intellectione falli non potest, *neg.* Detecto itaque errore, potest voluntas mutari natura sua, et revera mutatur aliquando in electione *mediorum*, Sed in electione ultimi finis, quominus mutetur, obstat conditio ejus status, in quo sunt Angeli boni, et mali. Quod pertinet ad auctoritatem *S. Thomae*, cum ipse diserte dicat, ut supra vidimus, rationem, cur Angeli boni peccare non possunt, esse lumen gloriae, benigne interpretandus est; uti ejus sententiam commode explicant Sylvius *Comment. in I. P. Q. LXIV.*, Berti *Lib. X. cap.* 13., aliique.

## §. III.

### *De loco, et motu Angelorum.*

*Adv.* I. Cum Angeli non sint ubique, immensitas enim solius Dei est: patet, eos esse in loco, ut observat Theodoretus *Quaest. III. in Genes.* Sed cum non habeant corporeas dimensiones, quibus spatium impleant, non sunt in loco more corporum, hoc est *circumscriptive*, ut ajunt; ita ut singulis spatii partibus per extensionem respondeant; sed in loco sunt improprie, et more spirituum, sive *definitive*; hoc est ita sunt alicubi, ut alibi non sint. Quod evidenter insinuant Scripturae, quae saepe docent, Angelos sanctos esse in Caelo; malos vero ita inde depulsos, ut amplius ibi non sint, sed in inferno. *Apoc. XII.* 8. *Neque locus inventus est eorum amplius in caelo.* II. *Pet.* II. 4 *Deus* illos *rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos.*

II. Rursus Angelos non ita uni affixos esse loco, ut nunquam inde moveantur; sed de loco in locum saepe transire, ex ipsis Scripturis manifestum est. *Matth. XXVIII.* 2. *Angelus enim Domini descendit de caelo.* Luc. II. 15. *Discesserunt* a Pastoribus *Angeli in caelum.*

Et

Et ipse Diabolus *Iobi I.* 7. ait: *circuivi terram*, *et perambulavi eam.* Haec certa apud omnes sunt.

III. Sed quaeritur inter Scholasticos 1.° quanam ratione Angeli constituantur in loco; 2.° utrum unus possit simul esse in pluribus locis, aut plures in eodem loco; 3.° utrum de loco in locum transire possint, non pertranseundo medium, et alia ejusdem generis. In prima quaestione Scotistae a Thomistis dissentiunt. Illi enim docent, rationem, cur Angelus sit in loco, esse ipsam praesentiam, et (ut loquuntur) *indistantiam* substantiae Angelicae a loco. Isti vero putant, Angelos in loco esse non per praesentiam substantiae, sed per operationem. Itaque Scotistae putant, praesentiam substantiae Angelicae esse rationem, cur Angelus in loco operetur: Thomistae ex adverso docent, operationem Angeli in loco esse rationem, cur ejus substantia sit loco illi praesens. Nos distinguendum putamus; si enim absolute quaeratur, quanam ratione Angelus in loco sit; respondemus, verisimiliorem esse sententiam Scotistarum; hoc est, id non fieri per operationem, sed per ipsam Angelicae substantiae praesentiam. *Operari* enim *sequitur esse*: prius ergo mente concipiendum est aliquid in loco esse; deinde ibi operari. Si vero quaeratur, qua ratione Angelus tanto spatio sit, cum sit expers extensionis, id fieri dicimus per operationem, sive per applicationem suae virtutis ad operandum; ita ut quanto amplius Angelus virtutem suam ad operandum extendat, tanto majori, et ampliori in loco sit; sicut eadem anima rationalis est in infantis corpusculo, et in eodem jam adulto; sed in infante virtutem suam minus extendit; ideoque minori est in spatio, quam in adulto. Hac distinctione Du-Hamel *Dissert. I. de Angelis cap.* 4. Scotistarum, ac Thomistarum sententiam in concordiam revocare studet; sed utrum illi his conditionibus pacem accipiant, ignoramus.

IV. Quod spectat ad quaestionem alteram, manifestum est, Angelum naturali sua virtute in pluribus locis simul esse non posse. Quod enim *definitive* est in loco, ita ibi est, ut alibi esse non possit. At id divina virtute, ac modo supernaturali nobis ignoto per miraculum fieri posse, negare non debemus, licet, quomodo fieri

quëat,

queat, intelligere non valeamus. Sicut enim in Eucharistia idem Christi corpus supernaturali modo pluribus est in locis; ita posset Deus unum, eumdemque Angelum pluribus simul locis praesentem sistere. Plures vero Angelos eodem in loco, licet minimo, esse posse, patet non solum ex eorum spiritali natura, verum etiam ex Evangelio, ex quo discimus, unum hominis corpus a legione daemonum fuisse obsessum. *Marci V.*

V. Denique in postrema quaestione Thomistae, qui contendunt, solam operationem constituere Angelos in loco, constanter docent, posse Angelum de loco in locum migrare, intacto medio; cum possit nunc hic, nunc alibi, etiam remotissimo in loco operari; licet non operetur in interjecto spatio. Sed in sententia Scotistarum id fieri naturaliter non potest. Hoc tamen certum est, Angelorum motum incredibili celeritate peragi. Unde Tertullianus *Apologet. cap.* 22. ait, daemonem *momento nunciare quae in locis remotissimis agebantur.* Non tamen eorum motus fit *in instanti*; quidquid in contrarium nonnulli Scholastici commenti sunt. Haec autem, quae curiose magis, quam utiliter disputantur, non putavimus tractanda prolixius. Si quis hisce delectatur, Scholasticos adire poterit, Gonetum *Disp. IV. et seq.*, Vasquesium, alios.

## §. IV.

### *De Angelorum vi, ac potestate movendi corpora.*

*Adv.* I. Creaturas corporeas esse Angelis utpote naturae praestantiori, subjectas docent Patres. Certe Angelis naturalem esse potentiam movendi corpora, ex Sacris literis manifestum est. Inde enim constat, Angelum percussisse de exercitu *Sennacherib* centum octoginta quinque millia virorum *IV. Reg. XIX.* 35.: transtulisse *Philippum* ex via, quae Gazam ducebat, in Azotum *Act. VIII.* 39.; et *Habacuc* e Judaea in Babylonem *Dan. XIV.* 35.; ipsumque Satanam *Job. I.* ignem de caelo deduxisse, concussisse, et diruisse domum, in qua filii Job epulabantur; multisque modis eum obsessorum corpora movere, et vexare discimus ex Evangelio. Nec mi-

mirum est, Spiritus movere corpora. Si enim Deus, qui maxime spiritalis est, maximam habet potentiam suo nutu universum orbem movendi; cur non potuit creaturis suis spiritalibus hujus potentiae minimam partem tribuere; sicut animae rationali potestatem indidit suo nutu movendi corpus; licet id, non secus ac multa naturae arcana, quomodo fiat, intelligere non possimus? Hanc Angelorum potentiam maximam esse, ex ipsis effectis intelligimus; sed quam Late pateat, scire non possumus, cum non constet, utrum ad ea efficienda, quae in Scripturis narrantur, omnes vires suas adhibuerint; an vero majora patrare possint vel ipsi, vel superioris ordinis Angeli. Unde Augustinus *Lib. III. de Trin. cap.* 9. *Quid possint*, inquit, *per naturam*, *nec possint per prohibitionem*, *et quid per ipsius naturae suae conditionem facere non sinantur*, *homini explorare difficile est*, *imo vero impossibile*.

II. Cum ergo omnes corporum utcumque mirabiles immutationes motu perficiantur; Angeli vero, praeter exquisitam totius naturae scientiam, maxima polleant vi movendi corpora; patet, eos multa patrare posse in hac visibili rerum universitate, quae longe superent hominum virtutem, multaque admirabilia, et portentosa de improviso producere. Sed quaeritur hic inter Theologos, utrum Angeli naturali virtute vera miracula edere possint; quae virtus cum in Angelis malis non sit extincta, quaeritur etiam, utrum verum miraculum fieri possit ab Angelis sive bonis, sive malis.

III. Pendet hujus quaestionis explicatio ab ipsa definitione miraculi. Nam si cum Clarkio *de Relig. nat. et revel.* (quem sequuntur *Tillotsonus*, *Lokius*, *Clericus*, aliiq.) miraculum definias effectum naturae ordini contrarium, a substantia intelligente, quae homine potentior sit, productum, perspicuum est, Angelos sive bonos, sive malos edere posse miracula. Sed cum nos *Lib. I. cap*, 6., rejecta hac definitione, quae ab omnibus Theologis explosa est, et evertit veram miraculi notionem, illud definiverimus opus rarum, et supra naturae leges, superans omnes vires creatas; ex hac definitione manifestum est, Angelorum vires ad patranda miracula non posse pertingere. Sed cum ea definitio, ad

ad rem praesentem translata, videatur ut certum ponere, quod est in controversia; inquirendum restat hic 1.° quodnam opus rarum, et mirabile creatas Angelorum vires excedat: 2.° utrum potentia illa, qua Angeli pollent, uti possint pro lubito: 3.° an sint aliqui characteres, quibus vera miracula, divina virtute patrata, distinguantur a falsis: quod postremum etiam *Lib. I. cap. VI.*, quantum necesse erat, attigimus.

## PROPOSITIO I.

***Angeli nec aliquid ex nihilo creare possunt, nec ex creata materia novum mundum constituere, nec aliquid moliri contra generales naturae leges, quibus mundus hic servatur, et regitur.***

*Est dogma fidei.*

*Prob.* 1a. *pars.* Creatio rerum ex nihilo opus infinitae potestatis est, qualis requiritur ad infinitam distantiam superandam, quae inter nihilum, et esse intercedit. At potentia Angelorum finita est, utpote creata. Ergo.

*Prob.* 2a. *pars.* Ordinatissima totius mundani systematis constitutio nonnisi a mente sapientiae, atque potentiae infinitae fieri potuit; unde Patres, ipsique Gentiles Philosophi ex admirabili hujus universi structura probabant esse Deum. Vide Tullium *Lib. II. de Nat. Deor.* Ergo ab Angelis fieri non potest.

*Prob.* 3a. *pars.* Generales naturae leges sunt ipsa Dei voluntas, quae statuit ab aeterno, ut corpora certo modo, certisque regulis moverentur. Atqui nulla creatura voluntatem Omnipotentis retractare, aut frustrari effectu suo valet. Nec dicas, Deum hanc potestatem creatis mentibus fecisse, ut leges a se latas suspendere, aut infringere valerent. Sapientissimum enim rerum Moderatorem, et principem non decet, ut ministris suis potestatem faciat leges, summa sapientia ad bonum universi latas, pro lubito abrogandi, aut mutandi. Ergo.

*Corollarium.*

Ergo quidquid miri patrare possunt Angeli, non est nisi secundum naturae leges, occultasque causas, et *applicando*, ut ajunt, *activa passivis.*

*Solvuntur Objecta.*

*Objic.* I. Magi Pharaonis ope daemonum miracula Moysis imitati sunt: virgas suas mutarunt in serpentes, et aquam in sanguinem: ranas etiam subito emergere fecerunt. Sed hoc est contra naturae leges. Ergo.

℟. *Jacobus Sercesius Tract. de Mirac.* (quem sequuntur *Turretinus*, aliique) putat, Magos Pharaonis fuisse ludiones quosdam mirae dexteritatis, qui sine ope daemonum supposuerunt virgis angues, aquam colore sanguineo infecerunt, ranas aliunde collectas sparserunt: quae si vera essent, prorsus evanesceret objectio. Sed quia haec non satis congruunt sententiae Scripturarum; concedimus, adfuisse daemones praestigiis illis. Quare *resp. Dist. ant.* Et haec facta sunt a Magis revera, uti facta fuerant a Moyse, *neg.* Facta sunt subdole, et modo aliquo, qui non est contra naturae leges, nec daemonum potentiam superat, *conc.* Dicimus ergo cum Augustino *Lib. III. de Trin. cap.* 8. Magis virgas projicientibus, daemones mira celeritate, virgis sublatis, supposuisse veros angues aliunde allatos. Ita infecisse aquam sanguineo colore: ranas vero vel aliunde attulisse, vel ex ovis, undique per Ægyptum sparsis, subito produxisse, applicando occultas naturae vires, quae ranarum ortum accelerarent.

*Objic.* II. Pythonissa *I. Reg. XXVIII.* 11, rogante *Saule*, suscitavit a mortuis *Samuelem*, qui Regi totius exercitus cladem, ejusque mortem certo praedixit. At mortuorum suscitatio totius naturae legibus adversatur. Ergo.

℟. Missis variis celeberrimae hujus historiae explicationibus Theologorum, quorum alii volunt, non *Samuelis* animam, sed spectrum apparuisse *Sauli*; alii ipsum daemonem, quorum sententia non satis cohaeret cum eo,

quod

quod dicitur *Eccli. XLVI.* 23. Samuelem post mortem prophetasse; *Resp.* cum Augustino *Lib. I. ad Simplic. Q.* 3. *dist. maj.* Et id accidit virtute daemonis, *neg.* Voluntate, et potentia Dei, qui in poenam scelesti Regis voluit eum per Prophetam illum, cujus mandata spreverat, postrema, ac terribili sententia percutere.; ideoque vel ipse Deus animam Samuelis adduxit: vel extraordinarie permisit, ut daemon supra virtutem suam pro ea vice id faceret, *conc.* Non ergo poterat *Pythonissa*, aut daemon a mortuis *Samuelem* evocare: nec illa hunc exitum incantationum suarum expectabat; ideoq. Scriptura refert, ipsam inopinato rei eventu exhorruisse. Sed ipse Deus id voluit, et fecit in poenam Saulis. Vide varias Interpretum de hoc facto opiniones apud Calmet *Dissert. de Samuele per visum Sauli objecto.*

### *Corollarium.*

Quae igitur narrantur a veteribus portentosae immutationes hominum in bruta; ut *ex. gr.* sociorum *Ulyssis* in porcos, et *Diomedis* in volucres, *Apuleji* in asinum, quae collegit Augustinus *Lib. XVIII. de Civ. cap.* 16. *et seq.* quasi daemonum virtute effectae; item Sagarum in varia animalia: eae vel fabulae sunt, vel deliramenta phantasiae magicis, venenatisque poculis perturbatae.

## PROPOSITIO II.

*Angeli naturali, quam habent, virtute movendi, inmutandive corpora, non possunt pro lubito suo uti; sed tantum, quantum Deus pro sua sapientia, et justitia permittit. Est dogma fidei.*

*Prob.* Si angeli virtute illa pro lubito uti possent, profecto daemones, ut sunt hominibus infensissimi, aut brevi genus humanum pessumdarent; aut frequentissima ederent signa, ac portenta ut eos a vera abducerent religione, aut ad malum incitarent. Sed hoc fieri non videmus; futurum autem esse scimus ex Evangelio, et Apocalypsi in novissimis diebus, in quibus Satanas sol-

*detur modico tempore*, et ejus ope Antichristus, ejusque ministri dabunt *signa*, *et prodigia*, *ut in errorem inducantur*, *si fieri potest*, *etiam electi*. Ergo etc. Hinc Augustinus *Lib. III. de Trin. cap.* 8. *Non est*, inquit, *putandum*, *istis transgressoribus Angelis ad nutum servire hanc visibilium rerum materiam.*

### *Corollarium.*

Ex hac propositione ea quaestio finiri potest, quae est magnis animis agitata, utrum extet Magia, non quidem naturalis, qua nonnulli Physicae periti, per causas vulgo ignotas, mirabilia quaedam efficiunt, ob quae in suspicionem aliquando veniunt; sed supernaturalis, et *daemoniaca*; hoc est scientia quaedam, per quam certis signis, verbis, aut carminibus compellantur daemones aut occulta prodere, aut futura praedicere, aut mirabilia facere. Nonnulli enim audacter docent, haec omnia commentitia esse: nullam esse, nec esse posse inter daemones, hominesque commercium. Magno conatu id adstruere conati sunt Baltassar Bekerus (*in Mundo fascinato*), Antonius Van-Dale *Lib. de Oracul. Ethn.* aliique, quos magno numero recenset Joan. Osiander *Tract. de Magia.* Contra alii, quaecumque de Magia referuntur, sine delectu credunt. Hoc certum est, nefariam hanc doctrinam apud Ægyptios, Chaldaeos, Persas, Graecos, aliosque magno studio fuisse excultam, ipsosque magni nominis Philosophos, imprimis Platonicos ei nomen dedisse, eo quod putarent, mundum hunc, singulasque ejus partes a mediis quibusdam potestatibus, sive spiritibus regi, quos sacrificiis, carminibus, aliisque caeremoniis flectere nitebantur, ut videre est apud Jamblicum (*de Mysteriis*), Proclum (*de Sacrificiis*); et Porphyrium, quem refert Augustinus *Lib. X. de Civ. cap.* 9. Imo religione Christiana longe lateque propagata, atque idololatria fere abolita, non cessarunt inter Christianos maleferiati homines, qui impiae huic disciplinae nomen darent. Magiae historiam strictim refert Buddeus *de Atheismo*, *et superst. cap.* 9. *ad* §. 3. De illa ergo ita sentiendum. Primo quamvis nulla extaret magia, tamen gravissimi sceleris rei sunt, qui eam profitentur, eo

quod per disciplinam, quamvis vanam, cultum spiritibus nequissimis, Deique inimicis exhibent; vel saltem cum eis societatem incunt pacto sive expresso, sive implicito. Deinde si nomine Magiae intelligatur scientia, qua certo a daemonibus obtineantur supernaturales effectus, vana est, et commentitia; ut enim demonstravimus, non potest daemon certo polliceri, nec praestare etiam illa, quae suam potentiam non excedunt; sed totum a voluntate Dei pendet. Et hoc sibi volunt Patres, cum Magiam dicunt esse ludum, et fallaciam, ut Tertullianus *Lib. de Anima cap.* 57. *Quid ergo*, inquit, *dicimus magiam? quod omnes pene, fallaciam:* cui consentiunt Cyprianus *Lib. de idol.*, Arnobius *Lib. I.*, aliique. Denique si per Magiam significetur notitia, et usus signorum, quae aliquando Deus permittit in poenam scelestorum hominum, effectu non carere, spargens poenales caecitates super illicitas cupiditates: profecto hanc magiam extare constat ex Scripturis, in quibus referuntur portenta, quae suis incantationibus edidere Magi Pharaonis, Pythonissa, aliique. Unde cum *Scipio Maffejus* lucubrationem quandam suam de Magia *Ludovico Muratorio* misisset, noluit vir doctissimus eam calculo suo probare, veritus, ut ipse ait *in Epist. ad Maffejum*, testimonia Scripturarum; adeo temerarium ei visum est magiam omnino negare.

## PROPOSITIO III.

*Sunt certi characteres, quibus vera miracula discernuntur a falsis.*

*Prob.* I. Cum Deus ad homines erudiendos in veritate religionis miraculis utatur, ut diximus *Lib. I. cap.* 6., decet ejus sapientiam talibus characteribus ea insignire, ut a falsis dignosci possint; alioquin essent inutilia. Ergo.

*Prob.* II. Eorum signorum enumeratione. 1.° Si opus aliquod mirum contrarium sit naturae legibus, omnium saeculorum experientia comprobatis, id, quia vires Angelorum excedit, ut supra dictum est, Deo auctori attribuendum. Talis est *ex. gr.* mortuorum suscitatio, 2.° Item si opus sit ex iis, quae supra diximus cognitionem An-

Angelicam superare, qualis est arcanorum cordis scrutatio, et praedictio futurorum libere contingentium. 3.° Si opus tale sit, quod etiam Angeli patrare possent per occultas naturae causas, tunc aestimari debet divinum, aut magicum ex fine, modo, et effectibus. Et 1.° quidem ex fine; si enim opus efficitur ad Dei cultum, et pietatem augendam, et destruendum peccatum, et diaboli regnum, tunc non a daemone, sed divinitus effectum censeri debet. Ut enim docet Christus in Evangelio, non potest satanas adversus satanam pugnare *Matt. II. Marc. III.* E contrario si finis operis sit malus, aut omnino inutilis, Deoque indignus, daemoni erit tribuendum. *Nemo in spiritu Dei loquens, dicit anathema Jesu I.: Cor. XII.* 3. Et *Deuteron. XIII.* 1. *Si surrexerit in medio tui prophetes, aut qui somnium vidisse se dicat, et praedixerit signum, atque portentum, et evenerit quod locutus est, et dixerit tibi: eamus et sequamur Deos alienos, quos ignoras, et serviamus eis: non audies vocem prophetae illius, aut somniatoris, quia tentat vos Dominus Deus vester, ut palam fiat utrum diligatis eum, an non, in toto corde, et in tota anima vestra.* 2.° Ex modo, nempe si fiat arcanis carminibus, aut signis quibusdam, verbisque superstitiosis, tunc opus daemonis censeri debet: idemque esto judicium, si quis post multa utcumque mirabilia, quae effecit, promittat, aliquod se patraturum, et tamen conatibus suis non respondeat eventus; Dei enim omnipotentiae ista non conveniunt: si vero per invocationem nominis Dei, aut Jesu Christi, sive per probatas ab Ecclesia preces, divinum erit. 3.° Ex effectibus; si enim effectus sit bonus, et permanens, a Deo est; sin malus, aut cito evanescens, a daemone. Hi autem characteres in veris miraculis debent simul omnes inveniri: at si unus deficiat, falsum putari debet.

His igitur signis facile fuit dignoscere vera miracula Moysis a falsis Magorum Ægyptiorum praestigiis, horum enim falsitas se prodebat 1.° ex pravo fine; fiebant enim ad impediendum veri Dei cultum, et augendam injustitiam Ægyptiorum in Hebraeos: 2.° ex modo; tum quia facta sunt, ut ait sacer textus, *incantationibus*; tum quia Magi in tertio signo defecerunt, et conati imi-

imitari reliqua, non potuerunt; 3.° ex effectibus; ex. gr. quia virga Moysis devoravit virgas eorum. Facile etiam erit in fine saeculorum distinguere vera miracula Christi, et Apostolorum a falsis Antichristi prodigiis. Sed quia tunc multorum fides infirma erit, et frigescens charitas, ideo multi seducentur, praesertim cum prodigia magna futura sint.

## C A P. V.

### *De variis Angelorum ordinibus.*

*Adv.* I. NOn est dubium, quin Deus innumerabilem illam caelestium spirituum civitatem miro, ac sapientissimo ordine disposuerit, cum haec infima, et visibilia, omnia in numero, pondere, et mensura fecerit. Sed de ordine illo *ita disserendum nobis esse*, recte monet Estius *in II. Dist. IX.* §. 1.; *ut meminerimus, istorum cognitionem a sensibus, atque experientia mortalium remotissimam esse, ac proinde de iis non humanis rationibus pronunciandum, sed tantum asserendum, quantum Scripturae sacrae, et majorum auctoritas hic nobis praelucet. Nam et Patres hanc rem sobrie sibi attingendam putarunt.*

II. Novem autem Agelorum ordines Scriptura, et constans Patrum fere omnium sententia recenset, Angelos, Archangelos, Virtutes, Potestates, Principatus, Dominationes, Thronos, Cherubim, Seraphim. Licet non omnes Patres hunc numerandi ordinem sequantur. Hinc Angelorum nomen, licet omnibus commune sit; ad designandum tamen peculiarem ordinem, eumque infimum, coarctatur. Utrum vero praeter eos alii etiam sint, dubium esse putat Chrysostomus *Hom. IV. de Incompr. Non solum isti*, inquit, *sunt coetus in caelis, verum infinitae gentes, et nationes ineffabiles, quas nulla explicare potest oratio.* Ei adstipulantur Theodoretus *Comment. in Epist. ad Ephes. cap.* 1., Theophylactus, et Oecumenius.

III. Hos novem ordines *Dionysius*, vulgo *Areopogita*, auctor VI. saeculi, in tres Hierarchias distinguit; ita ut unaquaeque Hierarchia tribus constet ordinibus. Est autem

autem Hierarchia sacer principatus, seu ordo quidam, in quo alii aliis praesunt ad ea munia obeunda, quae in Dei gloriam cedunt; sicut in Ecclesia etiam est Hierarchia ex Episcopis, presbyteris, et ministris, ad Dei cultum ordinata. *Dionysium* sequuntur *S. Thomas*, ceterique Scholastici in hac hierarchiarum caelestium partitione.

IV. Rursus idem *Dionysius* Angelicos omnes ordines in *Assistentes*, et *Ministrantes* dispescit, nixus eo loco Danielis *cap. VII.* 10. *Millia millium ministrabant ei, et decies millies centena millia assistebant ei*: quo ex loco etiam Gregorius M. *Lib. XVII. Moral. cap.* 9. nec non *S. Thomas*, aliique Scholastici, in eandem opinionem sunt adducti. Hinc docent, supremae Hierarchiae Angelos; scilicet *Thronos*, *Cherubim*, ac *Seraphim* semper Deo adstare, nec umquam ad exteriora adhiberi ministeria, nisi forte aliquando, ut nonnulli concedunt, extra ordinem. Alios vero mitti ad varia ministeria, superiores ad majora, inferiores ad minora, pro sui quemque ordinis dignitate. Caeterum numquam inferiores Angelos Deum *αμεσως immediate* mittere, sed eos *illuminare* per superiores, ita ut Dei voluntas primo superioribus Angelis revelata, per eos mox inferioribus denuntietur. Haec igitur omnia cujus sint ponderis, et certitudinis, est hoc loco investigandum.

## PROPOSITIO I.

*Esse aliquam inter Angelos ordinum distinctionem, fide tenendum est.*

*Prob.* Scripturae 1.° non solos Angelos commemorant, sed Archangelos, Thronos, Dominationes etc. Quod frustra esset, si omnes essent ejusdem ordinis. 2.° *Daniel. X.* 13. *Michael* dicitur *unus de principibus primis*: ubi autem primi principes sunt, ibi ordinem aliquem esse, necesse est. 3.° *Raphael Tob. XII.* 15. dicitur *unus ex septem, qui astant ante Dominum*: quod manifeste distinctionem aliquam, et electionem ostendit, Hinc Augustinus *Lib. ad Orosium cap.* 11. *Esse*, inquit, *Sedes*, *Dominationes*, *Principatus*, *Potestates in cae-*

*caelestibus apparatibus*, *firmissime credo*, *et differre inter se aliquid*, *indubitata fide teneo*. Ergo.

## PROPOSITIO II.

*Esse novem Angelorum ordines, quos supra nominavimus, certum, sed non fidei dogma est; non est tamen adeo certum, quo ordine inter se sint dispositi.*

*Prob.* 1a. *pars.* I. Scriptura novem illos ordines diserte recenset. Nam Isaias *cap. VI.* 2. meminit Seraphim: *Seraphim stabant super illud . . . et clamabant alter ad alterum.* Moyses *Gen. III.* 24. et Ezechiel *X.* 3. nominant Cherubim: *Cherubim stabant a dextris domus.* Apostolus septem alios ordines recenset, nempe *Rom. VIII.* 38. *Angelos*, *Principatus*, *et Virtutes*: *Certus sum quia neque Angeli*, *neque Principatus*, *neque Virtutes etc. I.* ad Thessal. *IV.* 15. *Archangelos*: ad Coloss. *I.* 16. *Thronos*, *Dominationes*, *et Potestates*; et iterum *ad Ephes. I.* 21. nominat *Principatus*, et *Potestates*, *Virtutes*, *et Dominationes*. Ergo.

*Prob.* II. Patres eundem Angelicorum ordinum numerum constanter recensent: scilicet Ignatius *in Epist. ad Trallianos*, Irenaeus *Lib. II. cap.* 54., Augustinus *Lib. cont. Priscillian. cap.* 11., Dionysius *de Caelesti Hierarch. cap.* 6.; Chrysostomus *Hom. IV. in Genes.*, Damascenus *Lib. II. de fide orth. cap.* 3.; Gregorius *Hom. XXXIV. in Evang.*, Bernardus *Lib. V. de Consid. cap.* 4. *et alibi*, S. Thomas, et concors omnium Theologorum doctrina, cui etiam accedit Ecclesiae auctoritas, quae in Officio omnium Sanctorum eundem recenset numerum, ita ut eum negare cum Beza *Comment. in cap.* 1. *ad Ephes.* valde temerarium sit.

*Prob.* 2a. *pars.* 1.° *Gregorius*, et *Bernardus* a *Dionysio*, et *Damasceno* dissident circa locum quem occupant *Virtutes.* Illi enim Virtutes tertio loco constituunt; isti vero quinto; utrique autem Apostoli enumeratione nituntur, qui Epistola *ad Ephesios* Virtutes nominat inter *Potestates*, et *Dominationes*; at *in Epist. ad Colos.* inter *Dominationes*, et *Potestates* ponit *Principatus*, ita ut non videatur ordinis habuisse

rationem. 2.° Alii Patres alium videntur ordinem secuti, ut Hieronymus *cont. Ruffin. Lib. I.*, et Ecclesia Romana in Officio omnium Sanctorum. Ergo etc.

## *Solvuntur Objecta.*

*Objic. I. cont.* 1m. *part.* Nonnulli Patres pauciores enumerant Angelorum ordines. Methodius enim *apud Epiph. in haeresi Origenis*, et Hieronymus *Lib. II. cont. Jovinian.* septem tantum recensent: quatuor vero Ambrosius *Lib. I. de Fide*, et Cyrillus Hierosol. *Catechesi VI.* Ergo.

℟. *Dist. ant.* Recensent minorem numerum, non excludendo reliquos ordines, *conc.* Eos excludendo, *neg.* Cum ergo non esset propositum illis Patribus Angelicorum ordinum numerum recensere, sufficiebat aliquos enumerare, dum reliquos non negarent. Ita Apostolus non omnes ordines simul nominat; sed nunc tres, nunc quatuor: et Ecclesia in hymno *Ambrosiano*, et in *Praefationibus* Missarum, tribus aut quatuor ordinibus commemoratis, reliquos non negat; sed vel omittit, vel generali quadam locutione comprehendit. Hac igitur ratione Hieronymus, etsi septem ordines numerat *Lib. II. cont. Jovin.*; addit tamen verba Apostoli: *et omne nomen, quod nominatur non solum in hoc saeculo, sed etiam in futuro*: et scribens contra *Ruffinum* plures recenset; idem de reliquis debet esse judicium.

*Objic.* II. cum *Beza. Principatus, Potestates, Dominationes, Troni*, aliaque nomina, quibus utitur Apostolus tum in Epistola *ad Ephesios*, tum in aliis Epistolis, commode intelligi possunt de imperiis, regnisque terrenis, quae variis illis vocabulis appellari possunt. Temere ergo ex iis finguntur varii Angelorum ordines.

℟. *Neg. ant.* Contrarium enim constat non solum ex perpetua traditione Patrum, verum etiam ex ipso Apostoli scopo. In Epistola enim *ad Ephesios* ait, Christum super omnes creaturas fuisse elevatum ad dexteram Patris in caelestibus, super omnem *Principatum*, *Potestatem* etc. Quod nisi de caelestibus Spiritibus intelligatur, non satis explicasset, ad quantum sublimitatis gradum Christus ascenderit. Licet enim terrenis imperiis praelatus,

tus, potuisset tamen putari adhuc inferior Angelis secundum naturam Angelica minorem.

*Objic.* III. Nomina *Principatuum*, *Potestatum*, *Dominationum*, *Virtutum*, *Thronorum* originem habent a Persis, a quibus adhibebantur ad designandos Regni proceres, et Magistratus, ut constat ex Daniele *cap. V.* et *XI.*; itemque ex Libris *Esther*, et *Esdrae*. Ergo non significat Angelicos ordines, vel dicendum est cum impuro Auctore Libelli, cui titulus *Philosophia Historiae*, Hebraeos a Chaldaeis mutuatos esse hanc de Angelis philosophiam in captivitate Babylonica, cum ante id tempus nulla eorum ordinum mentio occurrat in Hebraeorum libris.

℟. *Neg. cons.* Etenim nominibus rerum visibilium invisibilia nobis revelavit Deus, imbecillitati mentis nostrae se accommodans, sicut ad explicandam Dei scientiam, potentiam, etc. oculos, manus, brachia etc. ipsi Deo per metaphoram tribuit. Quod autem non ante Babylonicam captivitatem in Sacris litteris mentio occurrat omnium ordinum Angelorum, nullius momenti est. Revelatio enim non tota simul facta est Synagogae; sed nova, prout tempus postulabat, Prophetis revelata sunt.

## PROPOSITIO III.

*Quae de tribus Angelorum Hierarchiis, et de distinctione Angelorum in assistentes, et ministrantes traduntur a Dionysio, non omnino explorata, nec certa sunt.*

*Prob.* 1a. *pars.* Neque Scriptura, neque antiquiores Patres hujusmodi distributionis meminerunt. Atqui, ut principio monuimus; nihil certi de ordinibus Angelorum asseverare possumus, quod non habeat in Scripturis, aut Traditione fundamentum. Ergo etc.

*Prob.* 2a. *pars.* Ex Scripturis videtur verisimilius, omnes Angelos etiam superiorum ordinum esse ministrantes; licet superiores Angeli ad majora mittantur: quod ex ipso nomine Angeli, idest nuncii, quod omnibus commune est, consequi videtur. *Heb. I. 14. Omnes*

sunt

*sunt administratorii spiritus, in ministerium missi propter eos, qui haereditatem capiunt salutis.* Genes. III. 24. *Cherub.* missus est *ad custodiendam viam ligni vitae.* Isaiae *VI.* 6. Seraphim ad Prophetam volavit, ignitoque calculo, quem forcipe tulerat de altari, labia ejus tetigit. *Tob. XII.* 15. Raphael Angelus *unus ex septem, qui astant ante Dominum* (quod inter ceteros Angelos praecellentiam notat singularem) missus est ad Tobiam. *Dan. X.* 13. *Michael unus de Principibus primis* missus est in adjutorium populo Israel: et *Luc. I.* et *Dan. IX.* Gabriel, quem non infimum Angelorum esse, singulare nomen ostendit, missus est ad nuncianda ea, quae ad incarnationem, nativitatem, et mortem Christi pertinebant. Denique ipse *Gregorius M.*; qui *Lib XVII. Moral. cap.* 9. eam distinctionem secutus erat inter assistentes, et ministrantes Angelos, ingenue fatetur, id esse dubium *Hom. XXXIV. Sed quia*, inquit, *in quibusdam Scripturae locis quaedam per Cherubim, quaedam vero per Seraphim agi didicimus, utrum per se haec faciant, an per subjecta agmina agantur .... nos affirmare nolumus, quod apertis testimoniis non approbamus.* Imo maxima pars Theologorum, qui ob auctoritatem *Dionysii*, et *S. Thomae* (quam nos non contemnimus) eam distinctionem agnoscunt, omnes tamen, cujuscumque ordinis Angelos, saltem extraordinarie, mitti fatentur.

*Dices. Dan. VII. Millia millium ministrabant ei, et decies millies centena millia assistebant ei.* Ergo distinctio inter ministrantes, et assistentes Angelos suum habet in Scripturis fundamentum.

℟. *Neg. cons.* Non enim pugnant inter se ministrare, atque assistere; imo qui ministrant, assidue Domino astant, expectantes ejus mandata; et ad ea exequenda parati. Apposite Chrysostomus *Hom. III. de Job. Omne,* inquit, *ministerium assistentia vocatur*, et Athanasius *Orat. III. cont. Arian. Infinita millia Deo assistunt ministrorum, qui parati sunt, ut mittantur.* Unde ipsa Ecclesia in orationibus eosdem esse ministrantes, et assistentes declarat, dicens: *a quibus tibi ministrantibus in caelo semper assistitur, ab his in terra vita nostra muniatur.*

PRO-

## PROPOSITIO IV.

***Quaenam sit inter Angelicos ordines ratio discriminis, valde obscurum est, non est tamen contemnenda Patrum doctrina, qui ex ipsis ordinum nominibus eorum differentiam depromunt.***

*Prob.* 1a. *pars* 1.° ex *Augustino*, qui *Lib. cont. Priscillian. ad Oros. cap.* 11. sic habet; *Esse itaque sedes, dominationes, principatus, potestates in caelestibus apparatibus, firmissime credo, et indubitata fide teneo. Sed quo me contemnas, quem magnum putas esse doctorem, quaenam ista sint, et quid inter se differant, nescio.* 2.° Ex silentio Scripturae, et Traditionis.

*Prob.* 2a. *pars* ratione, et auctoritate *Bernardi Lib. V. de Consid. cap.* 4. *Ad quid caelestium nomina innotuerunt, si ne opinari quidem, salva fide, aliquid licet de rebus, quarum nomina sunt?* Immerito igitur, et imperite haeretici hac in re Patrum doctrinam irrident.

*Quaeres* I. *Quodnam igitur est ex PP. inter eos ordinis discrimen?*

℟. *Angeli* sunt, qui minora nunciant, ex *Gregorio*, vel ex *Bernardo*, qui singulis hominibus dati sunt custodes. *Archangeli*, ex eisdem Patribus, qui majora nunciant: ex aliis vero, qui non in singulos homines, sed in populos, et Regna praefecturam habent, qui et *Dan. X. Principes Regnorum* dicuntur. *Virtutes* sunt, secundum *Gregorium* pariter, et *Bernardum*, ii, per quos signa, et miracula patrantur: atque ita explicant quod ipse Dominus loquens *Matth. XXIV.* 29. de Signis, et prodigiis, quae diem extremum praecedent, ait; *Virtutes caelorum commovebuntur. Potestates*, ex eisdem duobus Auctoribus, sunt ii, per quos potestas Principis tenebrarum, furorque comprimitur, ne quantum vult, noceat. *Principatus*, quorum moderamine, et sapientia omnis in terris principatus constituitur, regitur, limitatur, transfertur, mutilatur, mutatur, ut inquit *Bernardus. Dominationes*, qui ceteris ita supereminent, ut ad illos veluti ad Dominos, aut duces omnia inferiorum offi-

officia referantur. *Troni*, in quibus sedet Deus; hoc est per quos omnia in majestate, et tranquillitate judicat. *Cherubim*, qui cunctos scientia antecellunt, eamque inferioribus per illuminationem tradunt. Denique *Seraphim*, in quibus maxime divina charitas exardescit. Sed meminerimus, has esse conjecturas.

*Quaeres II. Utrum in unoquoque ordine omnes Angeli pares inter se sint?*

R. Verisimilius videtur, in singulis etiam ordinibus impares inter se esse Angelos, ita ut mirabili quodam ordine ab infimo ad supremum ejusdem ordinis Angelum, majorem gradatim perfectionem indiderit Deus, ita ut supremus inferioris ordinis ad infimum superioris ordinis Angelum prope accedat. Ita docet post Magistrum sententiarum *S. Thomas*; tum quia etiam in rebus visibilibus hunc perfectionum gradatim crescentium ordinem observamus; tum quia alioquin non inveniretur inter omnes Angelos aliquis primus.

*Quaeres III. Quinam inter omnes Angelos Primus est?*

R. Communis est Patrum sententia, *Luciferum*, qui postea cecidit, fuisse inter omnes Angelos excellentissimum. Ita enim docent Tertullianus *Lib. II. cont. Marc.*, Origenes *Hom. IX. in Matth.*, Hieronymus *Comment. in Dan.*, Gregorius M., Chrysostomus, Augustinus, Isidorus, Bernardus. Nam ut ipsi sentiunt, *Job. XI.* sub figura *Behemot* de *Lucifero* dicitur: *Ipse est principium viarum Dei*; hoc est inter ejus opera perfectissimum. Et *Ezech. XXXI.* sub figura Regis Assur de eodem dicitur: *Cedri non fuerunt altiores illo in Paradiso Dei.... Omne lignum Paradisi Dei non est assimilatum illi, et pulchritudini ejus.*

Eo autem e caelis ob peccatum detruso *Michaëlem* esse omnium Angelorum primum, ex Scripturis verisimilius est. Nam *Apocal. XII. 7. Michaël, et Angeli ejus praeliabantur cum Dragone* (h. e. Lucifero) *et draco pugnabat, et Angeli ejus, et non valuerunt, neque locus inventus est eorum amplius in caelo.* Ex quo sequitur, *Michaëlem* omnium Angelorum veluti Imperatorem videri: non solum quia alii dicuntur *Angeli ejus*; verum etiam quia verisimile non est, in arcana illa, et spiritali pugna inferiorem quemdam Angelum

lum pro gloria Dei certasse, dum supremi inertes eventus spectatores torpescerent. Nec quemquam moveat, Michaelem *Archangelum* dici, ex quo nonnulli post Dionysium *De Caelesti Hierarch. cap.* 9: putarunt, eum esse ex secundo ordine ifimae Hierarchiae; potuit enim hoc nomen sortiri non ex ordine, quasi unus ex Arcangelis; sed per excellentiam, quasi Angelorum omnium princeps. Vide Estium *in II. Dist. X. §. 5. et 6.*

*Quaeres IV. Haec. ordinum distinctio oritur ne a variis perfectionibus Angelorum naturalibus, an vero a donis supernaturalibus, aut officiis, ad quae missi sunt?*

R. A perfectionibus naturalibus; ideoque in Angelis, qui ceciderunt, ordinum distinctio remansit, ut dicemus inferius. Sed quia gratia naturam perficit, hinc Angelis superiorum ordinum majora gratiae dona largitus est Deus, majorisque momenti munia imponit; non quod natura ad gratiam disponat; sed quia ita Deo pro sua sapientia placuit. Ita docent Basilius *Lib. de Spiritu S. cap.* 15., Damascenus *Lib. II. fid. Orth. cap.* 3.

## CAP. VI.

### *De fine, ad quem Angeli, et omnes rationales creaturae sunt a Deo ordinatae, eorumque donis supernaturalibus.*

*Adv.* I. CErtum est, Deum, qui *universa propter semetipsum operatus est*; *Prov XVI. 4.* non potuisse creaturam rationalem intelligentia, et voluntate praeditam condere, nisi ut ipsum cognosceret, et amaret.

II. Cum autem cognitio Dei possit esse duplex; vel in effectibus, sive in creaturis; vel clara, atque beata (a), ut *Lib. III.* diximus; in confesso est apud omnes Theologos, Deum creaturam rationalem ordinasse ad seipsum clare, ut in se est, videndum, et beato amo-



---

(a) Schol. Vel *abstractiva*, vel *intuitiva*.

amore persequendum; *Fecisti nos Domine ad te, et inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te*, ut inquit Augustinus *Lib. I. Confess. cap. I.*

III. Porro catholici omnes fatentur, eum finem, sive beatitudinem esse creaturae rationali supernaturalem quoad *media*, quibus obtinetur, nosque id ostendimus *Lib. III. cap.* 9. §. 2. Sed controversia est in Scholis 1.° utrum finis ille, seu baatitudo sit *quoad appetitum* naturalis: 2.° utrum Deus a primo creationis momento Angelos beatitudine illa donaverit: 3.° utrum eis supernaturalia dona sit largitus, quibus ad eam pervenire possent: 4.° cujusmodi illa dona fuerint: 5.° denique utrum potuerit Deus rationales creaturas condere in *puris naturalibus*, h. e. ad finem aliquem naturalem, et sine ullo supernaturali dono.

IV. Jam circa primam quaestionem Scotus *in IV. Dist. XLIX. q.* 9. *et* 1.°, et post eum Scotistae universi cum Mastrio *in I. Disp. VI. q.* 2., *Durandus*, *Paludanus*, *Dominicus Soto*, *Ferrariensis*, *Bellelli*, *Berti*, plurimique *Augustinenses* putant, beatam Dei visionem esse naturalem creaturae rationalis finem quoad appetitum: ejusdemque sententiae *S. Thomas* fuisse videtur apertissime. Contra *Vasquez*, *Suarez*, aliique non pauci volunt, esse omnino supernaturalem.

V. Quod pertinet ad quaestionem alteram, Theologi omnes, excepto *Halensi*, *Ariminensi*, paucisque aliis, consentiunt, Angelos initio suae creationis Deum in seipso non vidisse.

VI. In tertia vero quaestione Hugo Victorinus *Lib. I. de Sacram. P. V. cap.* 18., Magister sententiarum *Lib. II. Dist.* 3. *et* 4., Rupertus *Lib. XIII. in Matt.* negant, Angelos (idem dicas de homine) in primo creationis momento accepisse ullum supernaturale Dei donum; licet fateantur, donatos postea fuisse gratia vel omnes, vel saltem eos, qui ad beatam vitam pervenerunt. Eos sequuntur multi veterum Scholasticorum; ita ut, teste S. Thoma *in II. Dist. IV. Q.* 2. *art.* 3., haec sententia fuerit sua aetate communior. Contraria tamen doctrina Scripturae, et Patribus congruentior plerisque arrisit, imprimis ipsi S. Thomae *I. P. Q. LXII. art.* 3., ita ut hodie communis sit inter Theologos.

VII.

VII. At in quaestione quarta Thomistae putant, non omnes Angelos pari auxilio adjutos esse divinitus; sed eos, qui steterunt, efficaci adjutorio praemotos ad bonum; reliquos, ut et primos homines ante lapsum, *sufficienti* tantum, et quo possent salvi esse, sed sine dubio caderent, ut revera cciderunt. At alii Theologi tenent, omnes Angelos, primosques hominum parentes, a Deo adjutos auxilio quodam *versatili*; h. e. sine quo non potuissent in bono perseverare, non quo certo fieret, ut perseverarent; ideoque alios quidem stetisse, alios cecidisse. Sed postrema controversia, quae *de natura pura* saeculo superiori fuit acerrima, tractabitur inferius *Part. VI.*, ubi de hominis creatione disseremus.

VIII. Quoniam autem nonnulla, quae hic dicturi sumus pendent ab iis, quae in tractatu de Gratia explicantur uberius, supponimus hic, gratiam santificatem, seu habitualem, esse supernaturale, ac permanens Dei donum, quo creatura rationalis Deo grata fit, et amica; actualem vero gratiam esse supernaturalem, ac transeuntem Dei actionem in creaturam ipsam, qua illustratur ejus intellectus, et voluntas movetur. Nec omnia breviter expendemus.

## PROPOSITIO I.

*Nulla censura notanda est, imo verisimiliter defendi potest Scoti, Berti, aliorumque Theologorum sententia, qui docent, visionem Dei beatam esse creaturae rationalis finem naturalem quoad appetitum, supernaturalem quoad media.*

*Prob.* 1.a *pars.* ex tot Theologis catholicis, Romanaeque Ecclesiae addictissimis, qui eam doctrinam innoxie defendunt. Vide *Julium Caesarem Recupitum* ex Societate Jesu, qui *Lib. VI. de Verit. Q. I. cap.* 3. eandem sententiam prolixa Disseratione defendit et ab omni censura liberat.

*Prob.* 2a. *pars.* I. ex *Augustino*, qui contra Pelagianos, ex eo quod mens humana (idem dicas de Angelis) est natura sua imago Dei, constanter affirmat, non posse eam privari vita aeterna, sive Dei visione, ad

quam innato pondere fertur, si nullum habeat peccatum *Quaero, qua casa innocens imago Dei vitae privatione puniatur, si nullum peccatum ex humana generatione contrahitur?* inquit, *Lib. I. cont. Julian. cap.* 5. Quod et saepissime repetit (*a*). vide *M. Bellelli*, qui luculenter rem demonstrat in *Lib.* cui titulus: *Mens. Augustini.*

*Prob. II.* auctoritate simul, et rationibus D. Thomae *Lib. III. cont. Gent. cap.* 5.°, cujus textus integer recitandus est, qui, si erit prolixior, cum rei dignitate comparetur; ita brevior fortasse videbitur (*b*). *Non potest*, inquit, *esse, quod in tali cognitione* (naturali) *quiescat naturale desiderium animae separatae* (idem dicas de Angelis). 1.° *Omne enim, quod est imperfectum in aliqua specie, desiderat consequi perfectionem illius speciei. Qui enim habet opinionem de re aliqua, quae imperfecta illius rei est notitia, ex hoc ipso incitatur ad desiderandum illius rei scientiam. Praedicta autem cognitio, quam substantiae separatae habent de Deo, non cognoscentes illius substantiam, est imperfecta cognitionis species; non enim arbitramur, nos aliquod cognoscere; si ejus substantiam non cognoscamus unde et praecipuum in cognitione alicujus rei est scire de ea quid est. Ex hac igitur cognitione, quam habent substantiae separatae de Deo, non quiescit naturale desiderium, sed incitatur magis ad divinam substantiam videndam.*

2.° *Item. Ex cognitione effectuum incitatur desiderium ad cognoscendam causam, unde et homines philosophari inceperunt, causas rerum inquirentes. Non quiescit igitur sciendi desiderium, naturaliter omnibus substantiis intellectualibus inditum, nisi, cognitis substantiis effectuum, etiam substantiam causae cognoscant. Per hoc igitur, quod substantiae separatae cognoscunt omnium rerum, qua-*

(a) *Lib. V. cap.* 11. *Il. Op. imperf. nu.* 30., *Lib. II. De pecc. merit. cap.* 3.° *et alibi saepe.*

(a) S. Praeceptori videbitur, poterit una ex his *S. Thomae* rationibus esse contentus, reliquis praetermissis.

*quarum substantias vident, esse Deum causam, non quiescit naturale desiderium in ipsis, nisi etiam ipsius Dei substantiam videant.*

3.° *Adhuc. Videmus quod videntes naturaliter quia est aliquid, scire desiderant quid est ipsum. Non igitur quietatur naturale sciendi desiderium in cognitione Dei, qua scitur de ipso solum quia est.*

4.° *Amplius. Nihil finitum, desiderium intellectus quietare potest; quod exinde ostenditur, quod intellectus, quolibet finito dato, aliquid ultra molitur apprehendere; unde qualibet linea finita data, aliquam majorem molitur apprehendere, et similiter in numeris, et haec est ratio infinitae additionis in numeris, et lineis mathematicis. Altitudo autem, et virtus est finita cujuslibet substantiae creatae. Non igitur intellectus substantiae separatae quiescit per hoc, quod cognoscit substantias creatas, quantumcumque eminentes; sed adhuc naturali desiderio tendit ad intelligendam substantiam, quae est altitudinis infinitae, ut in primo Libro ostensum est de substantia divina.*

5.° *Praeterea. Sicut naturale desiderium inest omnibus intellectualibus naturis ad sciendum; ita inest eis naturale desiderium ignorantiam, seu nescientiam pellendi. Substantiae autem separatae, sicut jam dictum est cap. praec., cognoscunt praedicto cognitionis modo, substantiam Dei esse supra se, et supra omne id, quod ab eis intelligitur, et per consequens sciunt, divinam substantiam sibi esse ignotam. Tendit igitur naturale ipsarum desiderium ad intelligendam divinam substantiam.*

6.° *Item. Quanto aliquid est fini propinquius, eo majori desiderio tendit ad finem . . . . Intellectus autem substantiarum separatarum propinquiores sunt divinae cognitioni, quam noster intellectus. Intensius igitur desiderant Dei cognitionem, quam nos. Nos autem quantumcumque sciamus, Deum esse, et alia, quae supra dicta sunt, non quiescimus desiderio; sed adhuc desideramus Deum per essentiam suam cognoscere. Multo igitur magis substantiae separatae hoc naturaliter desiderant. Non igitur in cognitione Dei praedicta eorum desiderium quietatur.*

*Cum*

*Cum autem* ( pergit cap. 51. ) *impossibile sit, naturale desiderium esse inane: quod quidem esset, si non esset possibile pervenire ad divinam substantiam Dei intelligendam, quod naturaliter omnes mentes desiderant; necesse est dicere, quod possibile est substantiam Dei videri per intellectum, et a substantiis separatis intellectualibus, et animabus nostris.* Eandem doctrinam non retractavit, sed confirmavit. *S. Thom.* in Summa *I. P. Q. XII. art.* 1. *in corp.*, et 1. 2. *Q. III. art.* 8. ut mirum sit, Thomistas eum in contrariam partem invitum trahere voluisse, ut videre est ap. Gonet *Dist. I. de Visione Dei art.* 5.

### *Solvuntur Objecta.*

*Objic.* I. Si visio Dei, ut in se est, naturalis finis esset creaturae rationalis, posset haec naturalibus viribus ad eam pervenire. Deus enim omnes creaturas instruxit viribus, quibus naturalem finem suum assequi possent. Falsum consequens, ut *Lib. III. cap.* 9. §. 2. demonstratum est. Ergo.

℞. *Neg. min. Non enim est*, inquit Bellarminus *Lib. de Grat. prim. hom. cap.* 7., *aut novum, aut hominis natura* ( idem dicas de quacumque creatura rationali ) *indignum, ut naturaliter appetat, quod nonnisi supernaturali auxilio consequi valeat. Non est, inquam, novum; siquidem animae hominum solutae corporibus naturalem habent ordinem, et propensionem ad corpora, quorum formae fuerunt: nec tamen iterum conjungi corporibus, sine supernaturali auxilio poterunt. Non est autem natura humana indignum, sed contra potius ad maximam ejus pertinet dignitatem, quod ad sublimiorem finem condita sit, quam ut eum solis naturae viribus attingere possit.* Idem respondet *Dom. Soto*, aliique Theologi. Unde ex eo, quod visio Dei naturalis finis est creaturae rationalis, non aliud sequitur, nisi Deum non denegare auxilium, sine quo ad eum finem perveniri non possit: sicut revera non denegavit, ut infra dicemus. Quod autem auxilium illud naturale sit, aut supernaturale, nihil refert.

*Objic.* II. Infidelis, praesertim si nihil de Evangelio

ao-

audivit, de visione Dei ne cogitat quidem, tantum abest, ut eam optet. Ergo non est hic finis, aut hoc desiderium rationali creaturae naturale; sed ab ipsa creatura elicitum, praelucente fide.

℟. *Dist. ant.* Non cogitat, neque optat *explicite*, *transeat*. *Implicite*, *neg*. Desiderans enim beatitudinem, et in nullo alio bono conquiescens, *implicite* visionem Dei optat, quae sola ejus desiderium explere potest. Dixi *transeat*; quia etiam infidelis hic, videns mirabilia naturae, eorum auctorem cognoscere disiderat.

*Objic.* III. Haec propositio damnata est a SS. Pontificibus *Pio. V. et Gregorio XIII* in *Baji* operibus, ex quibus haec propositio *num. XXVII.* damnata est: *Humanae naturae, exaltatio, et sublimatio in consortium divinae naturae debita fuit integritati primae conditionis; ac proinde naturalis dicenda est, non supernaturalis.* Ergo.

℟. *Neg. ant.* Tum quia tot Theologi Catholici nostram thesim post illos Pontifices tenuerunt, et tenent; tum quia inspicienti damnatae propositionis verba, et aliarum, quae cum illa connexae sunt, satis patet, eam toto caelo a nostra differre. Significat enim, visionem Dei esse finem naturalem rationalis creaturae et *quoad appetitum*, et *quoad media*: quod postremum nos refutavimus. Vide Laurentium Berti *Dissertat. II. Apolog. cap.* 1. §. 6., ut *Lib. XII. in Append.*

## PROPOSITIO II.

*Angeli non fuerunt ab initio suae creationis perfecte beati, seu non viderunt Dei naturam, ut in se est. Fuerunt tamen imperfecte beati, quantum eorum statui congruebat.*

*Prob.* 1.a *pars.* Ex Angelis nonnulli, ut infra dicemus, ceciderunt, alii steterunt. Atqui neutri ab initio potiti sunt visione Dei, et perfecta beatitudine. Non quidem ii, qui postea ceciderunt; quia perfecta beatitudo conjuctam habet ἀναμαρτησίαν, sive *impeccatiam*, et certitudinem non fallacem perpetuae durationis. Sed nec ii, qui steterunt. Nam constans est Patrum, et om-

omnium Theologorum doctrina, vitam aeternam fuisse iis propositam, ut praemium per merita comparandum. Sufficiat pro omnibus Augustinus *Lib. de Corrept. et Grat. cap.* 10. *Erat*, inquit, *quod eorum adderetur beatitudini, si per liberum arbitrium in veritate stetissent, donec istam summae beatitudinis plenitudinem tamquam praemium ipsius permansionis acciperent.* Ergo.

*Prob.* 2a. *pars.* Imperfecta beatitudo vel est naturalis, sita scilicet in ea perfectione, quam creatura rationalis virtute suae naturae assequi potest; vel supernaturalis, quae oritur ex corde puro, et conscientia bona; qui enim his donis praediti sunt, beati dicuntur in Scripturis; licet adhuc sint in corpore mortis hujus, multisque premantur calamitatibus. Atqui Angeli omnes utramque beatitudinem ab initio habuerunt. Primo enim habuerunt naturalem; Deus quippe, cujus perfecta sunt opera, omnem perfectionem iis ab initio indidit, cujus eorum natura capax erat. Deinde habuerunt etiam supernaturalem, quae in charitate sita est, ut dicemus in sequenti *Prop.* et docet Augustinus *loc. cit. Diabolus, et Angeli ejus beati erant, antequam caderent. Plenam beatitudinem non habebant; sed quia nesciebant suam futuram miseriam, minore quidem, sed tamen beatitudine sine ullo vitio fruebantur.* Ergo.

## PROPOSITIO III.

***Angeli omnes in gratia sanctificante conditi sunt***

*Prob. I. Ezech. XXVIII.* 12. Sub figura Regis Tyri (ex communi Patrum interpretatione) de ipso Diabolo dicitur: *Tu signaculum similitudinis, plenus sapientia, et perfectus decore. In deliciis paradisi Dei fuisti . . . Tu Cherub extentus, et protegens, et posui te in monte sancto Dei . . . . . . Perfectus in viis tuis a die conditionis tuae, donec inventa est iniquitas in te.* Et *Joan. VIII.* 44. de eodem dicitur, quod *in veritate non stetit*; hoc est in accepta justitia non perseveravit. Ergo idem dicendum est de omnibus Angelis.

*Prob. II. ex PP.* Augustinus *Lib. XI. de Civ. cap.* 11. *Simul*, inquit, *ut facti sunt, lux facti sunt, non tamen ita*

*ita tantum creati, ut quoquo modo essent, et quoquo modo viverent, sed etiam illuminati, ut sapienter, beateque viverent.* Et *Lib. XII. cap.* 9. *Istam bonam voluntatem in iis quis fecerat, nisi ille qui eos cum bona voluntate, idest cum amore casto, quo illi adhaererent, creavit, simul in eis et condens naturam, et largiens gratiam?* Idem repetit *Lib. de Corrept. et Grat. cap.* 10. In eandem sententiam loquuntur Basilius *in Psal. XXIIII.*, Cyrillus *Lib. VI. in Joan cap.* 6. Idque probatur etiam ratione. Si enim Angeli sunt ad finem aeternae beatitudinis ordinati, profecto simul ac condita eorum est natura, non caruerunt gratia, sine qua beatitudinem illam promereri non poterant. Unde Catechismus Rom. *Perspicuum est*, inquit, *diabolum, reliquosque desertores Angelos, ab ortus sui initio gratia praeditos esse.*

*Solvuntur Objecta.*

*Objic.* I. Augustinus *Lib. II. de Gen. ad lit. cap.* 1. ait, naturam Angelicam primo creatam esse informem, eamque intelligi per caelum primo creatum; postea vero esse formatam, et appellatam *lucem*. Ergo prius condita est natura; deinde superaddita gratia.

℟. *Dist. ant.* Ait, naturam Angelicam primo creatam esse *informem* ratione gloriae, et batitudinis perfectae, *conc.* Ratione gratiae, *subd.* Prius ordine, sive natura, *conc.* Tempore, *neg.* Nam ex Augustino Angeli *simul ut facti sunt, lux facti sunt.* Sed quia gratia existentem supponit naturam, cui superadditur; idcirco ait Angelos primo informes, deinde luce superfusos.

*Objic.* II. Gregorius M. *Lib. XXXII. Moral. cap.* 18. *Primus*, inquit *Angelus capax charitatis est conditus, qua si repleri voluisset, potuisset.* Ergo non est conditus in charitate.

℟. *Neg. cons.* Loquitur enim Gregorius de charitate perfecta, et consummata per gloriam, qua *si repleri voluisset, potuisset.* Hujus consummatae charitatis capax conditus est Angelus.

PRO-

## PROPOSITIO IV.

*Praeter gratiam sanctificantem, dedit Deus Angelis actuale auxilium gratiae, ut possent in accepta justitia perseverare.*

*Prob.* Angelica natura, ut ait Augustinus *Lib. de Cor. et Gr. cap.* 11., non talis effecta erat, ut sine adjutorio Creatoris posset in accepta justitia permanere. Nam ut in ea permaneret, debebat primo momento, quo libere operari coepit, ad Deum converti, h. e. actum charitatis erga Deum elicere; alioquin peccasset, et creaturis adhaesisset. Charitas autem nonnisi ex Deo est; ita ut *si hoc adjutorium vel Angelo, vel homini cum primum facti sunt, defuisset, non utique sua culpa cecidissent* ut ibidem Augustinus observat. Atqui Deus pro sua sapientia nulli creaturae id denegavit, sine quo permanere non poterat, et ad finem suum pervenire. Ergo nec Angelis denegavit actuale auxilium gratiae.

*Dices.* Charitas habitualis, qua Angeli fuerant donati, sufficiebat, ut actus charitatis elicerent; omnis enim habitus inclinat animum ad actus sui generis. Ergo.

℟. *Neg. ant. Sicut oculus corporis, quamvis plenissime sanus, nisi candore lucis adjutus, non potest cernere, ita homo* (et idem dicas de Angelo) *quamvis perfectissime justificatus, nisi divinitus adjuvetur, recte non potest vivere*, ut ait Augustinus *Lib. de Nat. et Gras. cap.* 26. Sed de hoc in Tractatu de Gratia erit uberior dicendi locus.

PRO-

## PROPOSITIO V.

*Hoc adjutorium non tale erat, ut certo moveret Angelorum voluntates; sed versatile, id est tale, ut sine eo non possent permanere; sed cum eo vel permanerent in justitia, vel caderent: sicut revera nonnulli ceciderunt, alii steterunt.*

*Prob.* I. ex *Augustino*, cujus tanta est in rebus ad gratiam pertinentibus auctoritas, ut Romani Pontifices asseruerint, in ejus libris Ecclesiae Romanae doctrinam contineri, ut in tractatu *de Gratia* fusius dicemus. In Libro enim *de Corrept. et Grat. cap.* 12. duplex distinguit Dei adjutorium, unum *sine quo*, aliud *quo*. *Ipsa adjutoria distinguenda sunt. Aliud est adjutorium, sine quo aliquid non fit; et aliud est adjutorium, quo aliquid fit. Nam sine alimentis non possumus vivere: nec tamen, cum adfuerint alimenta, eis fit, ut vivat qui mori voluerit. Ergo adjutorium alimentorum est sine quo non fit; non quo fit, ut vivamus. At vero beatitudo, quam non habet homo, cum data fuerit, continuo fit beatus. Adjutorium est enim non solum sine quo non fit, verum etiam quo fit, propter quod datur.* Deinde docet, Angelis, et primo homini ante lapsum dedisse Deum, non adjutorium *quo*, sed adjutorium *sine quo*; ita ut per liberum arbitrium, hoc adjutorio instructum, possent permanere in accepta justitia, si vellent; possent et cadere: sicut revera alii permaserunt, alii ceciderunt: nec gratia *determinaret*. liberum arbitrium; sed liberum arbitrium uteretur gratia. *Tunc ergo dederat homini Deus bonam voluntatem; in illa quippe eum fecerat, qui fecerat rectum. Dederat et adjutorium sine quo in ea non posset permanere, si vellet; ut autem vellet, in ejus libero reliquit arbitrio . . . . . . Sed quia noluit permanere, profecto ejus culpa est; cujus meritum fuisset, si permanere voluisset; sicut fecerant Angeli sancti, qui, cadentibus aliis per liberum arbitrium, per idem liberum arbitrium steterunt ipsi.* Et *cap.* 1.° *Credimus, Deum sic ordinasse Angelorum,* et

*et hominum vitam*, *ut in ea prius ostenderet quid posset eorum liberum arbitrium*: *deinde quid posset suae gratiae beneficium*, *justitiaeque judicium*. Nihil videtur clarius.

*Prob.* II. Creatura rationalis in iis, quae naturalem ordinem non excedunt, non indiget *physica* Dei *praemotione*, ut supra ostendimus *Part. I. cap.* 6.; sed satis ei est, si Deus illam per naturalem adjuvet *simultaneum* concursum. Ergo per gratiam habitualem ad supernaturalem ordinem evecta, atque adjutorio actuali, quasi quadam potentia supernaturali instructa, non indiget, nisi superaaturali Dei concursu; ut supernaturale bonum operetur; nisi adsit contraria, ac rebellis cupiditas, tamquam naturae corruptae vitium, quae potentiori auxilio vincenda sit, ut suo loco explicabimus. Haec autem contraria cupiditas non erat in Angelis. Ergo etc.

## *Objecta refutantur.*

*Objic.* I. Absurdum est, Angelos, qui in veritate steterunt, potuisse gloriari adversus eos, qui ceciderunt. Quod enim ait Apostolus *I. Cor. IV.* 7. *Quis te discernit? quid autem habes quod non accepisti? si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis?* ad omnem creaturae statum extendendum est; ita ut *qui gloriatur, in Domino glorietur*. Atqui si Angeli boni per liberum arbitrium bene usi essent versatili auxilio Dei, quo mali uti noluerunt, potuissent adversus eos in seipsis, et non in Domino gloriari. Cum enim doceret *Pelagius*, Deum dedisse homini *posse bene agere*, ipsum vero *bene agere* pendere ex libero hominis arbitrio; Augustinus eum constanter refutat, eo quod si ita esset, posset homo in se, et non in Domino gloriari contra praeceptum Apostoli: imo melius esset quod homo haberet ex se, puta bene agere; quam quod habuerat a Domino, posse scilicet bene agere: quod et nos in *Lib. VII. Tract. de Gratia* fusius dicturi sumus. Ergo a pari etc.

*R. Neg. min. et parit.* Angeli enim a Domino acceperunt non solum posse bene agere per auxilium versa-

satile et liberum arbitrium; sed etiam voluntatem rectam, nulla rebellis concupiscentiae pugna turbatam; et habitualem gratiam, qua delectabantur in bono. Utentes ergo versatili gratia, quid habebant in se, quod non a Domino acceperant, et de quo in seipsis, et non in Domino gloriarentur? Numquid enim homo qui per naturales edendi facultates utitur cibo delectabili, quo alius uti non vult, ut fame se interimat, potest adversus illum in se, et non in Domino gloriari? At contra in praesenti hominum statu, de quo Augustinus contra Pelagium disputabat, *militia est vita hominis*, *Job. VII.* 1. *Alia lex est in membris nostris, repugnas legi mentis Rom. VII.* 23. Non adest boni, sed mali delectatio, atque cupiditas; ita ut ad bene agendum pugnandum sit adversus hostem validissimum, qui intra ipsius animae munitiones versatur, et omnibus inferioribus facultatibus jam est potitus. Hunc hostem qui per liberum arbitrium vicerit, gloriari utique poterit adversus eum, qui cum eodem libero arbitrio ceciderit. Diligenter hanc dissimilitudinem notat Augustinus *cit. Lib. de Corr. et grat.*

*Objic.* II. Idem Augustinus *Lib. XII. de Civ. cap.* 9. de Angelis ita loquitur: *Aut minorem acceperunt amoris divini gratiam* (Angeli mali) *quam illi qui in eadem perstiterunt*; *aut si utrique boni aequaliter creati sunt, illis mala voluntate cadentibus, illi amplius adjuti, ad eam beatitudinis plenitudinem, unde se numquam casuros certissimi fierent, pervenerunt.* Ergo non ex libero arbitrio, et gratia versatili Angeli boni a malis discreti sunt, sed ex ampliori adjutorio, ac proinde ex efficaci motione gratiae.

℟. *Neg. cons.* Etenim nisi dicere velimus, aut Augustinum sibi ipsum contradixisse, quod est tanto Doctori injuriosum, aut in Libro *de Corr et Gr.*, quem senior scripsit, retractasse quod in *cit. Lib. XII. de Civ.* dixerat; 1.° aequum non est, nec sanioris criticae regulis consentaneum, ex uno loco obscuriori, ubi auctor non ex professo, et dubitanter disserit, qualis est hic locus in objectione positus, tenebras offundere verbis meridiana luce clarioribus, ubi rem ex proposito, et copiosissime pertractat, ut facit Augustinus *in Lib. de Corr.*

et

*et Grat.* 2.° Non quaerit ibi Augustinus, quomodo ex Angelis alii ceciderunt, alii steterunt, sed quomodo alii de sua beatitudine aeterna jam certi sint; alii vero, antequam caderent, sui casus praescii non fuerint, nec certi de suae beatitudinis duratione. 3.° Non ait Augustinus, Angelos bonos amplius adjutos perseverasse; sed amplius adjutos pervenisse ad plenissimam beatitudinem, unde certissimi fierent, se numquam casuros. Amplius igitur illud adjutorium ipsum est lumen gloriae, ut praemium perseverantiae datum, quo Angeli facti sunt plenissime beati, et de hujus beatitudinis aeterna duratione certissimi. *Nam etsi beati erant; erat tamen quod eorum adderetur beatitudini, si per liberum arbitrium in veritate stetissent, donec istam summae beatitudinis plenitudinem, tamquam praemium ipsius permansionis acciperent, idest ut magna per Spiritum Sanctum data abundantia charitatis, cadere ulterius omnino non possent, et hoc de se certissime scirent:* verba sunt ejusdem Augustini. Quod clarius explicaverat *Lib. XI. de Civ. cap.* 13., ad quem remittit lectorem loco in objectione laudato. Ait enim ibi: *si pares fuerunt* Angeli mali, et boni, *post illorum ruinam, illis certa scientia suae felicitatis accessit.* At patet, in ipsa malorum ruina bonos Angelos perseverasse. Igitur post perseverantiam uberiori lumine perfusi sunt. Adde quod si amplius adjutorium datum sit Angelis bonis ad perseverandum, gratis supponitur a Thomistis, illud fuisse absolute efficax, ac *determinans* voluntatem.

*Inst.* Augustini Discipuli *Prosper*, *Fulgentius*, *S. Thomas* adjutorium Angelis datum efficax fuisse docent *Prosper* quidem *Lib. Sentent. ex August. Collect. Sent. LXIII. Divina*, inquit, *voluntas est prima, et suprema causa omnium corporalium, spirtualiumque motionum.* Fulgentius *Lib. II. ad Trasimund. cap.* 2. *Non alia stantem Angelum a ruina potuit custodire, nisi illa, quae lapsum hominum, et ruinam potuit reparare. Una est in utroque gratia operata, in hoc ut surgeret, in illo ne caderet. S. Thomas* vero 1.° 2.° *Q. CIX. art.* 2. *Homo in utroque statu indiget auxilio divino, ut ab ipso moveantur; ac proinde si homo in statu innocen-*

*tiae*

*siae indiget hoc auxilio movente, eo etiam Angelus opus habuit.*

℟. *Neg. ant.* Laudati enim Patres ne verbo quidem tenus Dei motionem, et gratiam dicunt fuisse in Angelis, et homine innocente absolute efficacem. Fatemur ergo cum *Prospero*, et *S. Thoma*, divinam voluntatem esse primam causam omnium spiritualium motionum, et in utroque statu hominem divina motione opus habuisse; sed negamus, Deum eodem modo movere creaturam innocentem, et sanam ( cui dederat liberrimam, et expeditissimam bene agendi, adjuvante gratia, potestatem ) ac infirmam, imo et mortuam. *Fulgentius* quidem ait, eadem gratia stetisse Angelos, et reparatos homines, quod ultro damus; sed non ait, eam, gratiam eodem modo fuisse operatam.

*Objic.* III. Argumenta illa, quibus Thomistae necessitatem physicae praemotionis ad quemcumquem actum etiam naturalem adstruere nituntur, subjectionem scilicet creaturae, qua pendet a prima causa, et arbitrii indifferentiam, quae nos supra dissolvimus *Part.* I. *cap.* 6. Indifferentia enim arbitrii non est *passiva*, ut in corporibus; sed *activa*. Subjectio vero creaturae recte constat, posita divini adjutorii necessitate, *sine quo* ad bonum moveri non potest.

## CAP VII.

### *De merito, et peccato Angelorum.*

*Adv.* ANgelos tot ornatos donis partim in accepta justitia perseverasse; partim, quod valde mirandum est, cecidisse ( non quidem ignorantia; sed vel voluntario attentionis defectu, vel judicio practice falso; ideoque illos gloriam, hos poenam meritos esse, certum est ex Scripturis; magnoque id documento esse debet, ne quis altum sapiat, sed timeat. Quippe eorum qui ceciderunt, princeps *diabolus*, *satan*, hoc est adversarius, hostis; reliqui *daemones*, *daemonia*, *spiritus nequam*, *spiritus immundi* passim in sacris literis appellantur. Quantum autem inter Angelorum creationem, atque finem vel gloriae, vel poenae intercesserit

tem-

temporis, incertum est (a); nisi quod constat, illud fuisse brevissimum, cum Angelorum ruina hominum peccatum praecesserit, quippe quod ex diaboli persuasione ortum habuit. Quaesitum quidem est anxie a Theologis, utrum Angeli in primo creationis momento mereri, et peccare potuerint, multumque ea de re inter Scotistas, atque Thomistas est disputatum. Sed hac minus utili praetermissa controversia, quaerimus hic 1.° utrum Angelorum princeps, aliique ejus peccati consortes revera in primo creationis momento peccaverint, 2.° cujus speciei peccatum illud fuerit: 3.° utrum in eo sint adhuc obstinati · 4.° utrum post primum in nova semper peccata ruant: 5.° quot, et ex quibus ordinibus Angeli ceciderint.

## PROPOSITIO I.

*Angeli omnes, nullo excepto, in primo creationis momento, imo et in primo actu deliberato boni fuerunt.*

*Prob*, I. De Diabolo (nam de bonis Angelis nulla quaestio est) *Joan. VIII.* 44. dicitur; *Ille homicida erat ab initio, et in veritate non stetit*: quae verba expendens Augustinus *Lib. XI. de Civ. cap.* 15. ait: *oportet, ut hoc sic accipiamus, quod in veritate fuerit; sed non permanserit.* imo et *Ezech. XXVIII.* 15. de Diabolo intelligunt Patres, quod sub figura Regis Tyri dicitur: *Ambulasti perfectus in viis tuis a die conditionis tuae, donec inventa est iniquitas in te*: quae verba secundum Scripturarum phrasim significant, eum recte se gessisse, antequam caderet.

*Prob.* II. Augustinus *Lib. de Corr. et Grat. cap.* 10. solam in bono perseverantiam Angelis malis defuisse affirmat, quam habuerunt boni; perseverantia autem ostendit, bonum fuisse vitae principium. Et S. Thomas *I. P. Q. LXIII. art.* 5. *ad* 4. aperte docet, omnes An-

(a) V. d. Estium in *II. Dist. III.* §. 13.

Angelos in primo momento meruisse; deinde quosdam hoc meritum peccato amisisse, alios vero illud perseverantia servasse. Concilium Bracarense I. *can. VII.* anathemate damnat eum, qui dixerit, diabolum a principio non fuisse Angelum bonum. Alia loca Patrum vide apud Estium *in II. Dist. II.* §. 4.

*Dices.* Ea fuit Angelorum conditio ex S. Thoma *I. P. Q. LXII. art.* 5., ut per unum actum, quem ipse immutabilem putat, ut supra diximus *cap.* 4. ad beatitudinem pervenirent, Ergo si Diabolus in primo momento meruisset, pervenisset utique ad beatitudinem.

℞. *Dist. ant.* Per unum actum consummatum, sive perseverantem usque ad terminum a Deo constitutum, *conc.* Per unum actum non perseverantem, *neg.* Unde idem S. Thomas *I. P. Q. LXIII. art.* 5. *ad* 4. postquam docuit, Angelos omnes in primo momento meruisse, addit: *sed quidam eorum statim impedimentum praestiterunt, suae beatitudinis praecedens meritum mortificantes; et ideo beatitudine, quam meruerunt, sunt privati.*

## PROPOSITIO II.

*Diaboli, et sociorum ejus peccatum fuit superbia.*

*Prob.* I. *Tob. IV.* 14. *Superbiam numquam in tuo sensu, aut in tuo verbo dominari permittas, in ipsa enim initium sumpsit omnis perditio.* Eccli. X. 15. *Initium omnis peccati superbia.* I. Tim. III. *Ne in superbiam elatus, in judicium incidat diaboli*; h.e. in eandem cum diabolo damnationem propter simile peccatum incidat.

*Prob.* II. *ex PP.* Augustinus *Lib. II. de Civ. cap.* 6. *Ab illo*, inquit, *qui summe est, aversi, ad se ipsos conversi sunt ... et hoc vitium quid aliud, quam superbia nuncupatur?* Idem alibi repetit. Concinunt Patres alii, Hieronymus *in cap. XIV. Isaiae*, Chrysostomus *Homil. de Adam et Heva*, Nazianzenus *Orat. de Nativ. Christi*, Athanasius, Ambrosius etc. Ergo.

*Prob.* III. Substantia Angelica corporis expers non potuit in delectatione rerum sensibilium, sed tantum

in seipsa, suaque propria excellentia finem ultimum constituere: quod ad superbiam pertinet: *Diabolus .... utique non amavit pecuniam, sed propriam potestatem*, inquit Augustinus *Lib. XI. de Gen. ad lit. cap.* 15. Ergo.

*Dices.* Irenaeus *Lib. IV. cap.* 78., Cyprianus, sive quis auctor *Libri de zelo*, aliiq. PP. docent, diabolum peccasse invidia humanae dignitatis: quod et probari videtur ex eo, quod dicitur *Joan. VIII. Ille homicida erat ab initio*: et *Sap. II.* 24. *Invidia Diaboli mors introivit in orbem terrarum.* Alii volunt, Diabolum peccasse odio Dei: alii ingrato animo in Deum: demum alii, ut *Scotus*, et *Biel*, luxuria quadam spiritali; seu nimio appetitu, et delectatione excellentiae. Ergo.

℟. *Dist. ant.* Et haec omnia fuerunt effectus superbiae; *conc.* Fuerunt causae, *neg.* Sic de invidia inquit Augustinus *Lib. XI. de Gen. ad lit. cap.* 14. *Nonnulli dicunt. hunc diabolo fuisse casum a supernis sedibus, quod inviderit homini facto ad imaginem Dei: Sed invidia sequitur superbiam, non praecedit. Non enim causa superbiendi est invidentia, sed causa invidendi superbia.* Idem dicas de odio, et ingrato erga Deum animo. Appetitus autem, et delectatio propriae excellentiae, si ordinatus est, peccatum non est; si autem inordinatus, non luxuria, sed superbia est.

### *Scholion.*

Quamvis constet, primum Diaboli peccatum fuisse superbiam; non est tamen aeque expeditum, in quo illa superbia sita fuerit. Augustinus *Tract. XVII. in Joan. et alibi* docet, eum aequalitatem cum Deo appetiisse, eamque sententiam *Prudentius*, *Isidorus*, *Bernardus*, aliique sequuntur. Hanc opinionem defendit Scotus *in II. Dist. VI. Q.* 2. *art* 2. Alii volunt, eum non aequalem, sed similem esse Deo voluisse; ita ut sui juris esset, nullique subditus; quod videtur sentire Gregorius *Lib. XXXIII. Moral. cap. ult.*: et hoc sensu intelligendos docent Augustinum, aliosque Patres pro priori sententia laudatos. Ita Helensis *Part. II. Q.* 109. *art.* 2., Lyranus *in cap. XIV, Isaiae*, et alii. At S. Thomas utram-

utramque refellens senteniam *I. P. Q. LXIII. art.* 3. eo quod Diabolus utrumque impossibile esse evidentissime noverat, putat, in eo sitam Diaboli superbiam, vel quod viribus naturae ad beatitudinem pervenire voluerit; vel quod, rejecto fine supernaturalis gloriae, in fine inferiori, ad quem naturae suae virtute posset pertingere, conquieverit: atque hoc sensu appetierit Dei similitudinem, qui non alieno beneficio, sed sua natura beatus est. Omnes istae sententiae in eo conveniunt, quod Diabolus *ipse sibi ad beatam vitam sufficere voluit*, ut ait Ambrosius *in Psal. CXVII.*, et Augustinus *Lib. XXII. de Civ. cap.* 1., neque ex cognitione excellentiae suae in laudem Creatoris assurrexit. Putant etiam Theologi nonnulli, sed non satis firmo Scripturarum, et Patrum fundamento, noluisse Diabolum Christo homini, quem Deus ab initio iis revelaverat futurum omnium creaturarum caput, et principem, subjici, ac famulari.

Putidam autem multorum veterum fabulam; qui Angelos peccasse putarunt in eo, quod filias hominum adamaverint, et duxerint uxores, non putavimus hoc loco commemorandam. Nam praeter ea, quae supra diximus de spiritali Angelorum natura, constat, Angelos jamdiu ante id tempus et peccasse, et damnatos esse. Certe Philastrius *Lib. de haeres. cap.* 108. hanc sententiam inter haereses recenset, paulo latius fortasse, ut saepe alias, nomen haeresis usurpans.

## PROPOSITIO III.

*Diabolus, ceteriq. rebelles Angeli in peccato obdurati, et obstinati sunt, et omnis actus eorum deliberatus mortale peccatum est; licet hinc eorum demeritum, ac poena non augeatur.*

*Prob.* 1a. *pars*, quae est dogma fidei. Substantia spiritalis, ubi ad terminum pervenerit, mutari amplius non potest; non quia substantiae separatae, ut Thomistae contendunt, natura sua immutabiles sunt, sed quia in viae termino, vel lumine gloriae donantur, quo ulterius cadere non possint; vel omnino privantur gratia, qua con-

converti possint. Quod probant communiter ex *cap. XI. Eccl. v.* 3. *Si ceciderit lignum ad Austrum, aut ad Aquilonem, in quocumque loco ceciderit, ibi erit.* Atqui Angelis malis vel primum peccatum fuit eorum viae terminus, ut ait Damascenus *Lib. II. cap.* 4.; vel in peccato manserunt usque ad terminum a Deo praestitutum. Ergo.

*Prob.* II. *ex PP.* Fulgentius *Lib. de Fide ad Pet. cap.* 3. *De Angelis*, inquit, *hoc Deus disposuit, et implevit, ut si quis eorum bonitatem voluntatis perderet, numquam eam divino munere repararet*. et mox: *Omnes praevaricatores Angeli nec mala possunt umquam voluntate carere, nec poena.* Idem docuerat Augustinus *Epist. CXVII. al. CVII.* te *Lib XI. de Civ. cap.* 13., Gregorius *Lib. II. Moral. cap.* 4. unde ait S. Thomas *I. P. Q. LXIV. art.* 2. *Firmiter tenendum est secundum fidem catholicam, quod et voluntas bonorum Angelorum confirmata est in bono, et voluntas Daemonum obstinata est in malo.*

*Prob.* 2a. *pars* Diaboli voluntas pessimo fini affixa, atque immutabilis adhaeret. Sed omnis actus deliberatus ex pessimo fine, grave peccatum est, ut suo loco dicemus. Ergo etc. Hinc Rupertus *in illud Joan. VIII. cum loquitur mendacium ex propriis loquitur*: *Omne*, inquit, *quod loquitur Diabolus, mendacium est*; *etiamsi fiat, aut eveniat quod loquitur*; *nihil enim corde simplici, nihil omnino loquitur absque intentione fallendi.* Vide S. Thomam *Q. XVI. de malo art.* 5. et 1a. 2ae. *Q. LXXXIX. art.* 4., ubi late de hoc disserit. Dixi autem *actus deliberatus*: quia ait idem S. Thomas. *Actus daemonis naturalis bonus esse potest, et attestatur bonitati naturae, et tamen tali bono abutuntur ad malum.*

*Prob.* 3a. *pars.* Cum substantia separata ad terminum pervenerit, mereri ulterius, aut demereri non potest. Ergo.

*Objic. cont.* 2m. *part.* Non omne quod facit homo peccator, peccatum est; damnata est enim a *Pio V.* et *Greg. XIII.* illa Baji *prop. num. XXXVIII. Omne quod facit peccator, vel servus peccati, peccatum est*; et item alia *n. XL. In omnibus suis actibus peccator servit dominanti cupiditati.* Ergo idem dicendum de Diabolo; praesertim cum Jacobus *cap. II.* 19. dicat: *Daemones cre-*

*credunt*, *et contremiscunt*: et Apostolus *Rom. XIV.* 11. *Omnis lingua confitebitur Deo*: et *Philipp. II.* 10. *in nomine Jesu omne genuflectatur caelestium*, *terrestrium*, *et infernorum*: et Joannes *Apoc. V.* 13. *Omnem creaturam, quae in caelo est*; *et super terram*, *et sub terra ... audivi*, *dicentes*: *Sedenti in throno*; *et Agno benedictio*, *et honor*, *et gloria*: qui utique actus boni sunt. Ergo.

℟. *ad* 1m. *Neg. cons. et parit.* In homine peccatore, dum adhuc vivit; praeter actus non deliberatos, qui peccata non sunt, est aliquis actus etiam deliberatus, saltem ex gratia actuali, qui bonus est: utrumque autem *Bajus* negabat, ut suo loco dicemus. Nos autem hic agimus de solis actibus Diaboli deliberatis, quorum nullus ex actuali gratia, omnes ex pravo fine proficiscuntur; ac proinde dispar est ratio. Quae autem Daemones faciunt in testimonium gloriae Dei et Christi, de quibus loquuntur recitata Scriptnrae loca, faciunt utique inviti, et coacti; sicut victus victoris potentiam agnoscere cogitur. Unde *I. Cor. XV.* 26. dicitur omnes Christo subjiciendos. Sed quia damnati frendentes, et indignabundi id faciunt, in hoc ipso peccant.

*Inst.* Quod liberum non est, non est peccatum. Quo posito; vel daemones in singulis operibus liberi sunt, vel non. Si primum dicas, ergo in aliquibus actibus possunt abstinere a peccato. Sin alterum, non peccant. Ergo.

℟. *Dist.* 1m. *prop.* Quod non est liberum libertate *contrarietatis*, *neg.* Libertate *contradictionis*, *conc.* Porro licet Diaboli voluntas immutabilis malo fini affixa sit, et in eo novum, ut nonnulli putant, non committat peccatum, cum sit unum continuum peccatum a principio libere admissum; in omni tamen electione *mediorum* libertatem habet *contradictionis*, quae ad peccatum sufficit. *Deus*, inquit Estius *in II. Dist. VII.* §. 7., *qui malum nec velle potest*, *nec facere*, *liberum*, *imo liberrimum habet arbitrium*: *quia quae vult*, *et facit*, *potest non velle*, *et non facere*, *et contra quae non vult*, *et non facit*, *potest velle*, *et facere*; *nec non inter res diversas unam velle*, *et facere potest*, *aliis omissis. Ad eundem modum Angelus*, *et homo facti ad immaginem Dei*, *liberum habent arbitrium*, *quia non ad unum agendi modum determinati sunt*, *sicut ea*,

quae

*quae naturaliter agunt; sed agere possunt, et non agere; atque in diversa media ad finem ordinabilia, quodlibet eligendi facultatem habent, quamvis ea media in bonis Angelis, sicut et in beatis animabus nonnisi bona sint; in malis Angeliis, et in animabus damnatis, nonnisi mala.* Quam doctrinam probat ex Augustino, qui *in Ep. CCXVII. al. CVII. ad Vital.* ait Diabolum regere filios diffidentiae *ad arbitrium suum: Quod tamen liberum non habet ad benefaciendum, sed ad maximam malevolentiam poena sui sceleris obduratum.*

## PROPOSITIO IV.

***Diabolus innumeros Angelos secum in peccatum, et ruinam pertraxit, qui vulgo daemones, aut daemonia dicuntur, et quidem ex variis ordinibus; major tamen est numerus Angelorum, qui steterunt.***

*Prob.* 1a. *pars.* Diabolum alios Angelos vel suasione, vel exemplo in idem secum traxisse peccatum, perspicuum est ex Scripturis *Matth. XXV.* 41. *Discedite in ignem aeternum, qui paratus est Diabolo, et Angelis ejus.* Apoc. XII. 7. *Draco pugnabat, et Angeli ejus.* Non enim isti dicerentur Angeli ejus, nisi, eo praeeunte, in idem peccatum conspirassent, Ergo.

*Prob.* 2a: *pars*; nempe Angelos illos fuisse innumeros. *Apoc. XII.* 4. De dracone, sive Diabolo habetur: *Et cauda ejus trahebat tertiam partem stellarum Caeli, et misit eos in terram.* Atqui haec de Angelis in peccatum, et ruinam pertractis intelligenda esse, patet ex sequentibus, ubi dicitur, duce *Michaele* superatum draconem, et Angelos ejus: *draco ... projecus est in terram, et Angeli ejus cum illo missi sunt.* Ergo.

*Prob.* 3a. *pars.* Plurium ordinum nomina daemonibus tribuunt sacrae literae. *Rom. VIII.* 38. *Angeli, Principatus, Virtutes*: *I. Cor. XV.* 24. *Principatus, Potestates, Virtutes*: Ephes. VI. 12. *Principes, et Potestates.* Ergo etc. Gregorius M. *Hom. XXXIV. in Evang.* et S. Thomas *I. P. Q. LXIII. art.* 9. putant ex omnibus omnino ordinibus quosdam cecidisse, *in quo,* in-

inquit S. Thomas, *magis comprobatur libertas arbitrii, quae secundum quemlibet gradum creaturae in malum flecti potest.* Et quidem cum primus supremi ordinis Angelus ceciderit, aliquos ex omnibus inferioribus ordinibus cecidisse, verisimile est; sed, silente Scriptura, et Traditione, incertum.

*Prob.* 4a. *pars* Ex illo *Apoc. XII.* 4., ubi dicitur cecidisse tertia pars stellarum, h. e. minor numerus. Imo PP. tertiam partem sumendam hic docent non adamussim: sed ad significandum tantummodo, longe majorem Angelorum numerum in veritate stetisse, ut ait Augustinus *Lib. XI. de Civ. cap.* 23.

*Dices cont.* 1m. *part.* Vel inferiores Angeli in idem cum Lucifero peccatum consenserunt, vel in aliud ceciderunt. Si primum dicas; repugnat, eos per superbiam subdi voluisse Lucifero potius, quam Deo. Sin posterius; non ceciderunt suasione, vel exemplo Luciferi. Ergo sua sponte, non ab alio in ruinam impulsi sunt.

℟. Omnes cecidisse per superbiam: nec mirum esset, eos se subjecisse Lucifero, utpote sub quo inordinate concupitum finem se posse consequi sperabant, sicut videmus in Republica aliquando, cives aliquos ob superbiam perduelli potius subdito, quam Regi obedire malle, ut observat S. Thomas *I. P. Q. LXIII. art.* 8. Sed putari etiam potest, eos invitos subjectos fuisse Lucifero, cujus superbiam imitati fuerant; sicut etiam peccantes homines diabolo vel inviti subjiciuntur.

*Dices.* II. *cont.* 3m. *part.* Damascenus *Lib. II. de fide cap.* 4. duplicem distinguit Angelorum classem; *supercaelestium* scilicet, quibus rerum caelestium ministeria mandata sunt; et *mundanorum*, quibus rerum terrestrium credita est cura. Ex hac posteriori classe docet cecidisse Angelos: ex priori nullum. Ergo.

℟. *Neg. cons. Damasceni* enim sententia, etsi non debet notari tamquam fidei contraria, ut docet S. Thomas *I. P. Q. LXIII. art.* 7., improbabilis tamen est; cum ex Patrum doctrina Lucifer primus fuerit supremi ordinis, multoque magis alii vel ejusdem, vel inferiorum ordinum cadere potuerint. Unde Augustinus *Lib. XI. de Gen. ad lit, cap.* 19. *et* 26. duplicem hanc Ange-

gelorum classem incertam esse docet, et *Lib. XI. de Civ. cap.* 33. *e caelis caelorum*, ait, Angelos ob superbiam cecidisse.

*Corollarium.*

Quoniam Angelicorum ordinum discrimen ex ipsa eorum natura, vel naturalibus proprietatibus oritur, ut supra diximus *cap.* 5.; natura autem per peccatum destructa non est: sequitur, inter daemones ordinum discrimen manere, ita ut alii praesint, alii subsint, sed quia haec praefectura non ad Dei cultum spectat; sed potius ad perturbandum ordinem a Deo statutum, ideo non dicitur Hierarchia, imo in inferno *nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitare* dicitur *Job. X.* 22.

*Seholion.*

Licet tot millia ceciderint Angelorum, eorum tamen numerum supplevit Deus per homines beatos. Unde, inquit Augustinus *Lib. XXII. de Civ. cap.* 1. *Tantum populum gratia sua colligit, ut inde suppleat, et instauret partem, quae lapsa est, Angelorum; ac sic illa dilecta, et superna civitas non fraudetur suorum numero civium: quin etiam fortasse et uberiore laetetur.* Sed de peccato hactenus: jam de poena videamus.

## CAP. VIII.

### *De poena peccati Angelorum.*

*Adv.* I. QUoniam *Deus Angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos, II. Pet. II.* 4., peccantesq· illico poena consecuta est, quam Scriptura *ignem aeternum* appellat, merito hic quaeritur 1.° utrum haec poena aeterna sit: 2.° utrum sit corporeus ignis: 3.° utrum infernus, ubi daemones peccati poenas luunt, in terrae visceribus situs sit.

II. Origenes, teste Epiphanio *Epist. ad Joan. Jerosol.*, et Hieronymo *Epist. XXXV. ad Pammach.*, negavit, daemonum poenas aeternas fore, quippe post varias

una

annorum conversiones omnia in pristinum restituenda ex Platonis Philosophia docuit. *Thomas Burnetius* Anglus in libro *De statu mortuorum et resurgentium*, non ex Platonica rerum conversione, sed aliis argumentis hunc errorem adstruere conatus est. *Ambrosius Catharinus* ignem inferni, quo torquentur daemones, non esse corporeum, opinatur: qua in re nonnulli eum sequuntur Novatores. Tandem nonnulli veteres dubitarunt, utrum sub terra nostra, an alibi infernus esset.

## PROPOSITIO I.

*Ignem inferni, quo daemones torquentur, aeternum esse dogma fidei est.*

*Prob.* I. *ex Script.* Matth. XXV. 41. *Discendite a me maledicti in ignem aeternum, qui paratus est diabolo, et Angelis ejus . . . et ibunt hi in supplicium aeternum; justi autem in vitam aeternam.* Ubi advertendum est, Dominum, postquam dixit *in ignem aeternum*, ne quis putaret, ignem quidem esse aeternum, damnatos vero in eo non mansuros in aeternum, sententiam suam conclusisse apertissime illis verbis: *ibunt hi in supplicium aeternum etc. Erit ergo combustio aeterna sicut ignis*, inquit Augustinus *Lib. de fide et Op. cap.* 15. Imo posuit hinc vitam aeternam, hinc supplicium aeternum: *dicere autem: vita aeterna sine fine erit, supplicium aeternum finem habebit, multum absurdum est*, ut idem observat *Lib. XXI. de Civ. c.* 23. Consonant alia Scripturae testimonia. Isaiae LXVI. 24. *Ignis eorum non extinguetur.* Dan. XII, 2. *Evigilabunt alii in vitam aeternam, alii in opprobrium ut videant semper*; seu, ut habet textus originalis: *in opprobrium aeternum.* II. Thessal. I. 9. *Poenas dabunt ... aeternas.* Apc. XX. 10. *cruciabuntur die, ac nocte in saecula saeculorum.* Ergo

*Prob.* II. ex constanti Patrum traditione. Praeter *Augustinum* Fulgentius *Lib. de fide cap.* 43. *Firmissime*, inquit, *tene, omnes iniquos ituros in combustionem aeternam.* Idem docent Justinus *Apol. II.*, Tertullianus *Apol. cap. XLV.*, Cyprianus, Epiphanius, Ambro-

brosius, aliique, quorum loci vide apud Petavium, Natalem Alex. *Dissert. XXVII. in H. E. Saec. II.* Unde in symbolo *Athanasii* hoc inter fidei ponitur articulos: *qui mala egerunt, ibunt in ignem aeternum*; Denique in synodo V. Oecumenica contrarius *Origenis* error damnatus est, uti contra *Petrum Alloixium*, aliosque Origenis patronos ostendit idem Natalis Alex. *Dissert. XVI. in H. E. Saec. III.*

*Prob.* III. rationibus S. Thomae *Sup. III. P. Q. XCIX. art.* 1. 10. Licet poenae acerbitas ex quantitate culpae metienda sit; nam *pro mensura peccati erit et plagarum modus Deut. XXV.* 2.; tamen poenae duratio non ex quantitate, aut duratione mali actus, sed ex qualitate peccati, et dispositone peccantis aestimari debet. Quod enim pertinet ad peccati qualitatem; videmus in civili societate crimina quaedam, licet momento uno patrata, quia tamen vinculum humanae societatis omnino destruunt, perpetua mulari poena; scilicet vel morte, vel perpetuo exilio, quaedam vero, quae non omnino destruunt societatis vincula, temporali animadversione castigari, ut emendatus civis possit pacifice in societate vivere. Sic ergo quaedam peccata omnino destruunt vinculum societatis sanctorum, quod est caritas; cujusmodi sunt omnia peccata mortalia; ideoque merentur perpetuum ab illa societate exilium: quaedam vero non destruunt, ut venialia; ideoque ad tempus vel in hac vita, vel in *Purgatorio* castigantur. Quod vero ad dispositionem peccantis pertinet; qui ita est affectus, ut numquam velit a peccato recedere, meretur ut numquam ejus finiatur poena, quae peccati comes est individua. Talis est omnis, qui finem suum ultimum in creatura constituit; vellet enim semper vivere, ut semper creaturae inhaereret, aversus a Creatore, tota enim vita ordinatur ad finem: nec hujusmodi peccatum per naturae vires retractari potest.

2.° Peccatum mortale personam infinitae dignitatis offendit; ideoque sive malitiam, sive offensam quodammodo continet infinitam, vel saltem superioris ordinis. Cum ergo plecti non possit poena infinita quoad acerbitatem, cujus creatura capax non est, restat, ut poena multetur infinita quoad durationem.

3.°

3.° Qui usque ad viae terminum in peccato perseveravit, in aeternum in peccato manet obstinatus; licet enim Deus possit illum per gratiam mutare: tamen praeter quam quod hanc gratiam Deus nulli debet, nec esset injustus, si eam omnibus peccatoribus etiam in hac vita negaret; decebat Dei sapientiam, et justitiam, ut terminum aliquem statueret, ultra quem nullus esset amplius gratiae locus, ne scelera, et flagitia, spe certissima gratiae Dei, in immensum crescerent, et inundarent quod malum majus esset quacumque poena. Ergo cum in aeternum duret peccatum, in aeternum durabit et poena. Vid. *Nat. Alexand.*, *Petavium*, *Huetium in Orig. Lib. II. Q. XI. Abb. Cordemoi etc.*

## *Diluuntur Objecta.*

*Objic.* I. Hebraicum nomen עולם *holam aeternum* saepe in Scripturis usurpatur pro tempore diuturno, non tamen perpetuo; ut cum Deus circumcisionem, aliasque caeremonias legis Mosaicae ait esse *pactum sempiternum*. Idem dicas de Graeca voce *αιων* quae aliquando saeculum, aliquaudo ipsum mundum, aliquando longam durationem significat. Ergo ex eo qnod daemones damnati dicuntur igne aeterno, non sequitur, eorum poenam perpetuo duraturam.

℞. *Neg. cons.* Cum enim vox aliqua in Scripturis ambigua est, vel ex contextu orationis, vel ex traditione certus ejus eruendus est sensus. Porro ex his regulis certe scimus, ignem aeteruum, quo impii damnati sunt, non solum diu, sed perpetuo duraturum. Nam 1.° Dicitur *ignis, qui non extinguetur*: *Isaiae loc. cit.*: quod poenam sine fine significat, ut observat Augustinus *Lib. cont. Priscil. cap.*5. 2.° Dicitur *aeternus*, sicut vita justorum *aeterna*. Sed haec, fatentibus adversariis, sine fine erit; ergo et ignis, et poena impiorum. 3.° Ita dicitur aeternus, ut qui in eo sunt, non possint umquam in locum, et sortem justorum transmeare: *Luc.XVI.*26. 4.° Dicitur cruciatus impiorum duraturus *in saecula saeculorum*: *Apoc. XX.* 10. quae verba nnmquam in Scripturis, nisi de aeterna duratione intelliguntur. 5o. Tandem ita intellexit, et docuit perpetua Patrum traditio.

*Objic.*

*Objic.* II. Ea verba Psal. LXXVI. *Numquid in aeternum projiciet Deus? ... aut obliviscetur misereri Deus? aut continebit in ira sua misericordias suas?* Et *Psal. CII. Non in perpetuum irascetur: neque in aeternum comminabitur.* Et *Sap. XI.* 24. *Misereris omnium Domine.* Et *Rom. XI.* 32. *Conclusit Deus omnia in incredulitate, ut omnium misereatur.* Ergo ubi Scriptura ait, Deum punire in aeternum, intelligenda est de tempore diuturno.

℟. *Neg. cons.* Laudata enim Scripturae testimonia pertinent ad eos, qui adhuc in via sunt, ut legenti patet: *omnium miseretur vasorum misicordiae*, inquit Augustinus, *non omnium omnino Lib. XI. de Civ. c.* 29. Quod si ea ad omnes omnino creaturas velis extendere, adhuc verum est, Deum erga omnes non oblivisci misericordiae, nec continere in ira sua misericordias suas; quia citra condignum puniens, relinquit in ipsa poena misericordiae locum, ut ait S. Thomas *Suppl. III. P. Q. XCIX. art.* 1.

*Objic.* III. Justitia Dei non patitur, ut poena excedat culpam. Unde dicitur *Luc. XII.* 50. impios non solvendos, *donec reddant novissimum minutum.* Quod manifeste ostendit futurum aliquando, ut poena cesset, reddito scilicet omni debito. Ideo etiam habetur *Apoc. XVIII.* 7. *Quantum glorificavit se, et in deliciis fuit; tantum date illi tormentum:* et *Deut. XXV.* 2. *pro mensura peccati erit et plagarum modus.* Atqui poena aeterna quamcumque culpam excedit. Ergo.

℟. *Dist. maj.* Non patitur justitia, ut poena excedat culpam quoad intentionis acerbitatem, *conc.* Quoad durationem, *neg.* ex rationibus supra explicatis.

*Objic.* IV. Hieronymus 1.° *in cap. LXIII. Isaiae* in ea verba; *ignis eorum non extinguetur*, haec habet: *Qui volunt supplicia aliquando finiri, his utuntur testimoniis*: et productis quibusdam Scripturae locis, hanc sententiam de fine suppliciorum non refellit: imo addit, eam occultandum esse iis, quibus utile est timore concuti: caeterum scientiae Dei hoc arcanum esse relinquendum. Et *Comment. in Ep. ad Gal.* ait, *nullam rationabilium creaturarum perire in perpetuum,* 2.° Temperare videtur hanc sententiam *in cap. I. Nahum* docens, saltem homines, qui dum viverent.

a Deo castigati sunt, ne ipsis quidem habitatoribus Sodomae exceptis, non puniendos in aeternum: *ideo ad praesens reddidit supplicium, ne in aeternum puniret:* quod probat ex verbis Prophetae: *non consurget duplex tribulatio.* 3.° Tandem videtur hanc sententiam coarctasse ad solos Christianos, *Dial. I. cont. Pelagium* scribens: *Si Origenes Diabolo tribuit poenitentiam, quod ad nos, qui Diabolum dicimus perire perpetuo, et Christianos salvandos esse post poenas?* Nititur autem celebri loco Epist. *I. Cor. III.* qui docet, Christianos esse salvandos, *sic tamen quasi per ignem.* Ergo.

℞. *Ad* 1m. *Dist. ant.* Hanc sententiam Origenis *Hieronymus* refert, non probat, imo alibi refellit, *conc.* Secus *neg.* Nemo melior Hieronymi interpres, quam ipse Hieronymus, qui *Apol. I. cont. Rufin.* ita se purgat ab Origenianis erroribus, quos ei Rufinus objecerat, dicens non esse accusandum, *qui in uno opere, quod edisserit, expositiones posuerit plurimorum.* Et in *Epist. LXXV. al. XI. ad Augustin.* eadem ratione explicat quod scripserat *in Epist. ad Galat.* Caeterum supplicia impiorum aeterna fore, sicut vitam justorum, clare docet *in cap. XXV. Matth.*; et *in cap. I. Jonae* refellens contrarium errorem, ait: *Sed hoc quia Scriptura non dicit, et evertit penitus timorem Dei, de nostris mentibus abjiciamus, et sciamus, peccatores mitti in ignem aeternum, qui paratus est Diabolo etc. de his dici: ignis eorum non extinguetur:* et mox: *Si longos post circuitus restitutio fiet, quae differentia erit inter matrem Domini, et victimas libidinum? Infinitas aetates congere: si finis omnium similis est, praeteritum omne pro nihilo est; quia non quaerimus, quid fuerimus, sed quod semper futuri sumus.*

*Ad* 2m. *Dist. ant.* Docet, homines poenis in vita affectos, non puniendos in aeternum, si suppliciis admoniti poenitentiam egerint, *conc.* Secus, *neg.* Retundit enim Manichaeos, qui calumniabantur Deum bis punire peccatores.

*Ad* 3m. *Dist. ant.* Docet, Christianos salvandos esse post poenas, si in peccato veniali decesserint, *conc.* Si in mortali, *neg.* Ait enim: *Christianos salvandos esse post poenas, nisi reatu graviorum criminum*

*fue-*

*fuerint inquinati.* Caeterum hic non causam fidei agimus, sed solius *Hieronymi*. Si quis enim contentiose urgeat, illum in concertationibus cum *Rufino* priorem mutasse sententiam, nihil contra fidei dogma sequeretur; cum etiamsi sententiam non mutasset, nihil posset praevalere unus adversus omnes.

*Objic.* V. *cum Thoma Barnesio*, qui *Lib. de statu mortuorum, et resurg.* magno apparatu rationum, quas tamen S. Thomas *III. P. Sup. Q. XCIX.* viderat, et dissolverat, hoc fidei nostrae dogma praecipuum subvertere molitur. Æternitas poenarum dedecet justitiam, sapientiam, et bonitatem Dei. Dedecet quidem justitiam, errorem in momento vitae brevis admissum, aeterno supplicio punire. Dedecet vero sapientiam; quia aeterna poenarum duratio inutilis est Deo, qui nullum inde capit emolumentum: inutilis et ipsis damnatis, qui, ut docent catholici, numquam corrigentur. Dedecet denique bonitatem; fugit enim animus, atque horret ipsa natura, Deum creaturae suae, quam condidit infirmam, imo praesciverat lapsuram, aeternas poenas, et quidem atrocissimas infligere, neque umquam misereri damnatorum: cum contra Patrem se amantissimum, et in misericordia divitem ubique praedicet, qui et Filium suum Unigenitum morti addixit, ut creaturas suas a malis averteret. Ergo.

℟. *Neg. ant. Ad* 1m. Duratio poenae non ex duratione mali actus metienda est; alioquin in civili societate nullum esset crimen, quod perpetuo exilio, aut morte plecti posset; sed ex qualitate peccati, et dispositione peccantis, ut supra diximus: quibus inspectis, justitia Dei poenas aeternas omnino exigit.

℟. *Ad* 2m. Poenarum aeternitas sapientiam Dei decet: non quia utilis est Deo, qui nullum ex creaturis commodum expectat, in seipso perfectus, atque beatus; sed quia id postulat ordo justitiae, quam Deus, utpote a se non distinctam, per seipsam diligit; et quia utilis est creaturis, quae adhuc in vita sunt, ut peccatum fugiant: quod malum majus est ipsa poena.

*Ad* 3m. Bonus quidem est Deus, summeque misericors; sed si non esset etiam justitiae locus, jam non bonus, sed malus esset, qui neglecto justitiae ordine, via

vitia in immensum crescere sineret. Hinc recte Gregorius M. *Lib. IV. Dial. cap.* 4. *Omnipotens*, inquit, *quia pius est, miserorum cruciatu non pascitur; sed quia justus est, ab iniquorum ultione in perpetuum non sedatur.* Vide S. Thomam *Suppl. III. P. Q. XCIX.* Habes ista fusius apud Natalem Alex. *Dissert. XXVII. in Hist. Eccl. Saec. III.* Huetium *in Origenianis Lib. II. Q. XI.*, Berti *Lib. X. cap.* 17., atque eos auctores, qui contra Socinianos scripserunt. Nam et hanc de fine poenarum haeresim Sociniani amplexi sunt, ut et *Jo: Lokius*, *Baelius*, *Guil. Petersenius etc.*

## PROPOSITIO II.

*Ignem infirni corporeum esse, certum est; non tamen ex fide.*

*Prob.* 1a. *pars.* Scripturae eisdem semper verbis utuntur ad explicandum damnatorum supplicium. Eccli. XXI. 10. *Consumatio illorum flamma ignis.* Isaiae XXXIII. 14. *Quis poterit habitare . . . cum igne devorante? ... cum ardoribus sempiternis?* Matth. V. 22. *Gehenna ignis.* Apoc. XXs 9. *Stagnum ignis.* Atqui Scriptura ad literae sensum intelligenda, atque explicanda est, cum aliis Scripturae locis non opponitur, ut docet Augustinus *Lib. III. de Doct. Christ. cap.* 10. Imo incredibile est, Christum judicem in sensu figurato explicare poenam, qua damnat impios, dicens; *discedite in ignem aeternum.* Ergo.

*Prob.* II. *ex PP.* 1.° Hieronymus *Epist. LIX.* reprehendit Origenem, quod ignem inferni per metaphoram explicaverit. 2.° Gregorius M. *Lib. IV. Dialogor. cap.* 29. *ignem*, inquit, *inferni corpus esse, non ambigo.* 3.° Augustinus *Lib. XXI. de Civ. cap.* 10. *Gehenna illa, quod etiam stagnum ignis, et sulphuris dictum est, corporeus ignis erit.* Idem habet plurium Patrum sententia, et communis Theologorum doctrina, et sensus fidelium: ita ut contraria sententia *erronea*, atque hodie *scandalosa* videatur. Ergo.

*Prob.* 2a. *pars.* 1.° Nulla extat hac de re Ecclesiae definitio, ut *Petavius Vasquez*, aliique observant 2.° *Ca-*

*Catharinus* sequi videtur *Ambrosium*, qui ait *Lib. VII. in Luc. Neque ignis, neque vermis corporeus est*: nec ab Ecclesia damnatus est. Ergo.

## *Objectiones.*

*Objic.* I. In Scripturis *Is. LXVI.* 24. . et *Marc. IX.* 43. haec duo conjunguntur ad explicandum damnatorum supplicium, vermis, et ignis: *vermis eorum non moritur; et ignis non extinguitur.* Atqui vermis per metaphoram dictus est pro conscientiae stimulis. Ergo et ignis.

℟. *Transeat min. et Neg. cons. et parit.* Dixi *transeat minor*; quia non est omnino certum, vermes improprie intelligendos; cum Basilius *in Ps. XLII.* aliique Interpretes apud *Corn. a Lapide in cit. loc. Is.* in sensu proprio, et ad literam intelligant: nec divinae potentiae impossibile sit, ut praeter ignem, etiam molestissima, et venenata animatia a nostris diversa, depascantur saltem corpora damnatorum. Certe *Eccl. VII.* 19. habetur: *Vindicta carnis impii, ignis et vermis*: et *Judith. XVI.* 21. *Dabis ignem, et vermes in carnes eorum, ut urantur, et sentiant usque in sempiternum.* Sed demus, vermes intelligendos improprie, non consequitur, idem dicendum esse de igne; vermis enim cum sit animal vivens, non aliter laedere potest, nisi partes alienae substantiae dilaniando, caret vero partibus substantia spiritalis. At ignis potest aliter et corpus, et animum cruciare, ut infra videbimus: nec est credibile, Christum judicem sapientissimum postremam prolaturum sententiam sensu improprio. Dispar ergo est utriusque rei ratio: nec est in Scripturis insuetum, ut in eodem commate duae res diverso intelligantur sensu pro varia rerum natura

*Inst.* Ignis materialis non potest agere in spiritus; eosque cruciare. Ergo etc. Haec ratio non habet locum in eorum sententia, qui docuerunt, Angelos non esse omnino corporis expertes.

℟. *Neg. ant.* Sicut enim potuit Deus animum humano corpori ita conjungere, ut lacerato, aut combusto corpore, animus et sentiat, et doleat, cur non potuit

spi-

spiritum ita alligare igni, ut eodem crucietur? Quomodo id fiat, intelligere non possumus, sicut et alia naturae arcana; et tamen factum esse in conjunctione animi, et corporis, certissime scimus. Apposite Augustinus *Lib. XXI. de Civ. cap.* 10. ait: *Quamvis miris, tamen veris modis etiam spiritus incorporeos poena corporalis ignis affligi, si spiritus hominum, etiam ipsi incorporei, et nunc potuerunt includi corporalibus membris, et tunc poterunt corporum suorum vinculis insolubiliter alligari.*

*Objic.* II. Nonnulli Patres in contraria fuere sententia. 1.° Gregorius *Lib. XV. Moral. cap.* 17. *Gehennae ignis, cum sit incorporeus ... nec studio humano succenditur, nec lignis nutritur, sed creatus semel durat inextinguibilis.* 2.° Damascenus *Lib. IV. cap.* 28. ait; *ignem aeternum non materialem esse, qualis est apud nos.* 3o. Augustinus *Lib. XXI. de Civ. cap.* 10. *talem*, ait, *fuisse illam flammam, quales oculi* divitis, et Lazari digitus: quae quidem per metaphoram intelligenda esse, patet. 4.° *Ambrosii* verba jam supra recitata sunt. Ergo saltem nostra sententia ambigua est.

R. *Dist. ant.* In contraria fuere sententia verbo tenus; quia scilicet putarunt, ignem illum non esse nostro similem, sed tamen corporeum, *conc.* Ita intelligendus est *Damascenus*, ut patet ex ipso textu nobis opposito, et fusius ostendit *Clictoveus Commentar. in Damasc.*: ita etiam *Gregorius*, et *Augustinus*, ut constat ex eorum verbis supra relatis. Revera putarunt, ignem illum esse per metaphoram dictum, *subdist.* Et ii pauci sunt, eorumq. sententia minus est Scripturae consentanea, *conc.* Secus, *neg.* Fatemur, hac de re nonnullos dubitasse veteres, necdum Ecclesiam suum protulisse judicium; ideoque contraria opinio haeretica non est. Nostra tamen sententia Scripturis, et Patribus congruentior est; et communi Theologorum, et fidelium sensu comprobatur. Vide haec fusius apud Berti *Lib. X. cap.* 17., Petavium *Lib. III. de Ang. cap.* 5. *etc.*

### *Scholion.*

Quod *in Prop.* diximus: *non tamen ex fide*: non eo sensu intelligendum, quasi liberum unicuique sit quam libuerit amplecti sententiam, cum contrariam *Catharini*, aliorumque doctrinam, ut temerariam, atque hodie *scandalosam* rejecerimus: imo nec desint Theologi, ut Card. Gotti *Q. IX. de Angel. Dub.* 3. aliique, qui putent, communem Patrum, Theologorum, atque fidelium sententiam ad veritatem catholicam, vel ad fidei dogma pertinere.

## PROPOSITIO. III.

*Locus poenae Daemonum, et hominum damnatorum, quem Scripturae infernum, abyssum, αδην, ταρταρον, tenebras exteriores appellant, in terrae visceribus est. Multi tamen ex rebellibus Angelis adhuc per terrae superficiem, et per aëra vagantur usque ad extremum judicii diem.*

*Prob.* 1a. *pars.* 1.° Apostolus *Philipp. II.* 10. *In nomine Jesu omne genu flectatur caelestium, terrestrium, et infernorum:* Et *Apoc. V.* 13. *Omnem creaturam, quae in caelo est, et super terram, et sub terra .... audivi dicentes etc.* Quibus locis est manifestum, esse aliquas rationabiles creaturas in telluris viscera detrusas, quae nec boni Angeli, nec animae sanctorum esse possunt. Ergo sunt spiritus aeternae poenae addicti. 2.° Praeterea nomen *abyssi* non de caliginoso hoc aere, sed de profundissimis terrae cavitatibus intelligendum esse, patet ex *cap. VIII. Lucae*, ubi daemones, qui jam in hoc aere, imo super terram erant, rogabant Jesum, ne mitteret eos *in abyssum.* 3o. Nomen ipsum *inferni*, *αδε*; *tartari*, non potest esse nisi sub terra; dicuntur enim in Scripturis eo detrudendi impii, qui jam in terra sunt. Sic dives *Luc. XVI.* 21. dicitur *sepultus in inferno.* Et de Capharnaitis *Matth. XI*, 23. *Et tu Capharnaum, numquid usque in caelum exaltaberis? usque in infernum descendes.* Ergo.

*Prob.*

*Prob.* II. *ex PP.* 1.° Irenaeus *Lib. V. cap.* 31. ait, Christum descendisse ad inferiora terrae, ubi erant animae. 2.° Tertullianus *Apolog. cap. XLVII.* ait, infernum esse *subterraneum ignis arcani thesaurum.* 3.° Augustinus *Lib. II. Retract. cap.* 24. *De inferis magis mihi videor dicere debuisse quod sub terra sint, quam rationem reddere, cur sub terris esse credantur, sive dicantur, quasi non ita sit.* Quibus verbis ostendit, hanc doctrinam esse apud Catholicos communem. Idem docent Hieronymus *in cap. XIV. Is.*, Ambrosius *in cap. IV. ad Ephes.* Ergo.

*Prob.* 2a. *pars.* I. *ex Script. Job. I. et II.* Satan a Deo interrogatus: *unde venis?* respondit: *Circuivi terram, et perambulavi eam.* I. Pet. V. 8. *Adversarius vester Diabolus tamquam leo rugiens circuit, quaerens quem devoret.* Et *Ephes. II.* 2. Paulus Diabolum dicit esse *Principem potestatis aeris hujus*: et *cap. VI.* 12. vocat daemones *mundi rectores tenebrarum harum*: *Non est*, inquit, *nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed . . . adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiae in caelestibus*; idest in locis aëriis.

*Prob.* II. *ex PP.* Hieronymus *in cap.* VI. *Ep. ad Ephes.* ait, communem esse Doctorum opinionem, aërem istum esse *contrariis fortitudinibus plenum.* Idem docet Basilius *Hom. IX.*, Augustinus saepissime *Enchirid. cap. XXVIII.*, *Lib. XI. de Civ. cap.* 33., *Lib. XI. de Gen. ad lit. cap.* 26. *et alibi.*

*Prob.* III. ex obsessione, et tentatione daemonum, quam Scriptura aperte docet, et nos infra explicabimus. Ergo.

## *Diluuntur Objecta.*

*Objic.* I. *cont.* 1m. *part.* cum Calvino *Lib. II. Instit. cap.* 16. §. 9, et Beza *in cap. II Act.* Vox ᾅδης in Scripturis, uti et Hebraica שאול *Sehol*, quam Vulgata vertit *infernum*, sepulchrum significat; ut cum ait Jacob *XLII.* 38. *deducetis canos meos cum dolore ad infernos.* Ergo etc.

℞. *Neg. ant.* Graeci enim sepulchrum dicunt τάφον

numquam vero *αδην*. Nec *Robertus Stephanus* in Thesauro in verbo *αδης* ullum testimonium profert Graecorum, quo *αδης* pro sepulchro usurpetur; Hebraicum vero nomen שאול *Schol* voraginem notat, non sepulchrum. Certe Hieronymus Hebraice peritissimus ea verba *Num. XVI.* 33. *Descenderuntque vivi in infernum*: ubi in Hebraeo est *Schol*, intelligit de subterraneis damnatorum cavernis. Et *Gen. cap. XXXVII.* 35. usurpatur pro subterraneis terrae locis, ubi detinebantur animae piorum ante Christi adventum. Nam *Jacob* inspecta tunica *Joseph*, quem utique putavit non sepultum, sed a feris voratum, ait: *descendam ad filium meum lugens in infernum*. Unde potest eodem modo intelligi locus *Gen. XLII.* in objectione recitatus.

*Objic.* II. Tam variae sunt de loco inferorum opiniones Patrum, ut nihil certi videatur de eo affirmari posse. Nonnulli enim docent, infernum esse tenebricosum hunc aërem telluri vicinum, ut Nyssenus *Lib. de anima*, *et Resurrect.* Chrysostomus *Homil. de praemiis beator.*, et Auctor *Operis imperf. in Matth. Homil. LIII.* Alii, quorum meminit ipse Chrysostomus *loc. cit.* et Gregorius M. *Lib. IV. Dial. cap.* 42. illum statuebant in valle *Josaphat*, cui contermina erat vallis, quae dicebatur *Gehenna*: quo nomine saepe Christum infernum appellat. Alii infernum non aliud esse putarunt, quam conscientiam accusantem, ut *Origenes* apud *Hieronymum Epist. ad Avitum.* Denique non defuerunt, qui dicerent, infernum non esse corporeum aliquem locum ut Augustinus *Lib. XII. de Gen. cap.* 33. Ergo.

℞. *Neg. ant.* Licet enim pauci hac de re dubitaverint; non efficiunt tamen, quominus evidens sit hac de re, et constans Patrum, Theologorum, et fidelium sensus; et quidem Scripturis congruentior, ut supra vidimus. *Origenis* quidem opinio a *Hieronymo*, et ab Ecclesia reprehenditur. Augustinus *Lib. III. Retract. cap.* 24., quod alibi dixerat, retractavit. *Nyssenus*, et *Chrysostomus* intelligendi sunt eo sensu, quo diximus, plures Daemones in tenebricoso isto aëre adhuc versari. Quod vero infernus sit in valle *Josaphat*, sententia est omnino singularis, et quae nullum probati nominis auctorem habet.

*Objic. III. cont.* 2m. *part.* Si plures Angeli adhuc in aere, aut super terram vagarentur, mitior esset istorum poena, quam illorum, qui jam in tartarum detrusi sunt. Atqui hoc in pari omnium causa absurdum est. Ergo vel dicendum est, omnes *in judicium magni diei reservari*, ut ait Judas, et Petrus *II Ep. cap. II.* 4. et interim a poena saltem ignis esse immunes. ut revera tenent aliqui Theologi post quosdam ex Patribus; eorumque sententiam Petavius *Lib. III. de Ang. cap.* 4. docet non esse damnatam, vel omnes omnino in inferis esse: et quidquid de Daemonum tentationibus, atque obsessionibus dicitur, nihil aliud esse nisi effectus male affectae, et perturbatae phantasiae, et credulitatis imperitorum, ut contendit *Bekerus.*

℞. *Neg. maj.* Sicut enim nihil officit beatitudini Angelorum mora in terris, dum vel homines custodiunt, vel alia jussa Dei faciunt; ita nihil minuit poenam daemonum eorum vagatio per aërem, aut tellurem. Secum enim ferunt non materialem ignem; sed ipsa tormenta poenalia: semperque eorum cogitationi adest ignis ille, cui se sciunt jam illigatos: quod vero *Judas* ait, et *Petrus*, eos *in judicium reservari*: item quod dicebant daemones a Christo ejecti *Matth. VIII.* 29. *Venisti ante tempus torquere nos*, quasi nondum essent damnati, intelligitur de sollemni, et publico judicio, quod vellent longius protrahi; tum quia auferetur tunc eis nocendi potestas, cujus ob invidiam cupidissimi sunt; tum quia nihil magis refugit eorum superbia, quam judicari, et damnari a Christo homine, et contemni ab hominibus sanctis, a quibus licet fragilibus victi sunt. Ad rem Beda *in cap. III. Jac. Diabolus, et Angeli ejus, propter quos Gehenna facta est, ubicumque vel in aere volitant, vel in terris, vel sub terris vagantur, sive detinentur, suarum semper secum ferunt tormenta flammarum.* Unde Bellarminus *Lib. I. de Sanctor. beatitud. cap.* 6. contrariam sententiam ab errore vindicari non posse docet. Et certe falsa, et erronea videtur. *Bekeri* autem audax et profana opinio. Scripturis sanctis adversa est.

CA-

## C A P. IX.

### *De officiis bonorum Angelorum erga Deum, et homines; et de impugnatione daemonum.*

*Adv.* I DE omnibus Angelis beatis ait Apostolus *Heb. I. 14. Omnes sunt administratorii spiritus, in ministerium missi propter eos, qui haereditatem capient salutis.* Licet enim possit Deus omnia per seipsum omnipotenti sua voluntate facere; bonitatis tamen ejus est, ut ad nonnulla opera, quae sive ad salutem piorum, sive ad malorum vindictam pertinent, utatur ministerio creaturarum. Hinc dicitur etiam *Psal. CIII. Qui facis Angelos tuos spiritus*: et *Psal. CII. Benedicite Domino omnes Angeli ejus: potentes virtute, facientes verbum illius, ad audiendam vocem sermonum ejus. Benedicite Domino omnes virtutes ejus: ministri ejus, qui facitis voluntatem ejus.* Et saepe numero Deum Angelis bonis non solum ad praesidium piorum, sed etiam ad impiorum poenam usum esse, iisdemq. usurum in extremo mundi excidio, ex Scripturis est apertissimum.

II. E contrario rebelles Angelos invidia tabescentes jam inde a principio humano generi bellum atrox indixisse, testatur Veritas, dicens *Joan. VIII. 44. Ille* (Diabolus) *homicida erat ab initio.* Et *Sap. II. 24. Invidia Diaboli mors introivit in orbem terrarum.* Plena est hujusmodi testimoniis Scriptura, et traditio; atque ideo satius est audire monentem Apostolum. *Pet. V. 8. Sobrii estote, et vigilate: quia adversarius vester Diabolus tamquam leo rugiens circuit, quaerens quem devoret, cui resistite fortes in fide*; quam de hujus rei veritate disputare cum incredulis.

III. Jam vero dari Angelos hominum custodes, dogma fidei est; idque sacrae literae, et perpetua traditio aperte testatur. Tantum igitur hic expendendum superest 1.° utrum singulis hominibus, Civitatibus, Regnis custodes Angeli a Deo mittantur; 2.° utrum etiam singulis malus Angelus destinatus sit, qui eum impugnet; 3.° utrum Diabolus eo usque aliquando hominem aggre-

dia-

diatur, ut corpus ejus, aliasque potentias possideat, et agat. Hoc enim post *Bekerum* (a) negant ii, qui non in studio veritatis, sed in opinionum audacia gloriam esse ponendam putant.

IV. Calvinus *in Psal. XC.* ridet Catholicos, qui docent, singulis hominibus custodem Angelum a Deo destinari. E contrario Origenes *Hom. XII. in Luc.*, Cassianus *Collat. XIII. cap.* 12., P. Lombardus, et post eum aliqui Theologi docuerunt, singulis hominibus duos divinitus deputari Angelos, alterum bonum ad custodiam, alterum malum ad exercitationem et pugnam. Patres nonnulli, ut *Basilius in Psal. XLVIII.*, *Hilarius*, *Chrysostomus*, aliique custodiam Angelorum ad solos fideles coarctant.

## PROPOSITIO.

*Singulis fidelibus, praesertim electis, custodem Angelum a Deo mitti, certum est; probabilius etiam est, mitti singulis omnino hominibus, etiam infidelibus, imo singulis civitatibus, et regnis. Nihil tamen horum dogma fidei est.*

*Prob.* 1a. *pars.* I. *ex Scriptura. Matth. XVIII.* 10. De omnibus fidelibus pusillis ait Christus: *Angeli eorum . . . semper vident faciem Patris* 2.° *Act. XII.* 15. Petro, qui mirabiliter e carcere per Angelum eductus erat, pulsante januam, ubi discipuli congregati erant, putabant fideles, non esse Petrum, sed ejus Angelum. *Angelus ejus est* (b). 3.° In veteri quoque Testamento legimus *Gen. XLVIII.* 16. dixisse Jacob: *Angelus, qui eruit me de cunctis malis*: et Judith: *Custodivit me Angelus ejus. Judith. XIII.* 20. Ergo.

*Prob.*

---

(a) *Beker* Le Monde enchanté.

(b) Frigidum est quod reponit Ligfootus in *Horis hebr.* verba illa *Angelus ejus est* significare Angelum, qui in forma Petri apparuerit: aut quod putat *Hammondus*, nuntium a Petro missum.

*Prob.* II. *ex PP.* Chrysostomus *in Cap. XVIII. Matth. Hinc manifestum est*, inquit, *quod omnes Sancti Angelos habeant*: et Basilius *in Psal. XLVIII. Cuilibet fidelium est Angelus assistens.* Ergo.

*Prob.* 2a. *pars. ex PP.* 1.° Hieronymus *in cap. XVIII. Matt. Magna*, inquit, *dignitas animarum, ut habeat unaquaeque ab ortu suae nativitatis Angelum deputatum*, 2.° Ambrosius *in Psal. XXXVIII. Angelus in circuitu est hominis, qui praetendit, ne quis noceat ei.* 3.° Bernardus *Lib. V. de Consider. cap.* 4. *Putemus, Angelos dici qui singulis hominibus dati creduntur.* Patres hi, aliique laudati a Petavio *Lib. II. de Angelis* nullo discrimine docent, singulis hominibus Angelum tutelarem esse a Deo missum.

*Prob.* 3a. *pars. Dan. X.* 13. *et* 20. mentio fit *Angeli Regni Graecorum, et Angeli Regni Persarum. Princeps Regni Persarum*, ait Angelus, *restitit mihi viginti et uno diebus.* Et *Josue V.* 14. ait Angelus: *Sum Princeps exercitus Domini.* Unde ait *Theodoretus Quaest.III. in Genes. Cuique genti Angelum praeesse, affirmat Scriptura*: quae tamen commode intelligenda sunt; hoc nimirum sensu, quod satis clare fluit ex eo, quod affirmat Scriptura.

*Prob.* Denique 4a. *pars.* Quia nulla de hisce rebus extat Ecclesiae definitio.

### *Refutantur Objecta*

*Objic.* I. Apostolus *Heb. I.* 14. ait: *Omnes sunt administratorii spiritus, in ministerium missi propter eos, qui haereditatem capient salutis.* Ergo solis electis custodes Angeli mittuntur.

℞. *Dist. ant.* Propter eos, qui haereditatem capient. tamquam praecipua divinae bonitatis cura, et qui inde salutis emolumentum percipiunt, *conc.* Propter eos tantum, *subdist.* Quatenus ad eorum commodum omnia diriguntur, etiam Angeli, qui reprobis destinati sunt, *conc.* Quatenus ad eos tantum custodes Angeli mittuntur, *neg.* Licet ergo omnibus mittantur Angeli custodes; dicuntur tamen in Scripturis missi propter electos duabus ex caussis. 1.° Quia electi sunt maxima, et prae-

ci-

-cipua Dei cura, et qui inde emolumentum aeternae salutis adipiscuntur: unde etiam Incarnatio, oratio, mors Christi ob eandem rationem videntur in Scripturis aliquando ad electorum gratiam coarctari; licet pro omnibus haec gesta sint. 2.° Quia omnia ad salutem electorum conducunt, ut ait Apostolus *Rom. VIII.* 28.: ipsi etiam Angeli reproborum, quos impediunt, quominus plus noceant, quam utilitas, et salus electorum pati possunt. Hinc recte observat *Estius* non dixisse Apostolum *loc. cit. Heb. I. ad eos*, qui haereditatem capient; sed *propter eos*.

*Objic.* II. De solis justis ait Propheta *Psal. XC. Angelis suis* Deus *mandavit de te, ut custodiant te.* Et Ecclesia inter Baptismi caeremonias Deum precatur, ut mittat Sanctum Angelum suum de caelis, qui baptizandum custodiat, ac proinde pro certo habet, eos saltem, qui baptizati non sunt, hac custodia destitutos. Ergo.

℟. *Dist. ant.* Et ea ita dicuntur de justis, et baptizatis, ut negentur impiis, et infidelibus, *neg.* Ut non negentur ceteris, *conc.* Cum ait Propheta, Deum mandasse Angelis custodiam justorum, et Ecclesia adprecatur baptizandis custodem Angelum, de singulari custodiae modo loquuntur, quo justi, et praesertim electi in omnibus viis suis ita custodiuntur, ut numquam offendant; vel saltem aut non cadant, aut cadentes resurgant; baptizandi autem *ad gratiam baptismi perducantur.* Vide haec fusius apud *Cotelerium* in notis ad *Hermam* et *Clementem*, *Coccium* in Thesauro *Tom. I.*, *Petavium* etc. (a).

*Scho-*

---

(a) Etiam apud Gentiles Philosophos inveteravit haec doctrina de custodibus Angelis; quos ipsi *Genios*, aut *δαιμονας* appellabant, ut constat *ex Censorino in Lib. de die natali cap.* 3.; quem locum erudite illustrat *Lindebrogius in notis*; et ex *Menandro*, cujus versus *Clemens Alex.* recitat *Lib. V. Strom.* Huetius in *Alnetanis Lib. II. cap.* 4., Pfannerus in *System. theolog. gentil. cap.* 6. Olearius *in Dissert. de genio Socratis* apud Stanlejum *in Histor. Philos.* multa undique de hoc genere collegerunt. Nos tamen non ex Philosophorum officinis, sed ex Sacris literis nostra desumpsimus, quas fortasse et ipsi Philosophi legerunt, nisi forte haec ex vetusta acceperint traditione.

*Scholion.*

Angelorum Custodum munera sunt 1o. A malis ingruentibus eripere: 2.° Daemonem compescere, quominus pro suo lubito aggrediatur, et noceat: 3.° Pias cogitationes, et consilia suggerere: 4.° Preces hominum Deo deferre, suasque etiam addere pro eorum salute. Vide Estium *in II. Dist. XI.* §. 2. In hac autem hominum procuratione non hominibus Angeli proprie, sed Deo ministrant, ut advertit S. Thomas *I. P. Q. CXII. art.* 1. Nec a Dei contemplatione, et laudibus per exteriora isthaec ministeria avocantur. Quae et ii imitari debent, quoad ejus fieri potest, qui exterioribus occupantur officiis, ut fuse Bernardus in libris *de Consideratione* prosequitur.

## PROPOSITIO II.

*Licet Deus aliquando etiam malis Angelis utatur ad vindictam impiorum, aut exercitium bonorum, permittendo, ut noceant; non est tamen putandum, singulis hominibus malum Angelum a Deo destinari: quod vero ab ipso Diabolo malus Angelus ad singulos homines impugnandos destinetur, improbabile non est.*

*Prob.* 1a. *pars.* De vindicta impiorum *Ps. LXXVII.* dicitur: *Misit in eos iram indignationis suae; indignationem, et iram, et tribulationem, immissiones per Angelos malos.* De bonorum vero exercitatione res est manifesta ex Libro *Job*, in quem Deus permisit, Satanam horribili modo desaevire. Et in *Apocalypsi* praedicitur, solvendum aliquandiu Satanam, ut longe lateque per universam terram ad malorum poenam, et bonorum exercitationem saeviat. Idem docent Patres. Ergo.

*Prob.* 2a. *pars.* Sicut Deus non potest esse mali auctor, ita nec ad malum incitator, unde dicitur *Jac. I.* 13. *Deus intentator malorum est, ipse autem neminem tentat.* Atqui esset ad malum incitator, si unicuique

ten-

tentando malum Angelum mitteret; quod enim quis per alium facit, per seipsum videtur facere. Merito ergo contraria sententia videtur derivata potius ex fabulis ethnicorum, qui unicuique homini bonum, malumque *Genium* adesse fingebant; quam ex Dei verbo, in quo nullum fundamentum habet.

*Prob.* 3a. *pars.* Certum est, Diabolum omnium hominum bonis invidere, inhitare malis: imo et Deum aemulari, et imitari, quantum potest, ad omnium hominum ruinam. Probabile igitur est, eum singulis hominibus ad malum incitandis malum Angelum destinare. Nyssenus certe *Lib. I. de vita Moysis* ait· *Est sermo ex majorum traditione fidem sibi vindicans, qui dicit, postquam natura nostra in peccatum decidit, Deum hunc lapsum nostrum providentia sua minime destituisse; sed Angelum quendam ex iis, qui naturam corporis expertem sortiti sunt, adhibuisse ad uniuscujusque hominis tutelam, ac praesidium: at ex adverso naturae corruptorem pari machinatione contra niti, et pravo quodam, ac malefico adjuncto daemone, humanae vitae perniciem afferre.* Vide Laurentium Berti *Lib. X cap.* 8. *Prop.* II., qui varia in hanc rem veterum testimonia congerit. Caeterum malus iste Angelus nihil omnino, nisi permittente Deo, aggredi potest ad hominum perniciem.

## PROPOSITIO III.

*Negare energumenorum, seu hominum a daemone possessorum existentiam, haereticum est: imo etiam, ex sola ratione naturali, valde temerarium. Pluries tamen in iis, qui energumeni dicuntur, nihil est, nisi errantis phantasiae ludibrium, aut etiam malitia, et fraus.*

*Prob.* 1a. *pars.* I. Tam multa, et tam clara sunt testimonia Scripturarum, quae id testantur, ut si liceret ea alio detorquere, nihil certi in sacris literis haberemus. 1.° Ipse Christus dicitur in Evangelio saepissime *daemonia ejecisse*. Longum esset referre omnia: illud vero celeberrimum, quod accidit in regione Gerasenorum

rum *Matth. VIII.* 28., *Marc. V.*, *Luc. VIII.*, ubi daemones, qui homines duos invaserant; occurrentes Jesu, *clamaverunt: quid nobis, et tibi, Jesu Fili Dei. Venisti huc ante tempus torquere nos? Erat autem non longe ab illis grex porcorum pascens. Daemones autem rogabant eum, dicentes: si ejicis nos hinc, mitte nos in gregem porcorum. Et ait illis; ite. At illi exeuntes abierunt in porcos, et ecce impetu abiit totus grex per praeceps in mare, et mortui sunt in aquis.* 2.° Saepe Christus in Evangelio ad ipsos nefarios spiritus verba facit, eos interrogat, illis imperat, minatur, silere jubet, expellit; vereque daemones abscessisse, ipsa sanitate energumeno restituta demonstrat. 3.° Ex hac daemones ejiciendi potestate probat, se esse Messiam *Luc. VII.* 20. 21. 40. Ostendit, se non potestate *Beelzebub* ejicere daemonia, ut Pharisaei calumniabantur; sed *in digito Dei Luc. XI.* 5.° Dedit discipulis potestatem omnia daemonia ejiciendi *Matth. X.* 1., *Marc. III* 15., *Luc. IX.* 1.: imo promittit hanc virtutem ceteris fidelibus *Marc. XVI.* 17. *Signa autem eos, qui crediderint, haec sequentur: in nomine meo daemonia ejicient etc.* 6.° Hac potestate saepissime Apostoli usi sunt et ante, et post Christi mortem. Ergo cum sit tam clarum, tam saepe repetitum in Scripturis, Christum, ejusque Discipulos ejecisse daemonia e corporibus energumenorum, id negare haereticum est.

*Prob.* II. ex omnium Patrum doctrina, et Ecclesiae universae sensu, quae semper habuit *Exorcistas*, et *Exorcismos* ad daemones fugandos. Hunc consensum Patrum et Ecclesiae judicium non diffitentur adversarii. Ergo.

*Prob.* 2a: *pars.* Esse energumenos, non aliquorum e vulgo Christianorum opinio est; sed omnium non modo Catholicorum doctorum pariter et indoctorum, verum etiam Hebraeorum et Gentilium doctrina, Sadducaeis, et Epicureis exceptis. De Catholicis res est manifesta. De Hebraeis constat ex Evangelio, et ex libris Rabbinorum. De Gentilibus vero habemus praeter alia illustre *Tertulliani* testimonium, qui *Apolog. cap. XXIII*, hac ratione illos, quamvis suo modo sapientes, et Christianis infensissimos, provocare audet. *Edatur hic aliquis*
sub

*sub tribunalibus vestris, quem daemone agi constet: jussus a quolibet Christiano spiritus ille, tam se daemonem confitebitur de vero, quam alibi Deum de falso.* Et alibi: *Lib. ad Scapul. cap. II.* ait: *daemones non tantum respuimus, verum et revincimus, et quotidie traducimus, et de hominibus expellimus.* Nec esset profecto ausus *Tertullianus* ista scribere ad inimicos Christianae religionis, nisi existentia energumenorum fuisset apud illos exploratissima. Atqui repugnare omnium Catholicorum, Judaeorum, Gentilium sensui valde temerarium est. Ergo.

*Prob.* 3.° *pars. ex* ipsa experientia, qua docemur, multos, qui energumeni habebantur; tetro *melancholiae* humore laborasse, qui phantasiam vitiaverat: quo humore vel oppurtunis medicamentis, vel solerti aliqua fraude curato, salva fuerunt omnia: nonnullos etiam ex malitia id venditasse; fraude vero detecta, ad saniorem frugem rediisse. Ergo.

## *Solvuntur Objecta.*

*Objic.* I. *cont.* 1.m et 2.m *part.* Spiritus non potest propria vi agere in corpus Ergo.

℟. *Neg. ant,* Cujus falsitas vel ex ipso commercio animi, et corporis humani manifesta est. Quomodo id fiat, obscurum est, et tamen fieri certissimum est.

*Objic.* II. Non decet bonitatem Dei permittere, ut Diabolus humanum corpus insideat. Inde enim sequitur, non solum ipsius hominis summa miseria, verum etiam scandala innumera ob blasphemias, quas homines proferunt impune in Deum, resque divinas, aliaque valde indecora. Ergo:

℟. *Dist. ant.* Non decet bonitatem Dei id permittere, si homo sit in statu innocentiae, in quo a Deo creatus est, *conc.* Si sit peccato obnoxius, *neg.* Deus non solum bonus, sed et justus est; ideoque aliquando permittit, daemonem atrocius saevire, ut boni in hoc corruptae naturae statu vel purgentur, vel exerceantur; mali vero puniantur. Si quis vero inde scandalum patitur, culpa sua est; deberet enim potius inde assurgere ad contemplandam Dei bonitatem erga se; malitiam, et odium daemonis adversus genus humanum. *Inst.*

*Inst.* Nonnulli pueri recens baptizati, dicuntur energumeni; quos tamen certum est, nihil habere damnationis, ut ait Apostolus. Atqui repugnat bonitati, et justitiae Dei, infantes istos jam ab omni labe purgatos tanta poena afflictari. Ergo satius est dicere, eos morbo potius, quam a diabolo corripi, et agitari.

℟. *Transeat maj. quoad* 1m. *part. Dist.* 2m. *part.* Nihil damnationis est in parvulis recens baptizatis, hoc est nullum peccatum, *conc.* Nullae peccati *poenalitates*, quas Deus noluit abstergere per baptismum, *neg.* Dixi *transeat major quoad* 1m. *partem*; non enim asserimus, revera esse energumenos omnes, qui dicuntur. Sed etiamsi demus, tales esse ejusmodi pueros; sicut Deus relinquit in illis post baptismum morbos, mortem, aliasque aerumnas ob sapientissimas rationes, quas suo loco, quantum nostrae mentis imbecillitas sinit, exponemus; ita etiam permittere potest ut agitentur a daemone. Uno verbo: concedunt adversarii, parvulos esse quosdam post baptismum extraordinaria afflictos vi morbi: neque id repugnare bonitati, et justitiae Dei. Cur ergo repugnat, si cadem illa calamitas non a morbo, sed a daemone inferatur?

*Objic.* III. Videmus, frequentiores esse energumenos iis in locis, in quibus major est superstitio, et ubi haec opinio de potestate diaboli invadendi hominum corpora altius animis hominum insedit; illos vero homines huic malo esse obnoxios, qui vel tetro humore abundant: vel phantasiae sunt vividioris. Ergo ex ipso phantasiae errantis ludibrio res ortum habet.

℟. *Transeat ant.*, *neg. cons.* Non enim negamus, plerumque hic locum habere aut tetrum humorem, aut vitiatam phantasiam, aut etiam malitiam, et fraudem. Ideoque Ecclesia antequam exorcismos adhibeat, mature expendi vult, utrum revera energumenus sit, qui dicitur. Sed asserere, semper id a phantasia oriri, id et Scripturae sacrae adversum, et valde temerarium est.

*Objic.* IV. Non sunt multiplicanda sine necessitate prodigia: et ridendus esset, qui statim ad supernaturales causas confugeret ad explicandos effectus, quorum naturales rationes ignorat. Ergo si energumenorum effecta

fecta per naturales causas, et morbos explicari possunt non est obtrudendum daemonis imperium.

℟. *Conc. totum argumentum.* Cum enim suppetit aliqua ratio explicandi per naturales causas energumenorum opera, eos energumenos non dicimus, nisi forte ex divina revelatione contrarium constaret. Sed quaedam sunt energumenorum effecta, quae naturalibus causis tribui non possunt, ut cum aliquis sanae mentis subito e statu suo dimovetur, eaque agit, quae longe aliena sunt ab insita sibi indole, imo naturae suae vires superant; in altum sustollitur, arcana sibi ignota reserat, lingua peregrina, quam numquam audivit, aut didicit, recte loquitur, et alterum ea lingua loquentem recte intelligit. Quaedam vero sunt, quae naturali ex causa oriri potuissent; sed Scriptura, cujus divina auctoritas est, docet, facta a daemone; ut cum in Evengelio legimus, quosdam a Christo liberatos a daemone, qui eos reddiderat surdos, mutos, inclinatos, furiosos etc. Haec quidem incommoda ex naturali morbo potuissent accidere; sed Evangelium nos edocet, illis hominibus non a morbo, sed a daemone fuisse illata, quo expulso, restituta est sanitas.

*Inst.* Scriptura saepe se accommódat receptis apud vulgus opinionibus, quas non corrigit, sed juxta eas loquitur; cum non sit facta revelatio, ut nos in philosophia instrueret, ut observat Augustinus *Lib. I. de actis cum Felice Manich. cap.* 10.; sed institueret ad pietatem. Atqui recepta erat apud vulgus Judaeorum, utpote rerum naturalium ignarum, haec opinio, morbos fere omnes a daemone inferri, ut videre est etiam in libris Rabbinorum; nec ipsi Graeci philosophi ab hac opinione fuerunt alieni, cum physica disciplina non dum esset satis exculta, atque illustrata; unde *Plato* attribuit daemoni eum morbum, quem Galenus *Part. II. Op. Tract.* 9. repetit ab influxu Lunae. Ergo potuit Evangelium appellare daemoniacos, qui tales a vulgo habebantur; nec Christus eum errorem, utpote innoxium, corrigere voluit, sed rudi populo se accomodans, videbatur expellere daemonem, cum revera morbum divina virtute curaret.

℟. *Dist. maj.* Quando propositio aliquem verum sensum

sum

sum habere potest, *conc.* Quando nihil nisi falsum significat, *subdist.* Quando Scriptura verba hominum *historice* narrat, *conc.* Quando Spiritus S. de suo loquitur, *neg.* Non potest summa veritas nisi vera loqui. Refert quidem aliquando Scriptura aliquas hominum sententias, licet falsas: quia verum est, homines eas protulisse. Accommodat etiam se aliquando hominum captui, quando propositio aliquem verum sensum pati potest; ut cum Lunam appellat luminare magnum, quia revera sic apparet oculis. At de energumenis non semel, nec obiter Evangelium loquitur, et Christus inde suam missionem divinam esse probat. Si ergo nulli essent energumeni, Christus non modo vulgi errorem non correxisset, sed eum verbo, et operibus confirmasset, auxisset, multaque fecisset ad decipiendos homines: quod absurdum est.

*Objic.* V. In Libro Tobiae legimus *cap. VI.* 19. *et* VIII. 2. fugatum daemonem *Asmodaeum* fumo ex jecore piscis; et in Regum historia *I. Reg. XVI.* 23. Davidem sono citharae spiritum malum a *Saule* expellere solitum. Refert Josephus *Lib. LIII. Antiq. cap.* 2. Salomonem carmina condidisse ad expellendos daemones. *In Actibus Apost. XIX.* 14. legimus. *Filios Scevae*, qui Christiani non erant, energumenos exorcismis adjurasse. Imo ipse Christus concedit, fuisse inter Judaeos exorcistas: *Luc. XI.* 19. *Si ego in Beelzebub ejicio daemonia, filii vestri in quo ejiciunt?* Atqui si energumeni revera a nefario spiritu agitarentur, frustra fumus, et carmina, et adjurationes ab hominibus institutae adhiberentur. Ergo.

℞. *Dist. maj.* Et inter illos nonnulli erant vere energumeni, in quibus frustra excantationes adhibebantur: alii falso habebantur ut tales, in quibus aliquando humana remedia vim habebant, *conc.* Omnes erant veri; vel falsi energumeni, *neg. Dist. et min.* Si Deus aliquando non permitteret justo judicio, ut superstitiosi quidam ritus effectum habeant, *conc.* Secus, *neg.* Non contendimus, esse revera energumenos, qui vulgo tales existimantur. Itaque in iis, qui morbo potius laborabant, quam agitabantur a daemone, humana remedia valere poterant vel ad morbum depellendum, vel ad corrigendos vitiatae phantasiae errores. Sed et in iis, qui vere a diabolo agitabantur, aliquando magicae ex-

cantationes valebant; non quia aliqua iis inesset virtus, sed quia ipse diabolus ad conciliandam magiae fidem, adhibitis superstitiosis ritibus, sponte abscedebat ab homine, Deo id permittente in poenam superstitiosorum hominum; videntes enim magicae artis effectus, magis excaecabantur. Aliquando vero carmina illa, et superstitiosi ritus frustra adhibebantur, ut accidit filiis *Scevae.*

Atque haec generatim dicta sunt. Quod vero pertinet 1.° ad fumum ex jecore piscis; dicimus, illum supernaturali virtute fuisse operatum, unde ait Tobias, non ipsum fumum, sed *Angelum apprehendisse daemonium, et religasse Tob. VIII.* 3. 2.° Saulem nonnulli volunt gravi melancholia laborasse, quae eum in furorem agebat; facileque explicant, quomodo numerosis citharae modis recrearetur. Musicos enim varios concentus ad sedandos, vel inflammandos motus animi, atque affectus plurimum valere, *Plutarchus*, *Seneca*, et e Patribus *Basilius*, aliique docent, et probat experientia. Qui vero putant, *Saulem* a nefario spiritu exagitatum, respondent, illum ad sonitum citharae recreatum; non quia sonus daemonem expellebat; sed vel quia David citharam pulsans, preces etiam fundebat ad Dominum; vel quia mutata per citharae sonitum prava dispositione corporis in Saule, cessabat eum diabolus agitare. 3.° Quod ait Christus: *Filii vestri in quo ejiciunt?* Patres, ut Chrysostomus *Hom. XLII. in Mat.*, Auctor *Op. Imperf. Homil. XXIX.*, *Hilarius*, *Hieronymus*, et alii intelligunt de ipsis Apostolis, qui in nomine, et virtute Christi daemonia ejiciebant: unde subdit Christus: *ideo ipsi judices vestri erunt.* 4.° De filiis *Scevae*, et carminibus superstitiosis, jam satis dictum in generali responsione. Vide ista fusius apud interpretes, praecipue Calmet *Dissert. de Daemonibus, an corpora possideant: Dissert. in daemonem Asmodaeum; et in Comment.* Ex professo etiam *Bekerum* refutarunt *Leidekerus*, *Markius*, *Poiretus* etc.

*Inst.* Energumeni aliquando non curantur per Ecclesiae exorcismos: imo illos palam irrident. Atqui si illi a daemone agerentur, Deus id non permitteret in contemtum Religionis. Ergo.

℟. *Transeat. major. Dist. min.* Non permitteret, nisi ali-

aliquod inde bonum vellet eruere, *conc.* Non permitteret ullo modo, *neg.* Sicut permisit Christus, ut Apostoli lunaticum energumenum curare non possent, ut inde occasionem haberet eos admonendi, *hoc genus daemoniorum non ejici, nisi in oratione, et jejunio*; ita nunc permittit aliquando, nefarium spiritum non obedire exorcismis, ut inde admoneantur exorcistae, ne mente impura, et fide parum firma ad exorcizandum accedant. Caeterum etsi ponamus, ejusmodi homines non agitari a daemone, eadem quaestionis est ratio, cur Deus illos permittat irridere exorcismos in Religionis dedecus.

Potest vero argumentum in adversarios retorqueri. Si energumeni illi numquam agitarentur a daemone, sed a morbo, numquam per exorcismos curarentur: quae enim vis in exorcismis est ad morbum sanandum? Atqui saepissime sanati sunt: imo in veteri Ecclesia, cum frequentiora essent miracula, semper sanabantur. Ergo etc. Dixi *transeat maj.* quia certum non est, ejusmodi homines esse vere energumenos (*a*).

## PARS III.

### *De Mundi corporei Creatione, sive de sex dierum Opificio.*

Satis in prima Parte hujus Libri contra veteres Philosophos, et Manichaeos ostendimus, neque corporeum hunc mundum, neque materiam, unde constat, esse aeternam; aut ab Angelis, aut a malo aliquo principio procreatam. Varias autem tum veterum Poetarum et Philosophorum, tum recentiorum opiniones de modo, quo pulcherrima haec mundi moles secundum naturae leges in hanc, quam videmus, formam digesta fuerit, expendere, instituti nostri ratio non patitur. Illud Theologo ratum, fixumque esse oportet, quod monet Au-

(a) Poterit haec altera Libri pars, in qua de Angelis disputatum est, si ita Praeceptori aut brevitatis studium, aut temporis angustia suaserit, vel in tempus reservare commodius, vel exceptis iis, quae ad fidem pertinent, in reliquis omitti.

Augustinus *Lib. I. de Gen. ad lit. cap.* 21., quidquid ab hominibus excogitatum narrationi Mosaicae divinitus inspiratae adversatur, id ut commentitium, et falsum esse rejiciendum. Quapropter de sensu tantum, quo divina haec historia accipienda, atque explicanda sit, et explicata a Patribus, et Theologis, disputandum nobis esset. Qua quidem in re plurimae sunt quaestiones longe illae quidem jucundissimae, quas cum ista scriberem, explicavi; nunc autem studio brevitatis putavi resecandas. Unum igitur hic tantummodo expendemus.

## CAP. UNICUM.

*Utrum Deus cuncta creaverit in momento, sive, ut ajunt, in instanti, an continuis sex diebus.*

*Adv.* I. PHilo Judaeus Platonicae Philosophiae sectator *Lib. I. Allegoriar. Legis*, *et Lib. de Mundi Opificio* omnia uno *instanti* a Deo creata esse docuit. Quod enim ait Moyses initio *Lib. Genes.* Deum cuncta singillatim, sex diebus creasse (et repetit tum alibi saepe, tum *Exod. XX.* 11. *Sex diebus fecit Deus caelum, et terram, et mare, et omnia, quae in eis sunt, et requievit in die septimo*) per allegoriam intelligendum esse putavit. *Rusticanae enim*, inquit, *simplicitatis, est, putare sex diebus mundum esse conditum.* In eandem sententiam concessit Origenes *Lib. VI. cont. Celsum.*

II. *Augustinus* hanc quaestionem subtilissime versans in Libris *de Gen. ad lit. Lib. I. cap.* 15., *Lib. IV. cap.* 8., et *in Lib. XI. de Civ. cap.* 9. *etc.*, opinatus est, narrationem Mosaicam non per allegoriam, sed ad litteram significare, omnia in momento a Deo effecta esse. Etenim per *lucem*, quam Moyses ait primo die creatam, putat *Augustinus*, non intelligi ad litteram lucem hanc visibilem, et corpoream; sed invisibilem, ipsas scilicet Angelicas mentes, quae cum creaturas singillatim duplici modo cognoverint, in seipsis scilicet, et in Deo, factum est in eis *vespere*, *et mane*; cognitio scilicet obscurior, seu *vespertina* qua creaturas in seipsis contemplati sunt, et *matutina*, qua in laudem

Dei assurgentes, clarius ipsas creaturas viderunt in Verbo. Cum ergo sex distinctis actibus varia creaturarum genera per vespertinam, et matutinam cognitionem inspexerint, factum est sexies vespere, et mane. Caeterum caelum quidem, terram, lucem, firmamentum, aridam, maria, et luminaria caeli uno, et indivisibili creationis actu condita esse docet: plantas vero, et animalia eodem illo actu creata esse in potentia propter vim scilicet genitalem rebus a Deo inditam; licet non eodem illo actu, sed postea nata sint. Non videtur tamen constans in ea sententia fuisse. Nam *Lib. II. Retract. cap.* 24. de libris *de Gen. ad lit.* ait, *plura ibi quaesita*, *quam inventa:* et alibi *Lib. de Catechizand. Rudibus cap.* 27. ait, sex diebus fecisse Deum caelum, et terram, et requievisse die septimo; etsi *poterat Omnipotens et uno momento temporis omnia facere*. S. Thomas *Opusc. XV. et VII.* in sententiam *Augustini* videtur inclinasse: at in summa *I. P. Q. LXXIV. art.* 2. rem in dubio relinquit. *Cajetanus* tamen *in Exposit. Gen. I.* aperte eam tuetur opinionem. Nec defuerunt alii ejusdem adstipulatores, quos in *Vindiciis August.* recenset *Norisius*; ita ut male *Cornelius a Lapide*, et in *Augustinum* iniquior *Molina*, aliique eam ut *erroneam*, et Scripturae contrariam notaverint.

## PROPOSITIO

*Augustini sententia de rerum Creatione uno simul momento, nulla potest censura notari; probabilius tamen videtur, revera sex distinctis diebus cuncta Deum creasse.*

***Prob.*** 1a. *pars.* Illa sententia nulla potest notari censura, quam praeter magnum *Augustinum*, cujus maxima est in rebus Theologicis, et in explicatione Scripturarum auctoritas, quique rem ex professo, et diligenter tractavit, alii etiam tenuere Patres, summique Theologi; nec umquam Ecclesia proscripsit, aut notavit. Atqui talis est *Augustini* sententia de rerum creatione in uno simul momento. Eam enim tenuerunt ex veteribus, praeter *Origenem*, *Clemens Alexandrinus Lib. VI.*

*VI. Strom.*, Isidorus *Lib. I. de Summo Bono cap.* 8., Cassiodorus *Lib. I. Divin. Instit. cap.* 22. aliique; ex recentioribus vero Cardinalis Cajetanus *cap. I. in Gen.*, et Franciscus Macedo *Tom. II. Coll. Col. VI. diff.* 2., Cardinalis Norisius *Vindic. August.* §. 9. *cap.* 4. pluresque alii ex Augustinensi familia: imo Scholasticorum Principes illam saltem ut probabilem habuerunt, ut *Albertus Magnus* qui *I. P. Q. XII. art.* 6. ait: *videtur Augustino consentiendum*: *S. Thomas*, qui praeter loca superius laudata *in II. Dist. XII. Quaest. I. art.* 2. *opinio*, inquit, *Augustini plus mihi placet*; et in Summa *loc. cit. neutri sententiae praejudicari* voluit: Ægidius Romanus *Hexam. I. P. cap.* 26. Ecclesia vero nulla eam notavit censura. Ergo tantum Ecclesiae Doctorem hac de causa accusare, magnae arrogantiae, et temeritatis est.

*Prob.* 2a. *pars.* 1.° Sensus obvius, et naturalis horum verborum: *tenebrae erant super faciem abyssi*: *dixit Deus*: *fiat lux. Et facta est lux . . . divisit lucem a tenebris . . . factumque est vespere et mane dies unus . . dies secundus . . dies tertius*: non utique alius est, nisi Deum revera creasse lucem hanc visibilem, ex qua divisa a tenebris, quae antea telluri incumbebant, factus est dies integer. Atqui incredibile est, Moysen rudi populo scribentem, vel in ipso Libri exordio non esse locutum sensu obvio, atque nativo, qui statim legenti sese offert; sed studiose sequutum esse sensum abstrusissimum, qui nonnisi per subtilissimas mentis meditationes potest intelligi. Ergo.

2.° Deus Sabatum custodiendum, et sanctificandum ea ratione praecepit *Exod. XX.* 11. *Sex enim diebus fecit Dominus caelum et terram, et mare, et omnia, quae in eis sunt, et requievit in die septimo, idcirco benedixit Dominus diei Sabati, et sanctificavit eum.* Atqui haec ratio non multum valeret, si non sex distinctis creasset Deus omnia. Ergo.

3.° In ipsa Mosaica narratione quaedam facta referuntur, quam simul in eodem momento esse non potuerunt, sed successionem temporis necessario postulant; *ex. gr.* erant tenebrae, et facta est lux: erat terra undique aquis obducta, et divisae sunt aquae ab arida.

Non

Non enim potuerunt simul esse eodem momento tenebrae, et lux; aquae ambientes omnem terram, atque a terra divisae. Ergo.

*Prob.* II. *ex PP.*, qui consensione moraliter unanimi inhaerentes simplici, et naturali verborum sensui, sex dies creationis pro veris, et naturalibus diebus intelligunt, et explicant. Ita Basilius *Hom. II. in Hexameron*, Epiphanius *Epist. cont. error. Orig. ap. Hieron.*, Ambrosius *Lib. I. Hexam. cap. 7. et Lib. VI. cap. 2.*, Chrysostomus, Gregorius M. et alii (*a*).

*Prob.* III. ex servata etiam apud Gentiles traditione, quam Hugo Grotius *Lib. de Verit. Relig.* §. 14. non solum apud Graecos, et Italos; sed etiam apud Celtas, et Indos extitisse probat *ex Josepho Lib. II. cont. Appion.*, *Clemente Alexandrino*, *Luciano*, *Philostrato*, *Dione Cassio*, et *Justino*. Gentes enim illae tempus partiri consueverunt per hebdomadas, non secus ac Hebraei faciebant, ob memoriam dierum creationis. Ergo etc.

## *Solvuntur Objecta.*

*Objic.* I. *cont.* 2m. *part. Eccli. XVIII.* 1. *Qui vivit in aeternum, creavit omnia simul.* Ergo.

℟. *Dist. ant.* Creavit omnia simul, idest *pariter*, *universim*, *sine exceptione*, conc. *Simul*, idest eodem tempore, *subdist.* Eodem tempore per sex dies distincto, *conc.* Eodem indivisibili temporis momento, et iterum *subdist.* Creavit eodem *instanti* ea, quae per veram creationem ex nihilo produxit, *conc.* Quae ex materia jam extante formavit, *neg.* Sensus ergo est, Deum omnia omnino creasse, nihilque esse quod non sit a Deo factum. Quod ex Graeco textu manifestum est, ubi habemus *εκτισε τα παντα κοινη creavit omnia communiter.* Et similis est etiam phrasis in *Psal. XIII.* Omnes

(a) Chrysost. *Hom. III. super Gen.*, Gregorius *M. Lib. XXXII. Moral. cap.* 10, Damascenus *Lib. II. de Fid.* etc.

*Omnes declinaverunt*, *simul inutiles facti sunt*. Sed si adverbium *simul* de tempore velis intelligere, recte dicuntur creata simul, quae uno tempore per sex dies, nulla interjecta mora, creata sunt. Tandem concedi potest, eodem *instanti* creata esse quae per productionem ex nihilo facta sunt, scilicet ipsa materia, ex qua omnia formata sunt, non quae sex diebus ex praejacenti materia fuerunt condita.

*Objic.* II. *Gen. II.* 4. *Istae sunt generationes caeli et terrae*, *quando creata sunt*, *in die quo fecit Dominus Deus caelum et terram*; *et omne virgultum agri*: ubi vides, plantas creatas esse saltem *potentialiter* eodem die, quo creavit Deus caelum, et terram, licet *cap. I.* creatae dicantur die tertio. Ergo idem de omnibus aliis dicendum est, quae aliis diebus creata referuntur *cap.* 1.

℟. *Dist. ant.* Et hic *in die* idem est, ac *in tempore*: quod frequentissime in Scripturis occurrit, *con.* Idem est, ac eodem momento, *neg.*

*Objic.* III. Athanasius *Orat. III. cont. Arianos* inde probat, Verbum non esse creaturam, quod si creatura esset, eodem *instanti* cum reliquis creatum esset; non autem diceretur *Prov. VIII. genitum ante omnem creaturam. Namque*, inquit, *dicendo ante omnia genuit me*, *se alium ab omnibus esse declarat*, *cum ex supradictis constet*, *nullam e rebus creatis prius altera factam esse*; *sed res omnes*, *factas uno eodemque mandato*, *simul extitisse*. Ergo non solum ipse *Athanasius* in ea fuit opinione, ut fatetur Petavius *Lib. I. de Op. sex dier. cap.* 5.; sed etiam communis tunc erat a Catholicis pariter, atque haereticis recepta sententia; alioquin risu excepissent Ariani hanc *Athanasii* argumentationem.

℟. *Neg. cons.* Non enim ait *Athanasius*, omnia omnino uno eodemque mandato facta esse; sed omnia in unoquoque genere αλλ'αϑροως αμα παντα τα γενηϑεντι, και τω αυτω πρ.σταγματι υπεστη, *sed simul omnia genera rerum uno eodemque mandato extitisse*: sicut in eadem Oratione fusius ipse superius explicaverat, quem locum indicant illa verba: *cum ex supradictis constet*. Atque ideo recte *Petrus Nannius* in editione Basileensi Opp. S. Athanasii, licet in aliis fortasse non adeo accurata, ita Latine vertit Athanasii locum: *Cum superius proba-*

*batum sit*, *nihil ex rebus creatis ante alia sui generis conditum fuisse.* Sensus ergo est, omnia, quae unius, ejusdemque sunt generis, uno eodemque imperio a Deo facta sunt: ex. gr. omnia simul astra, omnia simul animalia, etc. Atqui Verbum genitum est ante omnes creaturas. Ergo alterius est generis, ac proinde creatura non est. Quod autem S. Doctor diversa creaturarum genera distinctis diebus facta crediderit, manifestum est ex hac ipsa Oratione III. Ait enim: *Jam quod dicitur: In principio Deus fecit*, *idem esse ac si diceret: incepit facere*; *idem Moyses declarat*, *cum post omnia opera perfecta subjungit*: *et benedixit Dominus septimae diei*, *eo quod in illa ab omnibus operibus requievisset Deus*, *quae facere inceperat.* Miror, haec non vidisse *Petavium*; a quo deceptus *Laurentius Berti* plus aequo urget laudatum *Athanasii* locum, neque *Norisii* imitatus est prudentiam, qui ab eo recitando sapienter abstinuit.

*Objic.* IV. Creatio rerum non potest esse, nisi in *instanti*. Ergo.

℟. *Dist. ant.* Creatio ex nihilo, qualis fuit ea, quae Deus primo die caelum, terramque produxit, et materiam, ex qua omnia postmodum formata sunt, *conc.* Creatio ex jam extante materia, qualis fuit creatio rerum, quae singulis sex diebus conditae sunt, *neg.*

*Inst.* Divinam majestatem, et potentiam dedecet, etiam in rebus ex materia jam existente formandis, tempus aliquod vel brevissimum insumere. Ergo.

℟. *Dist. ant.* Si non essent rationes, quibus infinita ejus sapientia sic melius, et decentius esse vidit, *conc.* Secus, *neg.* Voluit enim edocere nos Deus ordinem, quem in operando imitaremur, incipiendo scilicet a luce, sive rerum cognitione; id inde paullatim ab imperfectis ad perfectiora procedendo, donec ingrederemur in illam requiem, in qua toti in Dei contemplatione, et laude maneremus. Alias etiam rationes reperies apud Patres (a). Sed etsi nullam nos rationem ejus rei vide-

(a) V. Ambros. *Lib. I. Hexamer cap.* 7., Augustin. *Lib. de Catechizand. rud. cap.* 17., et *Lib. cont. advers. Leg. et Proph. cap.* 8.

deremus; tamen id sapientissime a Deo factum, certissime tenendum esset.

## PARS IV.

### *De homine.*

POstrema haec pars, omnium nobilissima, Theologo maxime necessaria est. Magni enim refert nosse primam hominis conditionem, et statum, in quo a Creatore conditus est; atque eum, in quem culpa sua cecidit. Quocirca nobis in eam incumbendum est paulo accuratius.

## CAP. I.

### *De hominis natura, ejusque creatione quoad corpus, et animam.*

*Adv.* I. HOminem praeter corpus habere etiam animum spiritalem, atque immortalem, jam ponimus ut certum, et in Metaphysicis demonstratum adversus atheos, et Epicurcos. Quod et Moyses aperte indicat, cum ait: *Formavit Deus hominem de limo terrae, et inspiravit in faciem ejus spiraculum vitae, et factus est homo in animam viventem*: hoc est ex corpore de limo compacto, et anima ex nihilo a Deo creata, et infusa factus est homo. *Quo testimonio*, inquit Augustinus *Lib. X. de Gen. ad lit. cap.* 19. *sane satis admonemur, ex nihilo Deum fecisse animam, quam primo homini dedit, non ex aliqua jam facta creatura, sicut corpus ex terra.* Compositus est ergo homo ex duplici principio, corporeo scilicet, et spiritali, *tamquam vinculum visibilis, et invisibilis naturae*, ut ait Damascenus *Lib. II. de Fide cap.* 12.

II. Hic tantum addendum est, immortalitatem animorum fidei dogma esse, cum aperte Scriptura dicat, supplicium impiorum, et praemia bonorum sempiterna fore, ut *Matth. XXV.* 46. *Ibunt hi in supplicium aeternum; justi autem in vitam aeternam*: et alibi saepe: ita ut contraria doctrina sine dubio haeretica sit. At

non

non certo constat inter Theologos, utrum haereseos notari debeat, qui diceret animam corpoream; cum nonnulli Patres id innoxie dixisse videantur, ut *Tertullianus*, *Cassianus*, *Gennadius*, et quod magis mirum est, *Joannes Thessalonicensis* in Concilio VII. Oecumenico, ne verbo quidem a Patribus ejus Concilii reprehensus. Probabile quidem est, Patres illos nomine corporis intellexisse quamcumque substantiam a Deo creatam, ut de Angelis diximus. Caeterum *Estius in II. Dist. XVII.* §. 6. eam doctrinam *magnae* dumtaxat *temeritatis*, *et inscitiae* notat. Addi potest, eam esse *erroneam*, *scandalosam*, *haeresi proximam*, et *ad Epicureismum ducentem*. Estii quidem Adnotator, aliiq. eam non dubitant erroneam, et haereticam appellare. Definitio tamen Ecclesiae aperta *Estio* visa non est. Quod enim affertur ex Concilio Lateranensi IV. non continere docet definitionem fidei.

III. Corpus ergo hominis formavit Deus *ex limo terrae*, in quo et sapientiam ostendit suam, qui tantum opus effecit ex materia tam vili; et hominem docuit, ne qua eum superbia tentaret: *Quid superbit terra, et cinis? Eccli. X.* 9. Verum constitutio humani corporis longe corpora brutorum antecellit, non solum meliori humorum temperamento; verum etiam aptiori membrorum dispositione ad quaecumque opera efficienda, figura decora, vultu in caelum erecto; ita ut etiam exterius majestatem quandam, et imperium ostendat. Fuit porro corpus hoc perfectum, quale est hominis in aetate virili; Dei enim opera fuerunt ab initio perfecta: statura vero procerior, quam nostra, ut ostendit *Mazochius* de omnibus priscis hominibus, praesertim ante diluvium *Spicil. Tom. I. Dist.* 3. *p.* 2., non tamen Gigantea, ut Rabbini somniarunt.

IV. De animae vero creatione ait Moyses: *inspiravit in faciem ejus* (Heb. in nares ejus) *spiraculum vitae*, *et factus est homo in animam viventem*: hoc est, ut ait Augustinus *Lib. XIII. de Civit. cap.* 24.; *et Lib. VII. de Gen. ad lit. c.* 2. *et* 3. non de sua substantia particulam aliquam in eum immisit ut Gnostici, et Manichaei docuerunt; in quem errorem declinare videtur *Lactantius*: sed cum anima respirationem ei dedit, quae ipsius animae et vitae certum indicium est. Si enim anima ex Dei substantia

esset, vel ipsa anima Deus esset, vel Deus mutabilis esset; ideoque Deus non esset. Factus est autem homo *in animam viventem*, seu animal vivens; hoc est cibo, somno, aliisque adjumentis indigens, quibus cetera animalia; unde Apostolus *I. Cor. XV.* 45. *Factus est*, inquit, *primus homo Adam in animam viventem*, *novissimus Adam*, seu Christus, *in spiritum vivificantem*; vitam scilicet habens, ac tribuens ex Spiritu Sancto spiritalem.

V. Animam non fuisse ante corpus creatam, sed creando infusam, contra *Origenistas* ostendemus inferius. Utrum autem corpus primo sit formatum inanimum, cui deinde anima infusa sit, contrariae sunt sententiae Patrum, nec liquido constat ex Mosaica narratione. Nyssenus *Lib. II. de homine cap.* 29. 30., Damascenus *Lib. II. de fide cap.* 12., S. Thomas *I. P. Q. XCI. art.* 4. *ad* 3. utrumque simul factum arbitrantur: Chrysostomus vero *Hom. XII. et XIII.*, et Auctor apocryphus *Lib. IV. Esdrae cap.*3. prius formatum inanimum corpus. Utraque tamen sententia conciliari potest, si dicamus, materiam et quasdam ejus dispositiones praeivisse animae creationem; sed simul ac corpus ultimam dispositionem adeptum est, animam ei esse infusam.

VI. Denique *Hevam* ex dormientis *Adae* costa fuisse formatam tradit Moyses, quod quidem figura erat Ecclesiae e latere Christi nasciturae, ut docent Patres ex Apostolo *Ephes. V.* Sed non propterea neganda est historiae veritas, ut facit *Cajetanus* per allegoriam explicans mulieris formationem. Vide *Nat. Alex. Tom. I. Dissert. III.*, et *Petavium Lib.II. de Opif. cap.* 8.

## CAP. II.

### *De origine animarum.*

*Adv.* I. CUm homo ex corpore, et anima sit compositus, non est quaestio, quomodo ex Adam omne genus humanum propagandum esset quoad corpus, de quo *Augustinus* contra Manichaeos disputat; sed valde torsit veterum ingenia illa quaestio, undenam in singu-

gulis animae oriantur? Pythagorici μετεμψυχωσιν seu transmigrationem animorum de corpore in corpus commenti sunt. Origenes *Lib. I. Periarch. c.* 7., et Priscillianus ex Platonica disciplina docuerunt, Deum principio solas creasse spiritales substantias, sed cum illae peccassent, ideo in earum supplicium creasse corporeum hunc mundum, et in eo corpus humanum, in quod veluti in carcerem animam detrusit; atque ita in singula corpora ex primo illo homine progenita singulas animas detrudere, ut praeteritorum peccatorum poenas luant, diversas pro vario ante actae vitae merito.

II. Hac sententia inter errores *Origenis* rejecta, duo tantum restant, quae dici possunt, ut aut singulae animae ex nihilo creentur a Deo in singulis Adae posteris; aut traducantur a parentibus. Utrum ex his duobus verum sit, dubitavere veteres Patres, praesertim *Augustinus*, qui usque ad mortem in ea dubitatione permansit, ut patet ex ejus Libris duobus *de Anima, et ejus origine*, aliisque (a) locis. Item Gregorius M. *Lib. VII. Ep.* 53. Eucherius *in illud Gen. II. Inspiravit in faciem etc.* Cassiodorus *Lib. de anima cap.* 14. Rabanus Maurus *Lib. II. de Instit. Clericor. cap.* 57. Quaestionis autem status non erat utrum animae traducantur ex corpore, aut ex particula aliqua animae parentum: quod utrumque absurdum esset; sed utrum aliquo spirituali modo nobis ignoto ex anima parentum, sine ulla partitione, aut imminutione, animae aliorum orirentur. Major tamen SS. Patrum pars, et concors hodie sententia Theologorum tenet, animas in singulis hominibus a Deo creari ex nihilo, ut infra dicemus.

PRO-

(a) *Lib. II. de Peccat. merit. cap.* 26. *et Lib. III. cap.* 10. *Lib. V. cont. Julian. cap.* 9. *Lib. ad Orosium cont. Priscillian. Ep.* 165. *al.* 28. *ad Hieron. Lib. I. Retract. cap. I. et Lib. II. cap.* 45 *et* 56. *Lib. X. de Gen. ad lit. per totum.*

## PROPOSITIO I.

*Asserere, animas omnes creatas ante corpora, in ea detrudi velut in carceres, haereticum est.*

*Prob.* 1a. *pars.* Apostolus *Rom. IX.* 11. de Jacob et Esau ait: *Cum nondum nati fuissent, aut aliquid boni egissent, aut mali.* 2.° Idem *Rom. V.* 12. ait, per unum hominem intrasse peccatum in mundum, in quo omnes peccaverunt; homines autem ante primum hoc peccatum fuisse innocentes, et sanctos, Scriptura nos edocet: quod verum non esset si unaquaeque anima ante corpus peccasset 3.° Unusquisque ante Tribunal Christi sisti debet, ut referat vel praemia, vel poenas pro iis, quae gessit in corpore *II. Cor. V.* 10.; ex quo patet, nihil ante corpus gessisse. 4.° Denique si omnes animae ante corpus extiterint, ac peccaverint, idem de anima Christi dicendum esset: quod absurdum est, atque impium. Ergo etc.

*Prob.* 2a. *pars.* 1.° Apostolus *II. Cor. V.* 4. corpus vocat non carcerem, sed tabernaculum, et indumentum, quo anima spoliari nollet: *Nam qui sumus in hoc tabernaculo, ingemiscimus gravati, eo quod nolumus expoliari, sed supervestiri; ut absorbeatur quod mortale est a vita.* 2.° *Apoc. VI.* 1.° Animae Sanctorum resurrectionem corporum exoptant, et votis accelerant: *Usquequo Domine non judicas? Ergo.*

*Prob.* II. *utraq. pars* ex unanimi SS. Patrum consensu, qui contrarium Origenis errorem damnarunt: Hieronymi *Epist. ad Pammach. cont. errores Joan. Hierosol. et alibi* (*a*), Chrisostomi *Hom. V. in Genes.* Leonis M. *Epist. XI. et XCIII.* qui hoc dogma ait ad Catholicam fidem pertinere: *Catholica*, inquit, *fides constanter praedicat, atque veraciter, quod animae hominum, priusquam suis inspirarentur corporibus, non fuere*: Concilii Bracarensis *Can. VI.*, item Viennensis *cap.*

(a) *Ep. XXVII. ab Augustin. Epist. ad Demetr.*

*cap. un. de summa Trin.*, et Lateranensis *Sess. VIII.* in quibus definitum est, animam esse *natura sua formam corporis*, et aliorum (*a*).

*Objectiones.*

*Objic.* I. Scriptura, et Patres docent; corpus esse animae carcerem, et sarcinam, quae naturales ejus facultates aggravat, atque hebetat. *Sap. IX.* 15. *Corpus, quod corrumpitur, aggravat animam, et terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem.* Psal. CXLI. *Educ de custodia animam meam.* Unde Lactantius *Lib. II. Instit. div. cap.* 8. ait, hominem teneri corpore quasi carcere septum, ne libero, ac soluto sensu veritatem cernat; eo quod, ut ait *Lib. VII. cap.* 5. anima, et corpus inter se contraria sunt: quae etiam est *Prudentii* sententia. Ergo.

℟. *Dist. ant.* Corpus ex originali peccato vitiatum, mentique rebelle, est carcer animae, eique contrarium, *conc.* Corpus, quale formatum est a Deo in homine primo, et quale etiam fuisset in posteris, si ille non peccasset, *neg.*

*Objic.* II. *Sap. VIII.* 20. Anima in hominis nativitate venit ad corpus: *veni ad corpus incoinquinatum*: et *Eccl. XII.* 7. moriente homine *pulvis revertitur in terram suam, unde erat, et spiritus redit ad Deum, qui dedit illum.* Ergo erat ante corpus.

℟. *Neg. cons.* Venire enim dicitur in Scripturis, quod alicubi esse incipit, licet antea non esset, ut in *Psal. LIV. timor et tremor venerunt super me.* Redire vero ad Deum dicuntur animae, quia non ex materia eductae, sed ab ipso Deo ex nihilo creatae sunt.

*Objic.* III. Augustinus *Lib. I. De libero arbitr. cap.* 12.

(a) Cyrill. *in illud Joann. erat lux vera*: Damascenus *Lib. II. de Fid. cap.* 12., Bernardus *Serm. II. de Nat. Dom.*, S. Thomas *in II. Dist. XVII. Q.* 2. *art.* 2. *et Dist. III. Q. I. art.* 4. *ad* 1., Augustin. *Lib. XII. de Civ. cap.* 13. *Lib. XII. de Trin. cap.* 15. *Lib. I. Retract. cap.* 1. 4, 8.

12. *Utrum*, inquit, *ante consortium hujus corporis alia vita vixerit animus, et an aliquando sapienter vixerit, magna quaestio est.* Hanc quaestionem *Conc. VIII. in Ps. CXVIII.* appellat *profundissimam, de qua*, inquit, *nihil audeo definire.* Imo nonnullis in locis in sententiam *Origenis* inclinat *Lib. II. cont. Academ. cap.* 9., *Exposit. Psal. VII.*, *Lib. II. Soliloq. cap.* 20., *Lib. de quant. animae cap.* 20. Ergo.

℟. *Dist. ant.* Et hanc dubitationem tandem Augustinus abjecit, sententiamque catholicam docuit, *conc.* Secus, *neg.* Patet enim Augustini doctrina praecipue ex *Lib. I. Retract. cap.* 1. 48. (ubi corrigit quod dixerat *Lib. II. contr. Academic. In soliloquiis*, et *in Lib. de Quant. animae*), et ex aliis ejus testimoniis *Lib. XII. de civ. cap.* 13. etc.

*Objic.* IV. Hieronymus *in Epist. ad Ephes. cap.* 1. ait, animas hominum fecisse quaedam in altera vita, unde a Deo aut eligerentur ad vitam, aut rejicerentur; eoque spectare verba Apostoli: *elegit nos ante mundi constitutionem*: et, *qui ante speravimus in ipso.* Ruffinus vero (*in Epist. ad Anastasium Papam*) rem dubiam esse dicit. Ergo.

℟. *Neg. cons Ruffini* enim Origenistae auctoritatem nihil moramur. *Hieronymus* vero, ut ipse se explicat, solet in Commentariis aliorum referre sententias, quas nec probat, nec rejicit. Optandum quidem esset, ut quid ex suo, quid ex aliorum sensu loqueretur, ostendisset. Sed vel id neglexerit, vel signa ab eo posita incuria Librariorum perierint; non possumus id ei vitio vertere, cum instituti sui rationem explicaverit.

## PROPOSITIO II.

***Animas a parentibus modo corporeo traduci, certissimus est error. Catholicis autem hodie certum est, eas singillatim a Deo immediate ex nihilo creari.***

*Prob.* 1a. *pars.* 1°. Ex ipsa animae spiritali natura quam absurdum est per corpora produci, aut traduci 2.° Ex auctoritate *Augustini*, qui hunc errorem in *Tertul-*

*tulliano* reprehendit *Ep. CXC. al. CLVII. ad Optat. Nam et illi, qui animas ex una propagari asserunt, quam Deus primò homini dedit, atque ita ex parentibus, trahi dicunt, si Tertulliani opinionem sequuntur, profecto eas non spiritus, sed corpora esse contendunt, et corpulentis seminibus oriri. Quo perversius quid dici potest?* 3.° Ex S. Thoma, qui non dubitat hunc errorem haereticum appellare *I. P. Q. CXVIII. art.* 2. *ponere ergo animam intellectivam a generante causari, nihil est aliud, quam ponere eam non subsistentem, et per consequens corrumpi eam cum corpore. Et ideo haereticum est dicere, quod anima intellectiva traducatur cum semine.*

*Prob.* 2.a *pars.* 1.° *ex Script. Psal. XXXII. Qui finxit singillatim corda eorum*; patet enim nomine cordis animam in Scripturis designari. *Zach. XII.* 7. *Fingens spiritum hominis in eo. Eccl. XII.* 7. *Spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum*: et *Heb. XII.* 9. Deus dicitur *Pater spirituum.* Quae quidem Scripturae non certe rem definiunt. Respondebat enim Augustinus *Ep. CLXVI. al. XXVIII. ad Hieron. et alibi*, Deum fingere hominum animas, esse Patrem Spirituum etc. sed hinc non effici, illas singillatim creare ex nihilo quia etiam ex Scripturis Deus fingit oculos, aures, aliaque hominis membra, nec tamen sequitur, ea ex nihilo in singulis hominibus creare. Nec vim facit vox *singillatim*, quae habetur in *Psal. XXXII.* Hebraice enim est *pariter*, hoc est generatim, sine ulla exceptione. Sed saltem probabile suppeditant loca illa argumentum, praesertim locus *Ecclesiastae*, ubi spiritus in eo opponitur corpori, quod hoc revertatur in terram, unde sumptum est; ille vero redit ad Deum. Ergo.

*Prob.* II. *ex PP.* Excepto enim *Augustino*, et *Gregorio*, qui non asserunt contrarium, sed tantum dubitant, negari non potest, Patres, qui nostram sententiam non ut dubiam, sed ut certissimam tenent, majoris esse et numeri, et auctoritatis iis, qui contrarium asseruerunt. 1.° Hilarius *Lib. X. de Trin.* ait: *Anima hominis opus est Dei: carnis vero generatio semper ex carne est.* 2.° Ambrosius *Lib. de Noe, et Arca cap.* 4. *Ex nullo homine generantur animae.* Et *Lib. de Paradiso*

*dito cap.* 11. loquens de formatione Hevae: ***Non anima***, inquit, *ex anima, sed os ex ossibus, et caro de carne.* 3.° Chrysostomus *Hom. XXIII. in Matth. Anima nec generatur, nec ullum agnoscit patrem, praeter eum, cujus voluntate creata est.* Idem docent *Hieronymus, Theodoretus, Cyrillus*, aliique (*a*.) His accedit omnium Scholasticorum consensus, quem aperte sequitur, licet rem non definiat, Concilium Lateranense sub Leone X. *Sess. XIII.*, ubi definit, singulas animas *corporibus* singulis *infundi*: quod verbum creationem significat. Ergo.

*Prob.* III. *ratione.* Anima est substantia spiritalis, et simplex, propriam operationem habens; ac proinde, nascente homine, incipit esse substantia, quae prius non erat: et in hoc differt nativitas animae a nativitate corporum, quae, antequam nascerentur, erant in alia forma. Atqui substantia esse incipiens, quae prius non erat, non fit nisi per creationem, quae solius Dei opus est. Ergo etc. Alias rationes vide apud *Hugonem Victorinum*, et S. *Thomam*, qui pluribus in locis copiose hanc quaestionem versat (*b*). Unde concludit Estius *in II. Dist. XVII.* §. 15. quod licet Veteres nonnulli de hac re dubitaverint; *nunc tamen post tot gravissimas ea de re Theologorum Scholasticorum disputationes, re diligenter excussa, omnibusque in unam sententiam indubitanter euntibus, non poterit profecto maximae temeritatis notam effugere, si quis deinceps vel diversam opinionem elegerit. vel adhuc dubitandum putaverit.* Quod judicium sequitur etiam Nat. Alexander *Hist. Eccl. Saec.*



(*a*) Hieronymus *Ep. ad Pammach.*, Nyssenus *Lib. de Anima cap.* 6., Theodoretus *Lib. V. ad Graecos* Cyrillus *Lib. I. in Ioan. cap.* 9., Athanasius *Lib. I. cont. Gentil.*, Gennadius *de Eccl. dogm. cap.* 14 Prudentius *Carm. de natura animae*; Damascenus *Lib. II. de Fid. cap* 12, Bernardus *de Nat. Dom.*, Magister Sent. *II. Dist. XVII.* Hugo Victorin. *Lib. I. de Sacr. Part. VII. cap.* 30. *et Quaest. CV. in Epist ad Haebr.*, S. Thomas *I. P. Q. XC. art* 2.

(b) *I. P. Q. XC. art.* 2. *et Q. CXVIII. art.* 2. *in II. Dist. XVII Q.* 2. *art.* 2. *et* 2. *de Potentia Q.* 3. *art.* 9. *Quodlibet. XII. art. II, cont. Gent. Lib. II, cap.* 85. *et seq.*

*V. cap. 4. art.* 3. §. 10. Bellarminus, aliique; atque ideo quod ait Norisius *in Vindiciis Augustini cap. IV.* §. 3., cui subscribit Bertius; *Suspenderet igitur etiam nunc assensum Augustinus*: divinando dicit de tanto Doctore.

## *Solvuntur Objectiones.*

*Objic.* I. *Gen. II.* 3. *et Exod. XX.* 11. Deus die septimo *requievit ab omni opere, quod patrarat*; quia licet res omnes assidue conservet; ut ait Christus *Ioan. V.* 17. *Pater meus usque modo operatur*; tamen cessavit a creatione, dans ipsis animantibus potentiam gignendi sibi simile, sicut de Adam dicitur *Gen. V.* 3. *Genuit ad imaginem, et similitudinem suam*; quod praecipue intelligendum est de anima, per quam homo homini similis est; alioquin homo non hominem generet, sed corpus inanimum. Ergo non est agnoscenda nova animarum creatio.

℟. *Dist ant.* Requievit ab omni opere eo sensu, quod novas inde rerum species non creavit, *conc.* Quod non efficiat ultra aliquid ad conservationem rerum jam tum creatarum, *neg.* Creatio autem animarum pertinet ad conservationem humanae speciei, ut notat ipse Augustinus *Lib. X. de Gen. ad lit. cap.* 3. Nec inde sequitur, hominem non gignere sibi simile; quia cum Deus corpori jam disposito secundum legem ab ipso statutam necessario infundat rationalem animam, ipse homo est causa secunda conjunctionis animae, et corporis, per quam filius, qui terminus generationis est, similis est patri. Cum ergo ex homine non nascatur corpus inanimum, sed homo; recte dicitur Adam, aliique homines gignere ad imaginem, et similitudinem suam.

*Objic.* II. *Gen. XII.* 5. *Abraham, et Loth* dicuntur tulisse *animas, quas fecerunt in Haran*: et *Gen. XLVI.* 26. *sexaginta sex animae egressae de Jacob.* Ergo.

℟. *Neg. cons.* Anima enim ibi, sicut et saepe in Scripturis, per *Synecdochen* dicitur de homine.

*Objic.* III. *Augustinus, Gregorius*, aliique supra memorati maluerunt de hac re dubitare, quam quidquam definire. Non est autem discipulus supra Magistrum.

Er-

Ergo prudenter et nos de hac re debemus dubitare.

℟. *Dist. ant.* Dubitare maluerunt, re nondum satis excussa, nec unanimi Doctorum catholicorum consensione firmata, *conc.* Secus, *neg. Augustinus* licet semper de hac quaestione dubitaverit; tamen rem in dies magis, ac magis excutiens, in posterioribus suis libris valde in sententiam nostram inclinavit, ut patet ex *Lib. V. cont. Julian. cap.*3. Imo in *Epist. ad Hieron. Licet*, inquit, *nemo faciat optando, ut verum sit quod verum non est; tamen, si fieri posset, optarem, ut haec sententia* (de nova singularum animarum creatione) *vera esset.* Unicus ipsi restabat scrupulus, quem si abjecisset, sine dubio in eam sententiam pedibus ivisset; quomodo scilicet, posita creatione animarum, peccatum originale salva Dei bonitate, ac justitia traducatur in parvulos. Sed cum Zosimus Papa *in Epist. ad Orbis Episc.* damnaverit Pelagianos asserentes, peccatum originale non contrahi, nisi anima rraducatur ex Adam, quod et hodie universa damnat Ecclesia, et ipse Augustinus fatetur *Lib. V. cont. Julian. cap.* 3., fortasse hodie tantus Doctor a communi Catholicorum sententia non recederet. Sed si adhuc hodie dubitaret, ut credit *Norisius*; non esset aequum inhaerere potius dubitationi unius, aut alterius quamvis maximi Doctoris, quam communi omnium doctrinae tot rationibus firmatae.

*Objic.* IV. Posita animarum creatione, intelligi non potest, quomodo peccatum originale traducatur ex Adam, et quomodo constet justitia, et bonitas Dei, qui innocentes animas infundit corporibus, in quibus peccatum, et infinitam malorum seriem contrahant. Ergo.

℟. *Transeat ant.*, *neg. cons.* Quia non sunt neganda, aut in dubium revocanda fidei dogmata, eo quod nescimus *quomodo* eveniant. Dixi *transeat*; quia, ut infra ostendemus, potest id aliqua ratione explicari.

## C A P. III.

### *De dotibus primi hominis naturalibus quoad animum.*

*Adv.* DOtes naturales, quibus Deus primum hominem exornavit, vel pertinent ad animum, scilicet ad ejus intellectum, et voluntatem; vel ad corpus. De prioribus hic breviter disputandum est; de posterioribus enim jam diximus *cap. I.* quantum satis esse videbatur.

### P R O P O S I T I O I.

***Deus intellectui Adam infudit omnium rerum notitiam, quae ad vitam tum naturalem, tum moralem pertinebant.***

*Prob.* I. Deus hominem constituit 1.° totius ferme naturae principem: *ut praesit piscibus maris, volatilibus caeli et bestiis, universaeque terrae.* Ergo decebat, ut ei earum rerum notitiam infunderet, quibus eum praeesse voluit. 2.° ducem, et magistrum totius humani generis, ergo scire debuit, quae doceret: 3.° boni, malique moralis capacem; ergo naturae legem nosse debuit, qua inter bonum, malumque discerneret. Hinc dicitur *Eccli. XVII.* 5. *Disciplina intellectus replevit illos. Creavit illis scientiam spiritus, sensu implevit cor illorum, et mala et bona ostendit illis. Posuit oculum suum super corda illorum, ostendere illis magnalia operum suorum.*

*Prob.* II. Adam *Gen. II.* 19. cunctis animantibus propria nomina imposuit. Atqui hoc opus summae sapientiae est, ut ait Plato *in Cratylo*, et ante eum Pythagoras *ap. Cicer. Lib. I. Tuscul.* Ergo.

*Objic.* Adam credidit serpenti, se pomum vetitum comedendo futurum ut Deum, scientem bonum, et malum: *Eritis sicut Dii, scientes bonum, et malum. Gen. III.* 5. Atqui hic crassissimus error est, summam notans rerum inscitiam. Ergo.

℟. *Neg. maj.* Ait enim Apostolus *I. Tim. II.* 14. *Adam non est seductus, mulier autem seducta ... fuit:* non

non quia et ipsa non habuit saltem aliquod sufficiens rationis lumen, quo fraudes inimici posset detegere; sed quia jam sibi placendo peccaverat, et obscuratum erat prae superbia cor illius. Peccavit ergo Adam sciens, et prudens, ut placeret uxori; sicut et *Salomon* omnium sapientissimus, ut infra dicemus.

*Scholion.*

Ex verbis Apostoli *I. Tim.* II. 14. paulo ante recitatis sequi videtur, non tantam in *Heva* fuisse scientiam, quantam in *Adam*; nec profecto tanta illi necessaria erat.

## PROPOSITIO II.

*Voluntas hominis libero arbitrio praedita est. Est dogma fidei.*

*Prob. I. ex Scriptura. Eccl. XV.* 14. *Deus ab initio constituit hominem, et reliquit illum in manu consilii sui. Adjecit mandata, et praecepta sua. Si volueris mandata servare, conservabunt te . . . Apposuit tibi aquam et ignem: ad quod volueris porrige manum tuam. Ante hominem vita et mors, bonum et malum: quod placuerit ei, dabitur illi.* Nihil clarius.

*Prob.* II. *ex Patribus.* Augustinus *Enchir. cap.* 25. *Mortis*, inquit, *supplicium Dominus homini comminatus fuerat, si peccaret; sic eum munerans libero arbitrio, ut tamen regeret imperio, terreret exitio.* Item pluribus libris idipsum contra Manichaeos ostendit. Supervacaneum est aliorum Patrum sententias proferre. Caeterum quae suo loco *Lib. VII.* proferentur pro libero hominis arbitrio post peccatum, a fortiori probant, illud valuisse ante peccatum.

*Prob.* III *ratione.* 1.° Deus Adam praecepit, ne de ligno scientiae boni, et mali comederet; poenamque intulit pro violatione praecepti. Atqui is, qui libertate arbitrii caret, nec praecepti capax est; cum necessario agat; nec peccati, nec poenae. Ergo. 2.° Voluntas hominis ad finem ultimum, seu ad universale bonum neces-

cessario determinata est, sed in electione boni particularis, seu *mediorum ad finem*, sequitur rationis judicium. Atqui omnia bona particularia ratio non concipit ut bonum universale; sed ita judicat bona, et utilia ad finem ultimum, ut possit judicare vel mala, vel inutilia, vel non necessaria. Ergo voluntas non potest illa necessario appetere; ac proinde libera est.

*Dices.* Voluntas Adami, imo et cujuslibet hominis, non poterat appetere malum, quatenus malum est. Ergo cum ratio aliquid malum judicabat, non poterat voluntas illud appetere: et vicissim quando aliquid judicabat bonum, non poterat illud voluntas rejicere, ac proinde libera non erat.

℞. *Neg. cons.* Cum enim res aliqua judicatur ut particulare bonum, potest voluntas intellectum movere, ut aliquem in eo bono defectum consideret, propter quem vel majus bonum impediat, vel saltem in peculiaribus temporis, loci, et personae circumstantiis non bonum, sed malum videatur. Et idem contraria ratione dicas de eo, quod judicatur particulare malum. Licet enim voluntas non moveatur, nisi intellectu quodam modo facem praeferente; ipse tamen intellectus mirum in modum voluntati blanditur in eo, quod ei placere videt.

## PROPOSITIO III.

*Erant in voluntate primorum parentum aliquae passiones, illae scilicet, quae ordinantur ad bonum; non erant tamen in eo statu, in quo fuerunt, et sunt hodie post peccatum.*

*Prob.* 1a. *pars.* Si nullae in Adamo fuissent passiones, ne illae quidem, quae ad bonum diriguntur, *ex. gr.* amor et gaudium de bono praesenti; odium ac detestatio mali, desiderium et spes boni absentis: tunc non homo, sed truncus quodammodo fuisset, carens iis adjumentis, quibus ad bonum prosequendum, malumque fugiendum incitaretur. Ergo.

*Prob.* 2a. *pars.* Hujusmodi passiones, ut sunt in nobis, fueruntque in Adamo post peccatum, rationem praeveniunt, eique reluctantur; ideoque passiones dicun-

cuntur; quia scilicet eas patimur inviti. Atqui in Adamo ante peccatum hujusmodi inordinatio non erat, ut dicemus infra de justitia originali. Ergo etc.

Dixi *aliquas passiones* in primis parentibus fuisse. Illae enim, quae miseriam, et molestiam afferunt, in illo statu felicitatis non fuerunt; ut ex dicendis constat.

## C A P. IV.

### *De imagine, et similitudine Dei in homine.*

*Adv.* I. QUod ait Dominus *Gen. I.* 26. *Faciamus hominem ad imaginem, et similitudinem nostram*, Antropomorphitae corporeum fingentes Deum, ita intelligebant, ut in corpore hominis imago Dei esset. Hos refutavimus *Lib. III.*

II. Licet Patres unanimi consensu doceant, imaginem, et similitudinem Dei non esse in corpore hominis, sed in anima; non uno tamen modo id explicant. Nonnulli enim rationem imaginis ponunt in intellectu, ut Augustinus *Lib. VI. de Gen. ad lit. cap.* 12. *et alibi*: alii in libero arbitrio, ut Basilius *Hom. IX. Hexam.*, Ambrosius *Lib. VI. Hexam. cap.* 8. aliique (*a*): alii in dominatu super terrenas creaturas, ut Chrysostomus *Hom.* VIII. *et* IX. *in Genes.* alii denique in tribus hisce simul, ut Nyssenus *Lib. de Creation. hom. cap.* 17., Damascenus *Lib. II. de fid. cap.* 12.

III. Nonnulli etiam ex Patribus imaginem a similitudine volunt esse distinctam; ita ut imago quidem in donis naturalibus, similitudo vero in ornamentis gratiae sita sit. Ita sentiunt Irenaeus *Lib. III. cap.* 20., Basilius *Hom. X. Hexamer*: aliique (*b*).

PRO-

(a) Hieronymus *Epist. ad Damas.*, Bernardus *Serm. de annuntiat. Dom.*

(b) Origenes *Lib.* III. *Periarch. cap.* 6., Ambros. *Lib.* VI. *Hexamer. cap.* 7. *et* 8., Hieronymus *in cap.*XXVIII. *Ezech.*, Chrysostomus *Hom.* IX. *in Gen.*, Theodoretus *Quaest.*

## PROPOSITIO I.

*Imago Dei in anima hominis ponenda est, in triplici scilicet facultate, intellectu, libera voluntate, et dominatione in res creatas.*

*Prob.* 1a. *pars.* 1.° Ad hoc dicitur homo factus ad imaginem, et similitudinem Dei, *ut praesit piscibus maris, volatilibus caeli* etc. Atqui haec praestantia, ac praefectura non in corpore, sed in animo constat; tum quia dominari, ac praeesse animi est; tum quia falsum est, hominem corporis robore cunctis animantibus praestare. Ergo. 2.° Apostolus *Coloss. III.* 9. hortans fideles, ut imaginem Dei in se renovent, illam renovationem utique in anima constituit: *expoliantes vos veterem hominem cum actibus suis, et induentes novum, eum, qui renovatur ad agnitionem, secundum imaginem ejus, qui creavit illum.* 3.° *Spiritus est Deus. Joan. IV.* 24. quod nos *Lib. III.* demonstravimus. Ergo Dei imago non potest esse in corpore: idque confirmatur ex omnium Patrum, et Theologorum consensu.

*Prob.* 2a. *pars.* 1.° Deus est spiritus intelligens, libere volens, omnibus dominans. Ergo si in anima hominis sita est imago Dei, utique in intellectu, voluntate, et dominatu sita est. 2.° Deus creavit hominem ad imaginem suam, *ut praesit etc.* Atqui praestantia haec et dominatio necessario secum requirunt intellectum, et liberam voluntatem; et contra substantia spiritalis, et intelligens necessario habet etiam liberam voluntatem, et dominium aliquod (saltem suorum actuum). Ergo in his tribus homo ad imaginem Dei factus est. 3.° In hominis creatione ipsa SS. Trinitas operata est, et ad imaginem ipsius SS. Trinitatis conditus est homo, ut colligitur ex iis verbis: *faciamus hominem ad imaginem, et similitudinem nostram*: quibus verbis et naturae unitatem, et plures personas indicari, demonstravimus *Lib. IV.* Atqui non in solo intellectu, nec in sola voluntate, nec in potentia sola, sed in tribus hisce constat ratio imaginis SS. Trinitatis, ut *in Libris de Trinitate* fuse disserit Augustinus. Ergo.

Co-

*Corollaria.*

I. Ergo etiam Angeli ad imaginem Dei facti sunt: imo tanto perfectius, quanto in ipsis est praestantior intellectus, voluntas etc., ut observat Gregorius *Hom. XXXV. in Evang.* ideoq. *Ezech. XXVIII.* Angelus dicitur *signaculum similitudinis.*

II. Ergo falso Auctor *Quaest. Vet. et Nov. Test. Quaest. XXI. et XXIV. ap. Augustin.*, et Auctor *Commentarii in Paulum* Ambrosio perperam tributi *in I. Cor. XI.* putant, mulierem non fuisse ad imaginem Dei formatam. 1.° Etenim et mulier intellectu, voluntate, et dominatu aliquo praedita est. 2.° Id docent SS. Patres, Basilius *Hom. X. Hexam.*, Ambrosius *Lib. VI. Hexam. cap.* 8., Augustinus *Lib. XII. de Trin. cap.* 7. et aperte docet ipsa Scriptura; cum enim dicit *Gen. I.* 27. *ad imaginem Dei creavit illum*: statim addit; *masculum, et feminam creavit eos.* Et *cap. IX.* 6. prohibens homicidium, addit: *ad imaginem quippe Dei factus est homo*, quod de viro pariter, et muliere dictum est. Quod autem ait Apostolus *I. Cor. XI.* 7. *Vir imago, et gloria Dei est; mulier autem gloria viri est*, eum habet sensum; 1.° quod vir immediate ad imaginem Dei factus est; mulier, interveniente viro, ex quo formata est: quo sensu Adam *Gen. V.* 3. dicitur genuisse *ad imaginem, et similitudinem suam*; licet filius etiam fuerit, *mediante* Adam, ad imaginem, et similitudinem Dei: 2.° quia viro magis, quam mulieri competit dominatio in res creatas, quia ipsa mulier naturaliter viro subjecta est. Vide S. Thomam *I. P. Q. XCIII. art.* 1. *ad* 1.

III. Ergo imago Dei non est in homine abolita per peccatum, sicut nec in Angelis, cum sita sit in ipsa spiritali natura. Est tamen valde deformata, tum propter jacturam gratiae, quae eam ornabat; tum propter caecitatem intellectus, pravitatem voluntatis, et ipsius dominationis coarctatos limites, ut infra dicemus; ideoque Apostolus nos admonet, ut renovemur ad imaginem Dei. *Non est tamen usque adeo detrita imago Dei*, ut ait Augustinus, *ut nulla in ea lineamenta remanserint Lib. de Spiritu, et lit. cap.* 27. Si quando ergo Pa-

Patres scribunt, peccato hominis imaginem Dei esse deletam, vel improprie loquuntur; vel imaginem usurpant pro accidentalibus ejus ornamentis, sive donis supernaturalibus.

*Scholion.*

I. Homo dicitur creatus ad imaginem Dei, in quo distinguitur a Verbo Dei, quod est imago Patris increatâ, et perfectissima, *splendor gloriae, et figura substantiae ejus. Heb. I.* 3. Vide Augustinum *Lib. XV. de Trin. cap.* 2. *et* 3.

II. Licet imago Dei in animo constet; in ipso tamen corpore divina imago quodammodo relucet, ut observat Augustinus *Lib. VI. de Gen. ad lit. cap.* 12. *et I. de Genes. cont. Manich. cap.* 17.

*Pronaque cum spectent animalia cetera terram,*
*Os homini sublime dedit, caelumque tueri*
*Jussit, et erectos ad sidera tollere vultus;*

ut ait Poeta.

## PROPOSITIO II.

*Licet similitudo Dei in homine intelligi possit de ipsa imagine; non absurde tamen SS. Patres eam in donis supernaturalibus constituunt.*

*Prob.* 1a. *pars.* 1.° *Gen. I.* 26. Postquam dictum est: *faciamus hominem ad imaginem, et similitudinem nostram*, paucis interjectis subjungitur: *ad imaginem Dei creavit illum*: et contra *Gen. V.* 1. sola *similitudo* memoratur: *ad similitudinem Dei fecit illum*; quod satis insinuat, idem esse imaginem, ac similitudinem. 2.° *Gen. IX.* 6. et *Eccli. XVII.* 1. sola imago nominatur: *ad imaginem quippe Dei factus est homo*: et contra *Jac. III.* 9. sola similitudo: *ad similitudinem Dei facti sunt* homines. 3.° Si similitudo accipi debet pro gratiae donis, etiam imago idem significat *I. Cor. XV.* 49. *sicut portavimus imaginem terreni, portemus et imaginem caelestis.* Ergo etc.

*Prob.* 2a. *pars.* I. ex ipsa auctoritate Patrum, quos supra citavimus, quibus addimus *Cyprianum* (sive Aucto-

ctorem *Lib. de Patientia*) *Nyssenum* ( sive alium Auctorem *Lib. de Creatione hominis* ) *Damascenum Lib. II. de fide cap.* 12. , *Eucherium Lib. I. in Genes.*, *Rupertum*, *Bernardum*, *Magistrum Sententiarum* , *S. Thomam*.

*Prob.* II. Nullum in Scriptura verbum supervacaneum est ; sed saltem est ad majorem rei explicationem positum ; ergo *imago* , *et similitudo*, seu ut dicitur *Sap. II.* 23. *imago similitudinis* non quamcumque significat imaginem , sed valde similem prototypo. Sed homo gratiae donis spoliatus non est utique imago valde Deo similis. Ergo *similitudo* , praeter naturae proprietates , gratiae etiam dona significat.

*Corollarium.*

Ergo si accipitur similitudo pro ipsa imagine, sicut non periit per peccatum imago Dei in homine , ita nec similitudo : si vero pro donis supernaturalibus , dicendum est, periisse in homine per peccatum similitudinem Dei ; permansisse vero imaginem.

## CAP. V.

### *De justitia originali.*

*Adv.* I. NOmine justitiae originalis duo veniunt necessario intelligenda , tamquam essentialia ; alia vero duo , tamquam priorum consectaria. Necessaria , et essentialia sunt 1.° perfectissimus ordo partium , quae hominem componunt ; ita ut corpus , et quaecumque inferiores potentiae subjectae sint spiritui , nec ullus sit inordinatus concupiscentiae motus , rationem praevertens : 2.° gratia sanctificans , et quae eam ordine praecedunt fides , spes , charitas : quaeque sequuntur virtutes scilicet morales infusae , dona Spiritus Sancti , et actuale auxilium , sine quo justitia servari non potest. Consectaria vero hujus justitiae sunt 1.° felicitas , et beatitudo , non quidem consummata per gloriam , sed omnem miseriam animi , et corporis excludens : 2.° corporis immortalitas. Quaerendum ergo , utrum primi parentes cum hac justitia a Deo creati sint.

II.

II. Omnes Catholici docent, Deum hanc originalem justitiam Adamo fuisse largitam contra Pelagianos, qui asserebant, Adamum in eo statu fuisse creatum, in quo nunc homines nascuntur, concupiscentiae, miseriis, morti obnoxii, omnique gratia Dei vacui, quibus similia docent Sociniani. At non convenit inter Catholicos, utrum Deus gratiam sanctificantem Adae donaverit in ipso creationis instanti momento, an postea. Veteres nonnulli Scholastici, ut *Alensis*, *Bonaventura*, *Ægidius Romanus*, ejusque Commentator *Gavardus* docuerunt, Adam non in ipso creationis actu, sed paulo post fuisse gratiae donis exornatum.

III. E contrario Lutherus *in cap III. Gen.* commentus est, originalem justitiam non solum in ipso creationis momento fuisse Adamo inditam, sed etiam fuisse ei naturalem; sicut naturale est oculo videre lumen. *Statuamus*, inquit, *justitiam non fuisse quoddam donum, quod ab extra accederet, separatum a natura hominis, sed fuisse vere naturalem, ut natura Adae esset diligere Deum, credere Deo, agnoscere Deum. Haec tam naturalia fuere in Adamo, quam naturale est, quod oculi lumen recipiant.* Unde refert, *originalem justitiam esse de natura hominis: ea autem per peccatum amissa, non mansisse integra naturalia, ut Scholastici delirant.* Hunc errorem in Bajo etiam damnarunt *Pius V.* anno MDLXVII., *Greg. XIII.* anno MDLXXIX., et *Urbanus VIII.* in ea propositione num. XXVII. *Integritas primae conditionis non fuit indebita naturae humanae exaltatio, sed naturalis ejus conditio* cum aliis, quae eodem collineant, nempe XXI. *Humanae naturae exaltatio, et sublimatio in consortium divinae naturae debita fuit integritati primae conditionis, ac proinde naturalis dicenda est, non supernaturalis*, et aliis similibus, quas propositiones ipse Bajus publico scripto revocavit, agente *Francisco Toledo*, qui postea Cardinalis creatus est.

IV. Estius *in II. Dist. XXV.* §. 6. media ingressus est via. Cum enim justitia originalis duo complectatur essentialia, gratiam, scilicet, et rectum ordinem partium; fatetur quidem, gratiam fuisse donum supernaturale; sed probabili ratione dici posse ait, *rectitudinem* sive re-

ctum

ctum ordinem partium, quo in primo homine inferiora superioribus subdebantur sine ullo rebellis concupiscentiae motu, fuisse naturalem, sive ipsi naturae debitam proprietatem.

V. Ne autem in ambiguo laboremus, advertendum est 1.° aliquid dici posse naturale duplici ratione; vel quia ipsius naturae proprietas est; vel quia in ipsa naturae creatione a Deo donatum est, naturamque ipsam exornat, et perficit: 2.° nomine concupiscentiae duo etiam posse significari; scilicet vel appetitum boni sensibilis juxta ordinem rationis, ut appetitus cibi ad vitam necessarii; vel appetitus inordinatus cujuscumque rei contra ordinem rationis: in quo posteriori sensu hic a nobis usurpatur. Utrum ergo Deus justitiam originalem in ipsa creatione primis parentibus dederit, videbimus hic; utrum vero fuerit illa naturalis, in sequenti capite.

## PROPOSITIO I.

***In ipso creationis momento Deus homini largitus est originalem justitiam, seu gratiam sanctificantem, cum donis ipsi adnexis, rectitudinem partium, seu immunitatem ab omni inordinato concupiscentiae motu.***

*Prob.* 1a. *pars* de gratia sanctificante, et ex consequenti etiam de donis, quae *in Lib. VII.* Tractatu de Gratia docebimus, numquam a gratia sanctificante divelli. 1.° *ex Script. Eccl. VII.* 30. *Deus fecit hominem rectum.* Hanc autem *rectitudinem*, sive rectum ordinem intelligendum etiam de justitia, et sanctitate, ostendit Apostolus *Ephes. IV.* 23., ubi ait: *Renovamini spiritu mentis vestrae, et induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia, et sanctitate veritatis.*

*Prob. II. ex PP.* quos supra diximus, *similitudinem* Dei in homine intellexisse de donis supernaturalibus gratiae sanctificantis. Quippe illi ex consequenti docent, sicut in primo creationis momento factus est Adam ad imaginem, et similitudinem Dei, ita simul gratiam sanctificantem accepisse. Quibus unum hic addere sufficiat

eiat Augustinum *Lib. de Corr. et gr. cap. II. n. 32. Tunc ergo*, inquit, *dederat homini Deus bonam voluntatem : in illa quippe eum fecerat, qui fecerat rectum.* Bona autem voluntas Augustino charitas est. *Quasi vero*, inquit *Lib. I. de Gratia Christi cap. 21. aliud sit bona voluntas, quam charitas, quam Scriptura nobis esse clamat ex Deo, et à Patre datam, ut filii ejus essemus.*

*Prob. III.* ex Concilio Tridentino *Sess. V. can. 10. Si quis non confitetur, primum hominem Adam, cum mandatum Dei in paradiso fuisset transgressus, statim sanctitatem, et justitiam, in qua constitutus fuerat, amisisse ..... anathema sit.* Ex quibus Concilii verbis Jansenius quidem *Lib. I. de Grat. Primi hom. cap. I.* imo et M. Bellelli *Lib. Mens Augustini etc.* infert, dogma fidei esse, Adamum in ipso creationis actu exornatum sanctificante gratia; sed male; *Aliud est enim*, inquit Estius *in II. Dist. XXV.* §. 1., *conditum esse in gratia, aliud in ea constitutum.* Imo cum ante in decreto positum esset, Adam *conditum* esse in sanctitate, illud verbum deletum est, suffectumque *constitutum*, ne veterum Scholasticorum sententia damnaretur, ut testantur Historici. Vide ipsum Estium *in II. Dist. XXV.* §. 1.

*Prob.* 2a. *pars* de concupiscentia, tum ex ipsis verbis *Eccl. VII. Deus fecit hominem rectum*; tum ex I. *Jo. II.* 15. *Concupiscentia .... non est ex Patre, sed ex mundo est*; tam ex Apostolo, qui *Rom. VIII.* et alibi saepe vocat eam *peccatum*; quia scilicet ex peccato producta est, ut explicant omnes Catholici post Tridentinum *Sess. V. can.* 5. : ac proinde non erat ante peccatum, tum denique ex aliis argumentis, quibus infra probabimus, ipsam concupiscentiam *materialiter* malam esse.

*Prob.* II. ex Augustino *Lib. II. de peccator. mer. et remiss. cap. 22. Hanc ergo obedientiam priusquam violassent, placebant Deo, et placebat eis Deus; et quamvis corpus animale gestarent, nihil inobediens in illo adversum se moveri sentiebant. Faciebat quippe hoc ordo justitiae; ut quia eorum anima famulum corpus a Domino acceperat : sicut ipsa eidem Domino suo ita illi corpus obediret, atque exhiberet vitae illi congruum*

gruum sine ulla resistentia famulatum. Hinc et nudi erant, et non confundebantur. Quod quidem Augustinus millies repetit, et inculcat contra Pelagianos, qui concupiscentiam in Paradiso fuisse comminiscebantur. Ergo.

Porro cum Scriptura, et Patres omnem concupiscentiam e Paradiso ablegant, non solum intelligendi sunt de concupiscentia carnis, sed etiam de concupiscentia spiritus; hoc est de quocunque inordinato appetitu, aut laudis, aut vanae gloriae, aut scientiae. Joannes enim *loc. cit.* omnem concupiscentiam complexus est cum ait: *Omne, quod est in mundo, concupiscentia carnis est, et concupiscentia oculorum, et superbia vitae, quae non est ex Patre; sed ex mundo.* Hinc perperam Molina *in Concordia Disp. IV.* ejusque discipuli Suarez *Lib. X. de Grat. cap.* 6. 15. *et al.* a Lapide *in Genes.* aliique putant, saltem tentationem superbiae ab Adamo, et ipsis Angelis ante peccatum fuisse sustinendam, ac vincendam. Ipsa igitur φιλαυτια, sive sui ipsius amor adversus rationem non insurgebat.

*Objicies.* Augustinus *Lib. II. de Genes. cont. Manich. cap.* 8. *n.* 10. *Nondum*, ait, *spiritualem hominem debemus intelligere, qui factus est in animam viventem, sed adhuc animalem. Tunc enim spiritalis effectus est, cum in Paradiso, hoc est in beata vita constitutus, praeceptum etiam perfectionis accepit, ut verbo Dei consummaretur.* Simile quid docent Cyprianus *Epist. LXXIV. ad Pompejum*, et Nyssenus *Orat. I. in ea verba, faciamus hominem ad imaginem etc.* ex illo Apostoli *I. Cor. XV.* 46. *non prius quod spiritale est, sed quod animale deinde quod spiritale.* Ergo non in ipso creationis actu justitia originali fuit Adam exornatus.

℟. 1.° *Dist. ant.* Augustinus, Cyprianus, Nyssenus docent, prius hominem factum animalem, postea spiritalem ratione ordinis, *conc.* Ratione temporis, *neg.*

℟. 2.° Augustinum *Lib. I. Retract. cap.* 10. retractasse quod in loco citato dixerat: *Nec illud*, inquit, *Apostoli factus est primus homo Adam in animam viventem, sicut ille voluit, intellexi ... Apostolus enim ad hoc adhibuit illud testimonium, ut doceret esse corpus animale: ego autem hinc putavi, hoc esse monstrandum,* ... *ani-*

*animalem factum prius hominem*, *non corpus hominis solum*. Igitur ex Augustino, aliisque Patribus prius fuit animale, postea spiritale in sensu Apostoli, hoc est postea erit spiritale in resurrectione corporum, *conc.* Postea fuit spiritale propter gratiam Adamo superadditam, *neg.*

## PROPOSITIO II.

***Dogma fidei est, habuisse etiam Adam immortalitatem corporis, non eo sensu quod non posset mori; sed quod posset non mori. Habuit etiam et inchoatam beatitudinem, quae omnem ab illo statu ablegaret miseriam.***

*Prob.* 1a. *pars* I. *ex Scriptura* 1.° Deus mortem minatus est, tamquam peccati poenam *Gen. II.* 17. *in quocumque die comederis ex eo, morte morieris.* 2.° *Sap. I.* 13. *Deus mortem non fecit.* Et *cap. II.* 23. *Deus creavit hominem inexterminabilem, et ad imaginem similitudinis suae fecit illum. Invidia autem diaboli mors introivit in orbem terrarum.* 3.° *Rom. V.* 12. *Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, et per peccatum mors.* Quae testimonia inepte Pelagiani de morte animae interpretabantur. De ea enim morte intelligenda sunt, qua Deus revera damnavit Adam post peccatum iis verbis: *pulvis es, et in pulverem reverteris.* Vide Augustinum *Lib. I. de peccat. merit. et rem. cap.* 5. Ergo.

*Prob.* II. ex Ecclesiae definitionibus. *Placuit*, inquit, Concilium Milevitanum II. *Can* 1., *ut quicumque dicit, Adam primum hominem mortalem factum; ita ut sive peccaret, sive non peccaret; moreretur in corpore, hoc est de corpore exiret, non peccati merito, sed necessitate naturae, anathema sit.* Quod Concilium confirmarunt Innocentius I. *Epist. XXVI.* et Caelestinus *Epist. ad Episcopos Galliae.* Idem definiunt Arausicanum II. *Can.* 2. probatum a Bonifacio II. *Epist. ad Caesar. Arelat. cap. Sirmond. Tom. Concil. Galliae*, atque ab Ecclesia universa; et Tridentinum *Sess. V. cap.* 2. Patrum loca prae-

praetermittimus, ut in re apertissima (a); ita ut mirum sit, extitisse qui se catholicum profiteretur, et tamen id negaret, Franciscum Garassium *in Summa Theol. Lib. III. p.* 700.

*Prob.* 2a. *pars.* ex Augustino *Lib. VI. de Gen. ad lit. cap.* 25. *Illud* Adae corpus *ante peccatum et mortale secundum aliam, et immortale secundum aliam causam dici poterat: idest mortale, quia poterat mori; immortale, quia poterat non mori.* Quod autem de morte dictum est, idem dicas de quacumque aegritudine, aut miseria tum corporis, tum animi. *Quid mirum*, inquit idem Augustinus *Lib. II. de Gen. cont. Manich. cap.* 7., *si corpus potuit ab omnipotente artifice tale fieri, ut nulla molestia, nulla indigentia cruciaret hominem ante peccatum, et nulla corruptione tabesceret?* Ergo.

*Prob.* 3a. *pars*, quae ex duabus prioribus consequitur. Homo enim tantis gratiae donis cumulatus, tanta luce et naturali, et supernaturali perfusus, nulla miseria afflictus, nullo mortis metu perterrefactus, utique inchoata fruebatur beatitudine. *Hoc gaudium*, ait Augustinus *Lib. I. de lib. arbitr. cap.* 13., *quod hujus boni adeptione gignitur, cum tranquille, et quiete atque constanter erigit animum, beata vita dicitur; nisi tu putes, aliud esse beate vivere, quam veris bonis, certisque gaudere.* Et *Lib. I. de lib. arb. cap.* 11. *Quamquam credamus, hominem tunc perfecte conditum a Deo, et in beata vita constitutum, ut ad aerumnas mortalis vitae ipse inde propria voluntate delapsus sit.* Ergo etc.



(a) V. Augustinum *Lib. I. de peccat. merit. et remis a cap.* 2. *ad* 9. *Lib. XIII. de Civ. cap.* 5. *et* 23. *Enchirid. cap.* 25. *et* 26. *et al.*, Prosperum *Respons. ad V. Object. Vincentian.* Gregorium *Lib. IV. Moral. c.* 26., aliosque, qui in laudata Scripturae loca ediderunt commentaria.

*Objectiones diluuntur.*

*Objic.* I. Corpora primorum parentum ex contrariis composita sunt elementis, sicut et aliorum animantium corpora. Ergo sicut haec ex pugna elementorum paulatim senescunt, donec intereant; ita et illa.

℟. *Neg. cons.* Quia ex omnipotenti Dei voluntate hic effectus in homine non sequebatur ex elementorum pugna. Si enim Deus per annos quadraginta potuit ita regere populum in deserto ut nec vestimenta nec calceamenta detrita sint, cur non potuit ita servare corpus hominis incolume, ut numquam periret? quo exemplo utitur Augustinus *Lib. I. de pecc. mer. et remis. cap.* 3. Utrum autem hoc oriretur ab ipsa proportione et apta temperatione humorum in corpore humano, ut sentire videtur Augustinus *Lib. I. de Pecc. merit. cap.* 16. *et al.* et Bonaventura *in II. Dest. XIX. art.* 2; an ex vigore quodam supernaturali ipsi animae indito, ut putat S. Thomas *I. P. Q. XCVII. art.* 1.; an denique ex naturali, vel supernaturali virtute ligni vitae, alia quaestio est.

*Objic.* II. Si vis extrinsecus corpori Adae fuisset adhibita, *ex. gr.* si lapis in caput decidisset, si venenum hausisset, si ferro guttur, aut pectus fuisset transverberatum, sine dubio laesum, imo et mortuum esset, nisi continua miracula velimus adstruere in ipso naturali rerum ordine. Ergo.

℟. *Neg. cons.* Providentia enim Dei, cui omnes causae subiiciuntur, ita hominem innocentem protexisset, ut nihil tale ei accideret,

*Objic.* III. Ambrosius *Lib. de fide resurrectionis cap.* 6. ait, mortem nobis esse naturalem: imo non in poenam, sed tamquam remedium datam. Ergo.

℟. *Dist. ant.* Ait, mortem esse naturalem, quia post peccatum versa est in naturam, et aliquando etiam remedium tot malorum, quae per peccatum invecta sunt, *conc.* Quia fuit originalis conditio etiam hominis innocentis, *neg.* Sic Apostolus *Ephes. II.* 3. ait; *Eramus natura filii irae* non quia natura mala est; sed quia *vitium pro natura inolevit*, ut explicat Augustinus *Tract. IV: in Joan.* Hanc autem esse Ambrosii mentem, patet ex

ex *cap.* 9. ejusdem libri, ubi ait: *mors in natura non fuit, sed conversa in naturam est.*

*Objic.* VI. Finis ultimus omnis creaturae rationalis, ideoque ipsius hominis, est beata Dei visio, ut supra de Angelis ostensum est. Atqui si Adam in aeternum vixisset, numquam hunc finem fuisset assecutus. Ergo.

℟. *Neg. min.* Fuisset enim translatus in gloram sine morte; sicut et nos *ingemiscimus gravati, eo quod nolumus expoliari, sed supervestiri, ut absorbeatur quod mortale est a vita*; ut inquit Apostolus *II. Cor. V.* 4.

## PROPOSITIO III.

***Praeter gratiam habitualem, instructus etiam fuit Adam actuali auxilio ad perseverandum, non quidem efficaci, sed versatili.***

*Prob.* 1a. *pars* contra Gregorium Ariminensem *in II. Dist. XXIX. q.* 1. *concl.* 3. ex iis; quae supra diximus de Angelis *Hoc adjutorium*, inquit Augustinus *Lib. de Corr. et gr. cap. XI. num.* 32. *si vel Angelo, vel homini cum primum facti sunt, defuisset; quoniam non talis natura facta erat, ut sine divino adjutorio posset manere, si vellet; non utique sua culpa cecidissent; adjutorium quippe defuisset, sine quo manere non possent* (a). Absurdum autem est, Deum ita deseruisse hominem, ut sine sua culpa laberetur. Ergo.

*Prob.* 2a. *pars* ex eodem *Augustino*, qui *eod. Lib. de corr. et gr. cap.* 11. postquam duplex distinxit adjutorium, *quo*, et *sine quo*, docet, Angelis, primoque homini datum adjutorium *sine quo*, ut supra de Angelis diximus *cap.* VI. Quibus hic addimus, unam Augustino fuisse rationem, cur post Adae lapsum opus sit adjutorio *quo*, sive efficaci, infirmitatem scilicet depravatae naturae, qua infirmitate cum careret Adam ante peccatum, ejusmodi adjutorio non egebat; sed permanere, vel non permanere in gratia, in ejus libero relinque-



(a) V. *et Enchir, cap.* 106. *Epist. CVI, ad Paulin.*

tur arbitrio. *Quid ergo?* inquit *cap.* 11., *Adam non habuit gratiam? Imo habuit magnam, sed disparem.* Integra duo capita 11. et 12 laudati libri essent hic exscribenda, sed sufficiunt quae allata sunt. Ergo.

*Objectiones.*

*Objic.* I. *cont.* 2m. *part.* Augustinus *Lib. de Nat. et Grat. cap.* 51. *Si iste*, inquit, (Pelagius) *qui hunc librum scripsit, de illa hominis natnra loqueretur, quae primo inculpata, et salva condita est, utcumque acceptaretur hoc dictum.* Atqui *Pelagius* non aliam gratiam agnoscebat, ut suo loco dicemus, praeter liberum arbitrium, legem, doctrinam, illustrationem intellectus. Ergo concedit *Augustinus*, posse ista dici de Adamo innocente. Hoc argumento moti *Petavius*, *Tournely*, aliique volunt, Adami gratiam actualem in sola mentis illustratione fuisse positam. Atqui sola illustratio mentis non constituit gratiae naturam, ut suo loco dicemus. Ergo.

℟. *Neg. cons.* Non enim ait *Augustinus*, defendi posse Pelagianum dogma, si sermo sit de homine innocente; sed *utcumque acceptaretur hoc dictum*, hoc est tolerabilior esset error ille, de quo ibi contra Pelagium disputabat, ut fusius dicemns *Lib. VII. cap.* 7. *prop.* 2. propter majores *liberi arbitrii vires*: Caeterum ex Augustino *Lib. XVI. de Civ. cap.* 13. voluntas Adae etiam ante peccatum *illustrabatur, ut videret; et accendebatur, ut amaret.*

*Objic.* II. *cont.* 2. m *part.* Augustinus *Lib. III. de Trin. cap.* 4. docet, omnes creaturarum motus a Deo fieri quod et probat S. Thomas 1a. 2ae. *Q. CIX. art.* 1. 2. *et* 9. Et *Lib. III. cont. Gent. cap.* 98. *et.* 149. ex ratione primae causae, et primi moventis infert, Deum esse, qui primo creaturas omnes ad agendum moveat. Ergo.

℟. *Neg. cons.* Nam ut diximus *Part. I. hujus Lib.* constat, omnes creaturarum motus à Deo tamqnam prima causa oriri; licet nonnullis creaturis virtutem dederit, qua se libere possint ad agendum movere, quod ex ipso *S. Thoma* fusius ibi explicavimus. Caeterum in ea ipsa *Quaest. CIX. art.* 10. *ad* 3. ait Angelicus Doctor

ctor : *Dicendum , quod sicut Augustinus dicit in Lib. de Corr. et grat. homo in primo statu accepit donum , per quod perseverare posset , non autem accepit , ut perseveraret : nunc autem per gratiam Christi multi accipiunt donum gratiae , quo perseverare possunt, et ulterius eis datur quo perseverent.*

*Objic.* III. Haec doctrina nova est , et a *Jansenio* primum excogitata. Ergo uti suspecta rejicienda est.

℟. *Neg. ant.* Non solum enim traditur ab *Augustino* quem *S. Thomas* sequitur loco mox laudato ; verum etiam a veteribus Scholasticis , ut ait Bellarminus *Lib. de Gratia primi hom. cap.* 4. , ubi exposita Augustini doctrina : *Neque ab hac sententia* , inquit , *dissentiunt Scholastici , ut videre est apud Magistrum Lib. II. Sent. Dist. XXIV. §. 4. , S. Bonaventuram in ead. Dist. Quaest.* 2. , *Gregorium Ariminensem Dist. XXIX. Quaest. I. artic.* 1. *concl.* 3. , *et S. Thomam* 1. 2. *Q. CIX art.* 9. Quibus adde eos Theologos , qui ne in hoc quidem naturae corruptae statu agnoscunt auxilium per seipsum efficax. Unde ait Tournely *De Grat. Q.* 2. *art.* 1. *Observandum , nihil in Jansenio reprehendendum fore quantum ad praesens institutum , si per famosam distinctionem auxilii quo , et sine quo , hoc unum contenderet , Adamum scilicet innocentem opus tantum habuisse ad bene agendum , et perseverandum auxilio gratiae sufficientis , sine quo ; non vero auxilio gratiae efficacis , seu quo.*

Alias objectiones supra dissolvimus , ubi de Angelis diximus. Quae vero ex Scripturis opponunt , in quibus omnia bona opera a Deo fieri dicuntur qui dat velle et perficere etc. manifeste de homine lapso dicta sunt.

## C A P. VI.

### *Utrum justitia originalis fuerit in primis parentibus naturalis.*

*Adv.* I. Jam diximus , duplici ratione posse aliquid dici naturale ; vel quia naturae proprietas est ita ut si desit , natura ipsa manca sit ; vel quia ab ipsa na-

nativitate datum est, naturamque ipsam exornat, et perficit.

II. Hic addendum, triplici etiam ratione posse aliquid dici supernaturale; vel per se, ut ajunt *entitative*, quia naturam omnem creatam, imo et possibilem superat, ut beata Dei visio; vel *per accidens*, et *quoad modum*, quia scilicet modo supernaturali datum est, ut vita Lazaro, visus caeco divinitus restitutus, licet utrumque esset naturae proprietas; vel denique *relative*, quia scilicet superat alicujus naturae vires; licet non superet vires naturae superioris, ut locutio asinae Balaam.

III. His explicatis, certum est, justitiam originalem posse dici naturalem, quia ab ipsa nativitate collata est; et supernaturalem, quia supernaturali modo data est. Sed quaestio est, utrum dici eam oporteat naturalem priori sensu, quia scilicet naturae proprietas fuerit; an supernaturalem per se, et *entitative*.

## PROPOSITIO I.

*Si justitia originalis adaequate accipiatur, quatenus scilicet complectebatur etiam gratiae dona, immortalitatem, et quae ex iis consequebatur, inchoatam beatitudinem; dogma fidei est, eam fuisse per se supernaturalem.*

*Prob.* 1a. *pars.* 1.° Gratia est donum creaturae indebitum: *alioquin gratia jam non esset gratia*, ut ait Apostolus *Rom. XI.* 6. Sed quod est naturale, est naturae ipsi debitum. Ergo. 2.° Gratia creaturam evehit in *consortium divinae naturae*, ut ait Petrus *Epist. II. cap. I.* 4., atque a conditione servili extollit in adoptionem filiorum Dei. Atqui hoc naturam omnem exsuperat. Ergo. Hinc Cyrillus *Lib. I. in Joan. cap.* 9. *Participatione*, inquit, *luminis splendet Adam super naturam suam glorificantis Dei gratia, variis donorum ornamentis ascendens.* Et *cap.* 13. *Creatura cum serva sit, nutu solum, et voluntate Patris ad supernaturalia vocatur.*

*Prob.* 2a. *pars.* I. Ipsa natura corporis ex contrariis elementis compacti ad dissolutionem tendit: quod innu-

nuunt illa verba: *pulvis es, et in pulverem reverteris* Gen. III. 19. et Eccli. XL. 11. *omnia, quae de terra sunt, in terram convertentur*. Ergo nisi supernaturali virtute fuisset roborata, naturaliter periisset. Licet enim ponamus in ligno vitae naturalem virtutem protrahendi vitam ad tempus valde diuturnum, quod consequi videtur ex iis, quae post peccatum Adae dixit Dominus: *videte ne sumat de ligno vitae, et vivat in aeternum*; tamen sine peculiari protectione Dei, arcentis omnes mortiferos causarum naturalium incursus, perpetuam vitam fructus ille dare non poterat.

*Prob.* II. ex *Augustino* supra laudato *Lib. VI. de Gen. ad lit. cap.* 25. *Mortalis ergo erat conditio corporis animalis, immortalis beneficio Conditoris* (a).

*Prob.* III. utraque pars ex Constitutionibus Pii V., Gregorii XIII. et Urbani VIII., a quibus istae propositiones in Bajo damnatae sunt: XXVII. *Integritas primae conditionis non fuit indebita naturae humanae exaltatio, sed naturalis ejus conditio*. LXXVIII. *Immortalitas primi hominis non erat gratiae beneficium, sed naturalis conditio*. Ergo.

### Diluuntur Objecta.

*Objic.* I. *cont.* 1m. *part.* Plures sunt Patres, qui dicunt, similitudinem Dei in homine, quam distinguunt ab imagine, et in gratiae donis constituunt, esse naturalem hominis conditionem, ad quam per peccatum deperditam nos reformat gratia Salvatoris. Ita Leo M. *Serm. I. de Jejunio X. mens.* ait, *hanc esse naturalem nostri generis dignitatem, si in nobis quasi in quodam speculo divinae benignitatis forma resplendeat*: quibus similia docent *Fulgentius*, *Prosper*, aliique Ergo.

℟. *Dist. ant.* Dicunt, esse conditionem naturalem eo sen-

(a) V. *et Lib. XIV. de Civ. cap.* 20., Cyrillum Alex. *Lib. I. in Joan. cap.* 15 *et Lib. IV. cont. Julian.* Magistrum *Sent. Lib. II. Dist. XIX.*

sensu, quod ab ipsa nativitate data sit, naturamque ipsam exornet, atque perficiat, *conc.* Quod ex naturae principiis fluat, naturaeq. ipsi sit debita, *neg.*

*Inst.* 1.° Homo non solum ab ipsa nativitate, sed naturaliter est ad imaginem Dei. Atqui imago Dei constare non potest sine charitate. Ergo.

℞. *Dist. min.* Imago quoad *accidentalia* non potest constare sine charitate, *conc.* Quoad ipsam *essentiam*, *neg.* Essentia enim imaginis in facultate intelligendi, et volendi sita est, ut supra docuimus. Dona autem charitatis, spei, etc. *accidentalia* sunt.

*Inst.* 2.° Nonnulli Patres docent, per peccatum deletam esse imaginem Dei in homine. Atqui non est deleta facultas intelligendi, atque volendi, licet multum fuerint intellectus, et voluntatis vires attritae; sed amissa penitus gratia est. Ergo imago Dei praecipue, et naturaliter in donis gratiae sita est.

℞. 1.° Retorquendo argumentum. Per peccatum non est deleta hominis natura. Atqui per peccatum amissa est gratia sanctificans. Ergo non erat haec naturalis.

℞. 2.° *Dist. maj.* Docent, deletam esse imaginem Dei quoad *accidentalem* ejus ornatum, *conc.* Quoad *essentiam*; *neg.* Hinc Augustinus *Lib. II. Retract. cap.* 24. explicat, quod alibi dixerat, imaginem Dei peccato fuisse deletam: *Quod dixi*, inquit, *posteriore loco*, *Adam imaginem Dei*, *secundum quam factus est*, *perdidisse peccato*, *non sic accipiendum*, *tamquam in eo nulla remanserit*; *sed quod tam deformis*, *ut reformatione opus habeat.*

*Inst.* 3.° Augustinus *Lib. de corrept. et grat. cap.* 11. ait, vitam aeternam primo homini, si in charitate permansisset, futuram fuisse mercedem meriti, quae nunc est donum gratiae. Ergo charitas, sine qua meritum esse non potest, non erat in primo homine donum gratiae, sed naturae conditio.

℞. *Neg. cons.* Nihil enim est Augustino magis contrarium. Ait enim *Enchir. cap.* 106. de Adam: *Nec ipsum Deus esse voluit sine gratia sua.* Et *in eod. Lib. de Corr. et grat. cap.* 11. ait, primum hominem habuisse *gratiam magnam*, *sed disparem*; hoc est gratiam primi hominis ante lapsum fuisse ad nutum liberi ar-

bi-

bitri versatilem; ideoque vitam aeternam futuram ei fuisse mercedem meriti; nunc autem indigere hominem, ut ipsa ejus voluntas a gratia inclinetur, ac moveatur ad bonum; ideoque vitam aeternam esse ei donum gratiae. Vide *cap.* 11. *et* 12 *lib. de Corr. et grat.* Sed de hoc fusius dicemus *Lib. VII.*

*Objic.* II. *cont.* 2m. *part.* Scriptura, Patres, et Concilia constanter docent mortem homini illatam esse tamquam peccati poenam, non tamquam naturae conditionem, ut patet ex locis supra productis *cap. praec. prop.* 2. Unde Augustinus *Lib. XIII. de Civ. cap.* 15. *Constat*, inquit, *inter Christianos veraciter catholicam tenentes fidem, etiam ipsam nobis corporis mortem non lege naturae . . . . sed merito inflictam esse peccati.* Et Concilium Milevitanum *Can.* 1. damnat eos, qui mortem referunt ad naturae necessitatem; et Arausicanum II. *Can.* 2. ait, eos, qui ita sentiunt, injustitiam Deo tribuere. Ergo.

℟. *Dist. ant.* Et Scriptura, Patres, Concilia, ut certum ponunt (quod dogma fidei est) immortalitatis donum jam homini a Deo concessum fuisse ante peccatum, *conc.* Secus, *neg.* Posito enim hoc, quod Deus immortalitis donum homini contulerat; non poterat ille eo sine sua culpa spoliari. Quapropter merito damnati Pelagiani, qui dicebant, mortem non poenam peccati, sed necessitatem esse naturae. Haec enim haeretica opinatio injustitiam Deo tribuit, non quidem proprie; nulla enim inter Deum, et creaturam esse justitia potest proprie dicta; sed improprie, quia non decebat sapientiam, bonitatem, et providentiam Dei spoliare hominem sine ulla culpa donis jam gratuita bonitate collatis; *sine poenitentia enim sunt dona Dei Rom. XI.* 29. Imo addunt Theologi, qui *naturam puram*, ut dicemus inferius, impossibilem esse putant, non decuisse Dei sapientiam, bonitatem, providentiam, ut immortalitatem homini innocenti non donaret, eoque sensu Patres esse intelligendos.

*Objic.* III. Sapientis est artificis materiam eligere aptam naturae, et dignitati formae. Quis enim, nisi stultus, opus nobilissimum, et perpetuo duraturum conficeret ex luto, aliave fragili materia? Atqui ani-

anima natura sua est forma corporis, ut supra diximus. Ergo cum illa sit natura sua immortalis, debuit ei corpus aptari natura sua immortale.

℟. *Dist. maj.* Sapientis est artificis materiam eligere formae aptam, si inveniri potest, vel si non potest, ipsi materiae ineptae extrinsecus eam dare dispositionem, aut virtutem, qua apta reddatur, *conc.* Eligere semper materiam natura sua aptam, *neg.* Imo eo sapientiorem se prodit artifex, cum materiam natura sua ineptam arte reddit aptam; ut si quis ex argilla conficeret statuam, quae nulla hominum, aut naturae vi confringi, aut loco dimoveri possit, nisi cum placet artifici. Cum ergo anima sit sua natura forma corporis, hoc est materiam exigat natura sua mortalem, in hoc sapientiam, et potentiam suam maxime ostendit Deus, quod materiae isti immortalitatem dedit, qua redderetur apta accipiendae formae immortali; sibi tamen reservavit, ut eam immortalitate spoliaret, quando id opus esset in animae ipsius supplicium. Ita fere S. Thomas *I. P. Q. LXXVI. art.* 5. *ad.* 1. (*a*). *Inst.*

---

(a) *Hanc*, inquit, *objectionem aliquis forte vellet evadere per hoc quod diceret, corpus hominis ante peccatum incorruptibile fuisse. Sed haec responsio non videretur sufficiens; quia corpus hominis ante peccatum immortale fuit non per naturam, sed per gratiae divinae donum: alioquin immortalitas ejus per peccatum sublata non esset, sicut nec immortalitas daemonis. Et ideo aliter dicendum est, quod in materia duplex conditio invenitur, una, quae eligitur ad hoc, quod sit conveniens formae: alia quae ex necessitate consequitur priorem dispositionem sicut artifex ad formam serrae eligit materiam ferream aptam ad secandum dura; sed quod dentes serrae hebetari possint et rubiginem contrahere, sequitur ex necessitate materiae. Sic igitur et animae intellectivae debetur corpus, quod sit aequalis complexionis. Ex hoc autem de necessitate materiae sequitur, quod sit corruptibile. Si quis vero dicat, quod potuit Deus hanc necessitatem vitare, dicendum est, quod in constitutione rerum naturalium non consideratur quid Deus facere possit: sed quid naturae rerum conveniat, ut dicit Augustinus* Lib. II. Sup. Gen. ad liter. *Providit tamen Deus adhibendo remedium contra mortem.*

*Inst.* Anima naturaliter horret, ac refugit mortem, cum sit naturalis pars totius compositi, quod est homo vivens; ac proinde naturaliter appetit semper corpori esse conjuncta. Atqui naturali huic appetitui nihil potest esse magis adversum, quam eam paucis annis informare corpus; deinde ab eo sejungi in aeternum; resurrectio enim naturalis non est. Ergo etc. Adde his 1.° non decere sapientiam Dei, ut opus efficiat ex duabus partibus, quarum altera mortalis, altera immortalis sit, et ambo sejunctae imperfectae sint. 2.° Hominem a Deo factum naturaliter miserum, subjectum scilicet natura sua necessitati moriendi, qua nihil est terribilius. Ergo.

℟. Haec facile ex superiori responsione dissolvi. Deus enim homini innocenti immortale corpus dederat, licet non a natura, sed Dei beneficio immortalitas illa oriretur. Quod autem postea fuerit necessariae morti obnoxius, non est natura, seu prima conditio instituti hominis, sed poena damnati.

## PROPOSITIO II.

***Si justitia originalis intelligatur de sola subjectione corporis, et potentiarum inferiorum imperio rationis, dogma fidei non est, eam fuisse homini innocenti supernaturalem.***

*Prob.* Illud dogma fidei non est, de quo Catholici Theologi disputant in utramque partem rationibus utrinque gravissimis, nec est adhuc ab Ecclesia definitum. Atqui talis est ea quaestio, utrum rectus ille ordo, quo inferiora rationi subdebantur, in homine innocente naturalis, an supernaturalis fuerit. Ergo ad fidem non pertinet.

*Prob. min.* Et 1°. quidem de ea Theologi catholici disputant in utramque partem. Nam major quidem Scholasticorum pars tenet, rectitudinem illam fuisse supernaturalem. At Henricus Gandavensis *Quod lib. VI. quaest.* 11., et Gregorius Ariminensis *in II. Sent.* volunt fuisse naturalem. Estius vero *in II. Dist. XXV.* §. 6. productis utriusque partis argumentis, judicium suum

suum ita suspendit, ut potius incliuet in sententiam posteriorem, eamque ait esse Augustini: *Multum*, inquit, *hanc sententiam commendat auctoritas Augustini*; quod et fatetur Bartholomaeus Medina 1a. 2ae. *Q. CIX. art.* 2. dicens: *quae tamen opinio sine dubio videtur esse Augustini.*

2.° Rationes utriusque partis gravissimae sunt. Pro priori sententia novem argumenta producit *Estius*: pro posteriori octodecim. Praecipuae autem prioris partis rationes hae sunt. 1.° Homo ex carne, et spiritu compositus partim cum Angelis, partim cum belluis communem habet naturam. Atqui naturae belluinae naturale est inclinari in bonum sensibile, ac delectabile. Ergo quod in homine appetitus hic contra rationem non pugnaret, supra naturam erat. 2.° Ablata gratia Dei per peccatum, statim concupiscentia secuta est, unde homines erubescere inceperunt. Atqui non producta est a Deo; quia *I. Joan. II.* 16. *concupiscentia non est ex Patre*: non ab ipso homine; quia eam passus est invitus: non denique a diabolo, qui suasit quidem peccatum, sed non punivit. Ergo ab ipsa conditione naturae sensibilis, quae per gratiam veluti fraeno coercebatur, quo sublato, statim in libidinem exarsit. Hinc Augustinus *Lib. III. cont. Julian. cap. ult.* ait: *Gratia quippe ibi magna erat*; *ubi terrenum, et animale corpus bestialem libidinem non habebat. Qui ergo vestitus gratia non habebat in corpore suo quod puderet*; *spoliatus gratia sensit quod operire deberet* 3.° Augustinus *Lib. I. Retract. cap.* 9. probat quae scripserat *Lib.III. de lib. arb. cap.*20. *Si ignorantia, et difficultas essent hominis primordia naturalia, non esset culpandus, sed laudandus Deus.* Et *S. Thomas*, cujus maxima est auctoritas *I. P. Q. XCV. art.* 1. *Manifestum est*, inquit, *quod illa subjectio corporis ad animam, et inferiorum virium ad rationem, non erat naturalis*; *alioquin post peccatum mansisset, cum etiam in daemonibus dona naturalia post peccatum permanserint.* Et addit: *Quod si, gratia deserente, soluta est obedientia carnis ad animam*; *Ergo per gratiam in anima existentem inferiora ei subdebantur.* Angelico autem Doctori major Scholasticorum pars subscribit.

E con-

E contrario 1.° Concupiscentia, de qua hic loquimur, nempe inordinata inclinatio ad delectabilia contra imperium rationis, mala est; quia ex peccato est, et ad peccatum inclinat, ut saepe docet Augustinus (*a*), et post eum Theologi complures (*b*): idque Bellarminus ut dogma catholicum defendit contra Pelagianos *Lib. VI. de Amiss. Grat. et statu pecc. cap.* 14. Atqui cuncta opera naturae, quae fecit Deus, bona sunt. Ergo concupiscentia a natura non est: *non est ex Patre*, a quo natura creata est: ac proinde naturale est bonum ei contrarium. 2.° Si concupiscentia naturalis esset, homo esset natura infelicissimus. Cur enim exclamat Apostolus: *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Rom. VII.* 24. nisi propter concupiscentiam? 3.° Esset natura sua ita effectus; ut non posset diu abstinere a peccato, et damnationem aeternam evadere. Alias rationes vide apud *Estium*, aliosque Theologos.

3.° Ecclesia nihil adhuc definivit. Quod enim opponitur ex Bullis *Pii. V.*, et *Greg. XIII.*, qui damnarunt hanc thesim XXVII. inter Bajanas *Integritas primae conditionis non fuit indebita humanae naturae exaltatio, sed naturalis ejus conditio*: non obsistit huic sententiae, inquit Estius; *loquitur enim articulus ille de integritate prima, quatenus comprhendit gratiam, imo quatenus in gratia praecipue consistit, de quo jam supra ostendimus, non fuisse naturalem primo homini, sed supernaturalem. Patet hic sensus manifeste ex doctrina Auctoris in eo capite, cujus titulus, seu summarium ab Au-*

(a) Augustinus *Lib. de peccat. orig. cap.* 34, *et seq Lib. I. de Nup. et Conc. cap.* 22. *Lib. I. cont.* 2. *Epist Pelag cap.* 15. *et segq. Lib. III. cont. Julian cap.* 7. *Lib. VI. et V. cont. Julian. Lib. VI. cont. Julian cap.* 5.

(b) Noris. *Vindic. cap.* 3. § 2., Aureolus *In II. Dist. XXX.* art. 2., Ariminensis ibid. *Q. I art.* 2.; P. Macedo *Lib. IV.* de *Clavibus Pet. cap* 10., P. Bagotius *Lib. V. Demonst Dogm. Christ. Disp. VII. cap.* 1. §. 4. Esparza *Q VII. de Grat.*; Bellarminus *loc. sup. cit.*, Contensonus *Tom. II. Diss. I. cap.* 1.; Du Hamel. *Tom. III.* L'Herminier *Diss. de Peccatis*, Petavius *Lib. XIII. de Incarn. cap.* §. 20. et alii praeter omnes Augustinianos.

*Auctore praemissum, idem est cum articulo. Nam ibi praecipue agit de gratia, quae nimirum absolute justum, et rectum hominem constituit. Idem patet ex articulis. XXI. XXIII. et XXIV. praecedentibus, qui sunt ejusdem argumenti; et loquuntur tantum de dono gratiae adoptantis hominem in filium Dei. Denique id liquet ex declaratione Facultatis Theologicae Lovaniensis in scripto quodam super dictis articulis edito.* Ergo haec quaestio ad fidem non pertinet, et posset utrumque salva fide defendi. Sed nos a communi Catholicorum doctrina Theologorum non putamus hac in parte recedendum. Vide Berti *T. V. Dissert. II. cap. 1. §. 7.*

## CAP. VII.

### *Utrum status purae naturae sit possibilis.*

*Adv.* I. Celebrrima est haec quaestio inter Theologos, utrum potuerit Deus condere hominem in statu *purae naturae*; hoc est non ordinatum ad finem gloriae, sine ulla gratia, concupiscentiae, morti, aliisque aerumnis obnoxium.

II. *Lutherus*, et *Bajus*, ut supra diximus, putarunt, hoc non potuisse a Deo fieri, eo quod censebant, originalem justitiam, etiam prout gratiam, et immortalitatem complectebatur, naturalem fuisse hominis proprietatem, atque ideo naturae debitam.

III. Hac haeresi damnata tum a Concilio Tridentino, tum a SS. Pontificibus *Pio V. et Greg. XIII.* Theologi catholici in tres partes dividuntur. Nonnulli enim affirmant, statum naturae purae impossibilem esse, non in sensu *Lutheri*, et *Baji*, quasi scilicet gratia, et immortalitas naturae ipsi debita proprietas esset; sed quia non decebat bonitatem, sapientiam, et providentiam Dei. Alii ex adverso docent, statum illum esse omni ex parte possibilem; atque hi rursus dividuntur in duas classes; nonnulli enim docent, statum illum purae naturae potuisse semper durare; nonnulli vero dicunt, non potuisse in perpetuum,

imo

imo nec ad tempus diuturnum manere. Alii denique media quadam incedunt via, asserentes possibilem quidem esse statum illum, excepta concupiscentia, quam ut supra diximus, docent esse non naturalem proprietatem, sed naturae ipsius vitium.

## PROPOSITIO.

*Quamvis Deus potentia sua absoluta potuisset creare hominem sine ullo supernaturali dono; probabiliter tamen defendi potest sententia* Norisii, Berti, Contensoni, *aliorumque Theologorum; scilicet, statum purae naturae esse impossibilem, non quidem in sensu Lutheri, aut Baji, sed in sensu catholico; hoc est quia non decebat Dei bonitatem, sapientiam, providentiam.*

*Prima pars.* patet; Quia quod supernaturale est, indebitum est naturae: et quidquid contradictionem, ac rerum repugnantiam non involvit, id absoluta Dei potentia fieri potest.

*Prob.* 2a. *pars.* Status purae naturae conditiones complectitur quatuor. 1.° Quod homo non sit ordinatus ad gloriam, quae in visione Dei est. 2.° Quod omni careat supernaturali gratia. 3.° Quod obnoxius sit concupiscentiae. 4.° Quod subjaceat morti, aliisque aerumnis. Atqui non decebat bonitatem, sapientiam, ac providentiam Dei hujusmodi creare hominem. Nam 1.° finis naturalis cujuscumque rationalis creaturae est beata Dei visio, et gloria, ut supra verisimile esse demonstravimus: naturalis, inquam, quoad *appetitum*, licet supernaturalis sit quoad *media*, quibus illum assequatur. 2.° Posito hoc naturali ordine humanae naturae ad gloriam, non decebat bonitatem, sapientiam, et providentiam Dei denegare adjumenta, quibus posset ad finem illum perveniri, gratiam scilicet habitualem, vel saltem actualem. Imo etsi ponamus, naturalem hominis finem esse visionem Dei naturalem, ejusque amorem ut auctoris naturae, ad hoc ipsum necessaria erat gratia Dei, quae coerceret in homine φιλαυτιαν, seu amorem sui ipsius, et cupiditatem. Quibus accedit, quod

quod quaecumque fingatur naturalis beatitudo, ad quam homo necessario inclinatur, non potest illa constare sine securitate numquam amplius eam amittendi. Quae securitas cum sine gratia esse nequeat; quia nemo naturae viribus certus esse potest, se numquam in aeternum peccaturum: perspicuum videtur, in statu naturae purae impossibilem esse quamcumque beatitudinem; ideoque in statu illo ejus esse hominem conditionis, ut numquam finem suum, quicumque tandem ille sit, possit attingere: quod sapientiam Dei, bonitatem, providentiam non decet. 3.° Concupiscentia, utpote per se *materialiter* mala, ac vitium, vel non est a natura, ut docent nonnulli Theologi, de quibus supra diximus *cap. praec.*; vel saltem maximum est impedimentum, quominus homo finem suum assequatur. Imo in statu purae naturae, exclusa gratia Dei, qua concupiscentia fraenatur, ac vincitur, omnes homines sine dubio praevaricatores effecisset praecepti illius, quod Deus non poterat homini non imponere, scilicet ut ipsum Deum, saltem ut naturae auctorem, super omnia diligeret; ideoque omnes homines ad damnationem ipse adduxisset: quod Dei bonitatem, sapientiam, et providentiam non decebat. *In natura hominis ante peccatum pacem decebat esse, non bellum*, inquit Augustinus *Lib. III. cont. Julian. cap.* 11. 4.° Ipsa concupiscentia, ut et mors, aliaeque hujus vitae aerumnae, magnae miseriae sunt argumentum; unde exclamabat Apostolus: *Infelix ego homo.* Atqui id non decebat bonitatem, sapientiam, et providentiam, Dei, qui rationales creaturas non ad miseriam, sed ad felicitatem condidit; unde illud axioma Augustini *Lib. I. Op. Imperf. conct. Julian. Sub Deo justo nemo miser esse potest, nisi mereatur.* Quo in axiomate, ut et in aliis Augustini sententiis, *justum* non de stricta justitia, quae inter Deum, et creaturam intercedere nequit, accipiendum est; sed de eo quod Dei sapientiam decet, bonitatem, providentiam. Ergo status naturae purae, posita bonitate Dei, erat omni ex parte impossibilis.

*Prob.* II. ex *Augustino*, qui statum purae naturae pluribus in locis demonstrat impossibilem contra Pela-

gium

giem, qui asserebat, revera Adamum in eo statu fuisse conditum, atque in eodem statu nunc nasci homines. Id S. Doctor refellit non solum ex Scriptura, sed ex ipsis rationibus paulo ante allatis. Unde concludit *Lib. IV. cont. Julian. cap. ult. Quid restat, nisi ut causa istorum malorum sit aut iniquitas, aut impotentia Dei, aut poena peccati? Sed quia nec injustus, nec impotens est Deus, restat, quod grave jugum super filios Adam non fuisset, nisi delicti meritum praecessisset.* Et *Lib. IV. cont. Julian. cap. 3. Bonam dicis hominis naturam, quae talis gratiae opitulationem meretur: quod gratanter audirem; si hoc propterea, quia rationalis creatura est, diceres; neque enim gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum lapidibus, aut lignis, pecoribusque praestatur; sed quia imago Dei est, meretur hanc gratiam.*

*Prob.* III. ex S. Thoma *in II. Dist. III. Q.* 1. *art.* 1. ubi ait: *Oportuit, naturam humanam taliter institui, ut non solum haberet illud, quod sibi ex principiis naturalibus debebatur; sed etiam aliquid ultra, per quod facile in finem perveniret.* Et *Lib. IV. cont. Gent. cap.* 52. *Considerando divinam providentiam, et dignitatem superioris humanae naturae, satis probabiliter probari potest, hujusmodi defectus concupiscentiae, mortis etc. esse poenales; et sic colligi potest, humanam naturam peccato aliquo esse infectam.*

Ex quibus, aliisque, quae fusius tractantur a Theologis, concludit Ægidius Romanus *in II. Dist. XXX. Q. I. art.* 1. *Cogimur dicere, fuisse quandam opportunitatem, et quandam necessitatem, et quoddam debitum, quod natura humana in sui institutione fuerit cum dono quodam supernaturali, et gratuito: sed hujusmodi necessitas non potest esse absolute, et simpliciter; quia tunc gratia non esset gratia. Ergo licet Deus naturae humanae nihil debeat, debebat tamen sibi ipsi, suaeque sapientiae, bonitati, ac providentiae naturam humanam justitia originali adornare; ac proinde status purae naturae impossibilis est.* Vide Norisium *in Vindiciis August.*, Fulgentium Bellelli in Lib. qui titulus

 Mens.

*Mens Augustini*, aliosque ex Augustiniana schola Theologos, *Lafosse*, *Clenaertium*, alios, quibus adde ex Thomistis *Contensonium*, *Zumel*, alios.

## *Scholion.*

Rationes, quae testatum naturae purae in homine impossibilem fuisse concludunt, etiam in Angelis impossibilem fuisse probant, exceptis iis, quae de morte, aliisque vitae mortalis aerumnis sunt homini peculiares; neque ullum possunt in Angelis habere locum.

## *Solvuntur Objectiones.*

*Objic.* I. *Pius V.* et *Gregorius XIII.* damnarunt hanc *Baji* propositionem num. LV. *Deus non potuisset a principio talem creare hominem, qualis nunc nascitur.* Ergo contraria propositio vera est; ac proinde possibilis est status purae naturae.

*Dist. ant.* Damnarunt hanc propositionem in sensu *Baji*, *conc.* In sensu *Augustini*, *S. Thomae*, et catholicorum Theologorum, qui illam ante, et post laudatos Pontifices innoxie defenderunt, ac defendunt, *neg.* Sciendum ergo est, summos illos Pontifices non damnasse theses ex *Bajo* excerptas in quocumque sensu; alioquin dicendum esset, Deum potuisse a principio creare hominem in peccato, qualis nunc nascitur, quod absurdum est; sed in sensu auctoris; ajunt enim post recensitas theses: *Quas quidem sententias . . . quamquam nonnullae aliquo pacto sustineri possent, in rigore, et proprio sensu ab assertoribus intento . . . . damnamus etc.* Et hoc Theologi omnes fatentur. Sensus autem *Baji* erat, originalem justitiam, etiam quatenus gratiam, et immorralitatem complectebatur, proprie gratiam vocari non posse, sed fuisse naturae proprietatem, eoque titulo ipsi debitam; ita ut si Deus illam homini denegasset, maneam quodammodo condidisset naturam. Patet autem hic sensus non solum ex aliis propositionibus ibi damnatis; sed etiam ex Libris ejus Auctoris, ut fuse ostendit Laurentius Berti *Tom. V. Dissert. III.*, et fatetur Bellarminus *Lib. De Gratia Primi hom.* cap.

*cap.* 1., ubi postquam retulit *Lutheri* sententiam, qui docebat, tam naturale fuisse primo homini diligere Deum, credere Deo etc. quam naturale est, quod oculi lumen recipiunt, subjungit: *Huc etiam referri debent articuli ante paucos annos a duobus summis Pontificibus damnati Pio V. et Gregorio XIII.* Caeterum tam aperte hodie demonstrata est differentia sententiae Augustinianae a damnatis articulis, per scripta *Norisii*, *Bellelli*, *Berti*, quae sedes Romana probavit, ut haec objectio jam obsolverit.

*Objic.* II. Augustinus *Lib. I. Retract*, *cap.* 9. confirmans quod dixerat *Lib. III. de Lib. arb. cap.* 20. ait: *Quamvis ignorantia, et difficultas essent hominis primordia naturalia, non culpandus, sed laudandus esset Deus.* Ergo possibilis est status purae naturae.

℟. *Neg. cons.* Arguit enim ibi S. Doctor contra Manichaeos, qui contendebant, ignorantiam, et concupiscentiam, uti nunc sunt, non esse peccati effectus, sed primordia naturae: ex quibus inferebant, esse Deum malum, nec Scripturas admittebant Vet. Testamenti, ex quibus constat, Deum fecisse hominem rectum; per peccatum autem seipsum hominem infinitis quaestionibus miscuisse. Respondet Augustinus, id non sequi ex falsa illa Manichaeorum hypothesi; quia si ignorantia, et difficultas primordia naturae essent, dedisset Deus homini gratiam, qua utrumque malum vinceret, et in virtute proficeret; ac proinde culpandus non esset Deus. At a statu purae naturae excluditur gratia. Non ergo *Augustinus* statum illum possibilem agnovit.

*Inst.* 1.° Idem Augustinus *Lib. III. de lib. arb. cap.* 20. *Si anima*, inquit, *altera esse coepit ante peccatum, qualis post vitam culpabilem facta est, non parvum bonum habet, unde Creatori suo gratias agat. Non enim mediocria bona sunt, non solum quod anima est, sed etiam quod facultatem habet, ut, adjuvante Creatore, seipsam excolat, et pio studio possit omnes capere virtutes, per quas et a difficultate cruciante, et ab ignorantia caecante liberetur.* Ergo potuerunt esse in anima ante peccatum ignorantia, et difficultas, quales sunt post peccatum.

℟. *Dist. cons.* In hypothesi purae naturae, *neg.* In hypothesi falsa, atque impossibili Manichaeorum, *conc.* Docet enim ibi *Augustinus*, in illa hypothesi non defuturam fuisse homini gratiam, per quam, adjuvante Creatore, posset omnes virtutes acquirere, et liberari pio studio ab ignorantia caecante, et difficultate cruciante; ideoque etiam in illa Manichaeorum hypothesi non esse culpandum, sed laudandum Deum. Sed haec gratia non ponitur in hypothesi purae naturae.

*Inst.* 2.° Gratia, quam *Augustinus.* agnovit in illa Manichaeorum hypothesi, est ordinis naturalis. Ait enim: *Non parum est accepisse naturale judicium, quo sapientiam praeponat errori, et quietem difficultati, ut ad haec non nascendo, sed studendo, perveniat.* Ergo in illa hypothesi status fuisset purae naturae.

℟. *Neg. subs.* Conceptis enim verbis ait, naturale judicium potuisse ad ea bona pervenire, *adjuvante Creatore.* Cujus autem generis esset illud adjutorium, non necesse erat tunc inquirere; satis enim ibi erat refellere Manichaeos, qui ex ignorantia, et difficultate concludebant, esse aliquod primum mali principium, Deo coaeternum. Sed disputatus contra Pelagianos, ex ignorantia, et difficultate necessitatem ostendit supernaturalis auxilii; et quidem efficacis, ut suo loco videbimus. Adde his, quod ibidem *Augustinus* ait, naturale hoc judicium, *adjuvante Creatore*, posse acquirere virtutes omnes, et ad ipsam beatitudinem pervenire: *Ignorantia vero, et difficultas, si naturalis est, inde incipit anima proficere, et ad cognitionem, et requiem, donec in ea perficiatur vita beata, promoveri.* Quae nemo dixerit per naturale auxilium ex *Augustino* fieri potuisse.

*Objic.* III. Augustinus *Lib. XIII. de Civ. cap.* 19. *et Lib. XIII. Confes. cap.* 3 docet, immortalitatem, aliasque justitiae originalis dotes fuisse gratuita Dei dona, et prorsus indebita: Ergo sine illis poterat Deus hominem condere.

℟. *Conc. ant.* Non enim negamus cum *Luthero*, ac *Bajo*, justitiam originalem fuisse supernaturale Dei donum *Dist. cons.* Ex potentia absoluta, *conc.* Ex potentia conjuncta cum bonitate, sapientia, providentia, *neg.*

*Inst.*

*Inst.* 1.° Idem S. Doctor *in Psal. LXX.* ait: *quis diceret Deo; quid fecisti? si damnaret justum.* Ergo si ex Augustino posset Deus, pro absoluto suo in creaturas dominatu, damnare etiam aeternis cruciatibus hominem justum; a fortiori condere hominem posset in puris naturalibus, obnoxium malis longe minoribus.

℟. *Neg. cons.* 1.° Quia mendosus est *Augustini* locus, ut ostendunt *Maurini PP.*, legendum enim est, *si damnaret injustum*; ita ut ea sententia sit, neminem de Deo queri potuisse, si omnes homines damnare, neminem liberare voluisset, quia omnes injusti. 2.° Quia aliud est quaerere, quid possit Deus ex absoluta potentia; aliud quid possit ex sua sapientia, bonitate, providentia.

*Inst.* 2.° Absurdum est, Deum posse aliquid operari ex sola potentia sine sapientia, bonitate, providentia, cum inseperabilia sint attributa Dei, imo omnia sint unum simplicissimum. Ergo quando dicitur Deus aliquid posse, non solum de potentia, sed de omnibus simul attributis intelligendum est.

℟. *Neg. suppositum* Cum enim dicimus, aliquid fieri posse ex potentia Dei absoluta, sensus non est, qui in objectione ponitur, Deum posse ex uno attributo sine alio operari, quod absurdum est, sed cum sit inter attributa Dei distinctio *virtualis*, potest mens nostra distinguere quid conveniat potentiae Dei, quid misericordiae, justitiae, sapientiae etc. Cum ergo omnipotentia Dei, seorsim considerata, possit quidquid contradictionem non involvit, recte dicimus, fieri posse ex absoluta Dei potentia quod rerum naturae non repugnat: licet fieri non possit, quia Dei potentia simul cum aliis ejus attributis operatur.

*Objic.* IV. Quod non repugnat possibile est. Atqui non repugnat, Deum creare hominem ad finem aliquem naturalem, nempe visionem ipsius Dei naturalem, et quidem cum concupiscentia non adeo effraeni, ac rebelli, qualis hodie est, quam concupiscentiam posset homo naturalibus rationibus vincere, ne eum impediret, quominus Deum diligeret ut naturae auctorem, et finem suum consequeretur; denique subjectum morbis, ac mor-

ti non ut poenae, sed ut necessario defectui naturae materialis. Ergo.

℟. *Dist. maj.* Quod non repugnat, possibile est *absolute conc.* Posita Dei bonitate, sapientia, providentia, *neg.* Nam etiam in illa hypothesi magna esset miseria creaturae rationalis sine sua culpa, non solum propter morbos et mortem, qua nihil est sensui horribilius (quamvis non poena, sed defectus esse diceretur) verum etiam, quia concupiscentia quantumcumque ponatur levis, tamen cum sit assidua, tandem aliquando morali quadam necessitate in peccatum trahit, si non gratia Dei vincatur; nec umquam sine Dei gratia haberi posset non peccandi securitas, sine qua non potest vita beata constare.

Jam quomodo e gradu tam sublimi, de quo hucusque diximus, homo ceciderit; videamus.

## C A P. VIII

### *De peccato primorum parentum.*

*Adv.* I. Licet Deus primos homines multis exornaverit donis; non tamen eos effecerat natura ἀναμάρθητους, sive *impeccabiles*; quia nihil praeter Deum immutabile esse potest; ut ait Hieronymus *Lib. II. cont. Pelag. Cuicumque creaturae rationali*, inquit Augustinus *Lib. II. cont. Maximin. cap.* 12., *praestatur, ut peccare non possit, non est hoc naturae propriae, sed Dei gratiae*: quam gratiam reservaverat Deus homini ut perseverantiae praemium. Poterat quidem efficere Deus per efficacem gratiam, ut certissime perseveraret; sed *ut non acciperet hoc donum Dei, id est in bono perseverantiam primus homo; sed perseverare, vel non perseverare in ejus relinqueretur arbitrio, tales vires habebat ejus voluntas, quae sine ullo fuerat instituta peccato, et nihil illi ex seipsa concupiscentialiter resistebat, ut digne tantae bonitati, et bene agendi facilitati perseverandi committeretur arbitrium*, ut loquitur idem S. Doctor *Lib. de Corr. et grat. cap.* 12.

II. Cur autem Deus hominem, quem praeviderat peccaturum, creaverit, non est explicatu difficile; non enim

enim praescientia peccati impedire Deum debuit, quominus divitias bonitatis suae in creaturam effunderet. At cur tentari permiserit, investigare non possumus. Certissimum est tamen, nulla interiori concupiscientia hominem fuisse pulsatum; sed tantum externa tentatione, eaque adeo levi, ut nos ipsi in hac corruptae naturae faece miremur, eam adversus fortissimos praevalere potuisse. 2.° Hanc. Deum non fuisse permissurum, nisi fuisset sapientiae suae convenientissimum, et nisi ipse sciret, et posset, et vellet bona facere de malis, sicut homo de bonis mala facturus erat. *Si quaeritur*, inquit Augustinus *Lib. XI. de Gen. ad lit. cap. 4., cur Deus tentari permiserit hominem, quem tentatori consensurum esse praesciebat, altitudinem quidem consilii ejus penetrare non possum, et longe supra vires meas hoc esse confiteor.* Nostrum est hic tantum exponere Dei praeceptum, diaboli tentationem, hominis casum.

## PROPOSITIO I.

*Lex a Domino imposita Adae, ne comederet unius arboris fructum, fuit aequissima.*
*Est dogma fidei.*

*Prob.* ratione Augustini *Lib. XIV. de Civ. cap. 12. et Lib. II. de Pecc. merit. cap. 21.* 1.° Ratio aequitatis id postulabat, ut creatura Creatori suo subjiceretur, eique obtemperaret. Atqui ad hoc lata fuit illa lex. Ergo etc. 2.° Maximum bonum, magnaque virtus est obedientia. Ergo ut illam exerceret homo in tanta sublimitate constitutus, sapientissime, et aequissime Deus illi praeceptum imposuit. 3.° Denique certum, est, a Deo justo legem injustam juberi non posse. Ergo.

## PROPOSITIO II.

***Diabolus ad transgressionem aequissimi hujus praecepti incitator, ac suasor fuit, usus serpente tamquam instrumento.***

*Prob.* 1a. *pars*, quae ad fidem pertinet. *Sap. II.* 24. *Invidia diaboli mors introivit in orbem terrarum. Joan. VIII.* 44. de diabolo dicitur: *Ille homicida fuit ab initio.* Et *Apoc. XII.* 9. *et XX.* 2. idem appellatur *serpens antiquus.* 2.° Non poterat solus serpens per se loqui, et suadere peccatum adeo callida insinuatione. Ergo a spiritu nequam movebatur.

*Prob.* 2a. *pars* ex ipso Scripturae textu. *Gen. III.* 1. *Sed et serpens erat callidior cunctis animantibus terrae, quae fecerat Dominus Deus. Qui dixit ad mulierem etc.* Ergo.

*Quaeres* 1.° *Cur Diabolus serpente usus sit, et non potius transfiguravit se in Angelum lucis?*

℟. Non permisisse Deum, ut Diabolus quam vellet, speciem assumeret, sed tantum belluae, ut tentatio esset omnium levissima, et fraus a quocumque, etiam plumbei ingenii facile detegi, et vitari posset. Ita fere Augustinus *Lib. XI. de Gen. ad lit. cap.* 3.

*Quaeres* 2.° *Fuit ne verus, an apparens ille serpens?*

℟. Variae sunt hac de re sententiae Patrum. Cyrillus Alex. *Lib. III. con. Julian.* putat, non fuisse verum serpentem, sed serpentis simulacrum. Communis tamen Patrum sententia est, fuisse serpentem verum, per quem diabolus locutus est; sicut postea locutus est Angelus per asinam Balaam *Num. XXII.* 28. Ita docent Basilius *Hom. ult. Hexam.* Chrysostomus *Hom. XVI. et XVII. in Gen.*, Ambrosius *Lib. de Paradiso cap.* 2., Augustinus *Lib. XI. de Gen. ad lit. cap.* 2. *et seq. et al.* aliique plurimi (a). Unde rejicienda sententia Orige-

(a) Epiphanius *in haeresi Ophitarum*. Theodoretus *Quaest. XXXI. et XXXII. in Gen.*, Damascenus *Lib. II. de fide cap.* 10., Beda, Rupertus, Magister sent., et omnes Scholastici.

*gensis*, quem secutus est Cajetanus *Comment. in Gen.* totam hanc tentationis historiam ad allegoriam detorquens. non solum contra communem Patrum doctrinam, sed etiam contra apertum Scripturae sensum. Dicitur autem serpens callidior cunctis animantibus vel propter naturalem quendam instinctum, quo callidus, et prudens videtur; unde illud *Matth. X.* 16 *Estote prudentes sicut serpentes*, ut multi Patres sentiunt; vel quia instrumentum diaboli erat; sicut lingua dolosa dicitur, non quod ipsa dolum habeat, sed quod eam mens dolosa moveat, ut explicat Augustinus *Lib. XI. de Gen. ad lit. cap.* 29.; vel denique propter utramque causam; quia scilicet, diabolus natura vafer, tali usus est instrumento, quod propter naturalem calliditatem ad suas machinationes videbatur aptum.

## PROPOSITIO III.

*Peccatum primorum parentum, licet non ex objecto, ex circumstantiis tamen fuit gravissimum, pluraque simul peccata complectens.*

*Prob.* 1a. *pars*. Sunt alia peccata ex objecto graviora peccato Adae; ut ex. gr. odium Dei, blasphemia, homicidium. Ergo.

*Prob.* 2a. *pars* enumeratione circumstantiarum; quae peccatum illud comitatae sunt. Prima est praecepti facilitas. *Hoc itaque*, inquit Augustinus *Lib. XIV. de Civ. cap.* 12., *de uno cibi genere non edendo, ubi aliorum tanta copia subjacebat, tam leve praeceptum ad observandum, tam breve ad memoria retinendum, ubi praesertim nondum voluntati cupiditas resistebat, quod de poena transgressionis postea subsecutum est, tanto majore injustitia violatum est, quanto faciliore posset observantia custodiri.*

Altera est sublimis peccantium dignitas. *Frustra*, inquit idem S. Doctor *Lib. VI. Op. imperf. cont. Julian. cap.* 22., *peccato Adae peccata filiorum ejus quantumlibet magna, et horrenda, vel aequare, vel etiam praeferre conaris. Illius quippe natura, quanto magis sublimiter stabat, tanto magis graviter cecidit.*

Ter-

Tertia est bonum, quo gaudebant, et gratia, qua ornati erant, quae bona peccando abjecerunt. *Quanto magis homo fruebatur Deo, tanto majore impietate dereliquit Deum, et factus est malo dignus aeterno*, ait idem *Lib. XXI. de Civ. cap.* 12.

Quarta est contemtus Dei, et grandis erga eum ingrati animi significatio. *Quia ergo contemptus est Deus jubens, qui hominem creaverat, qui ad suam imaginem eum fecerat, qui ceteris animalibus praeposuerat, qui in paradiso constituerat, qui rerum omnium copiam, salutisque praestiterat, qui praeceptis nec pluribus, nec grandibus, nec difficilibus oneraverat, justa damnatio subsecuta est etc. Lib. XIV. de Civ. cap.* 15.

Quinta est effectus, qui ex peccato illo secuturus erat; totius nimirum humani generis ruina, totaque peccatorum colluvies, quae universum orbem usque ad finem mundi contaminatura erat, ob effraenem cupiditatem ex primo illo peccato exortam.

*Prob.* 3a. *pars.* ex eodem Augustino *Enchirid. cap.* 45. *Et superbia est illic, quia homo in sua potius esse, quam in Dei potestate dilexit. Et sacrilegium, quia Deo non credidit. Et homicidium, quia se praecipitavit in mortem. Et fornicatio spiritualis, qua integritas mentis humanae serpentina suasione corrupta est. Et furtum, quia cibus prohibitus usurpatus est. Et avaritia, quia plusquam illi sufficere debuit, appetivit.* Praeter haec, quae fuerunt utrique peccanti communia, in Heva etiam fuit scandalum, quo virum in peccatum impulit: eoque nomine peccatum ejus gravius fuit, unde dicitur *Eccli. XXV.* 33. *A muliere initium peccati, et per illam omnes morimur*; licet ratione dignitatis, cognitionis, effectus, peccatum Adae gravius videatur. *Si pensentur conditiones ex parte peccantis, gravius peccavit vir, quam mulier, tum propter donorum praecellentiam, tum propter gradus praeeminentiam . . . . . Si autem pensentur conditiones ex parte peccati, gravius peccavit mulier, quam vir, tum propter impietatem in Deum, tum propter iniquitatem in proximum*, inquit Bonaventura in *II. Dist. XXII. art.* 1. *q.* 3. Ergo.

Sche-

### Scholion.

I. Hevae peccatum fuit etiam contra fidem, non vero peccatum Adae. Unde Augustinus *Lib. XIV. de Civ. cap.* 13. *Si voluntas*, inquit, *in amore superioris immutabilis boni, a quo illustrabatur, ut videret; et accendebatur, ut amaret, stabilis permaneret, non inde ad sibi placendum averteretur, et ex hoc tenebresceret; et frigesceret, ut vel illa verum crederet dixisse serpentem, vel ille Dei mandato uxoris praeponeret voluntatem, putaretque, se venialiter transgressorem esse praecepti, si vitae suae sociam non desereret etiam in societate peccati.* Non desunt tamen qui volunt, ipsum Adam usque adeo excaecatum, ut veram promissionem serpentis crediderit, et contra fidem peccaverit, ut ait Tertullianus *Lib. II. cont. Marcion. cap.* 2. *Quis dubitabit, ipsum illud Adae delictum haeresim pronunciare?* Ideo autem dici putant ab Apostolo Adam *non seductum*, quia non prior seductus est, ut Heva. Illud certum est, licet non peccasset contra fidem, tamen merito peccati amisisse fidem, ut infra dicemus.

II. Ex verbis Augustini, quibus ait, Adamum putasse se venialiter transgressorem esse praecepti, oritur quaestio inter Scholasticos, utrum primi parentes in statu innocentiae potuerint peccare venialiter. *Scotus* quidem *in II. Dist. XXI. Q.* 1., Antissiodorensis *in Summa Lib. II. tract. X. cap.* 3. *q.* 4. aliique id affirmant. *Si enim*, inquit Scotus, *donum innocentiae, vel justitiae originalis non obstabat, quominus potuisset peccare mortaliter, multo minus obstitisset peccato veniali.* Contra vero S. Thomas 2a. 2ae. *Q. LXXXIX. art.* 3. *et in II. Dist. XXI.*, Alexander Halensis *P. II. Q.* 104. *n.* 6., Albertus M., Bonaventura, Richardus, Durandus, et major, graviorque Theologorum pars id negat; tum, quia nullum veniale peccatum fieri potest, nisi ex aliquo inordinato animi affectu in creaturas, quae inordinatio ab illo statu exulabat, tum quia nulla erat eo in statu poena, et miseria: peccatum autem veniale magnam inferebat calamitatem; omne enim peccatum meretur poenam: imo ipsum peccatum est miseria omni poena gravior

vior. Haec altera sententia probabilis est; sed *Scoti ratio* gravioris videtur ponderis.

## CAP. XI.

### *De poena peccati primorum parentum.*

*Adv.* QUoniam peccati comes individua est miseria, et poena, ne *universalis pulchritudo turpetur, ut sit in ea peccati dedecus, sine decore vindictae*, ut inquit Augustinus *Lib. III. de lib. arb. cap.* 15.; videamus peccatum Adae quae poena secuta sit.

### PROPOSITIO

*Poena peccati primorum parentum fuit amissio justitiae originalis, debitum poenae aeternae, ignorantia in intellectu, difficultas bene agendi in voluntate, concupiscentia in inferioribus potentiis, mors, et omnes corporis infirmitates, aliaeque omnes aerumnae, ut aeris intemperies, terrae sterilitas etc. Prop. ad fidem pertinet.*

*Prob.* 1a. *pars.* Justitia et peccatum simul in anima esse non possunt: *Spiritus enim Sanctus disciplinae effugiet fictum . . . nec habitabit in corpore subdito peccatis. Sap. I.* 5. *et* 4. Et Concilium Trid. *Sess. V. can.* 5. definit, *primum hominem Adam, cum mandatum Dei in paradiso fuisset transgressus, statim sanctitatem, et justitiam, in qua fuerat constitutus, amisisse.*

*Prob.* 2a. *pars.* Peccato mortali aeterna debetur poena, ut supra diximus de poena peccati Angelorum. Ergo.

*Prob.* 3a. *pars.* Scientia Adae alia erat supernaturalis, alia naturalis. Atqui supernaturalem scientiam, ipsamque fidem eum amisisse, docent Patres. *Perdidit* Adam *fidem perdidit charitatem*, inquit Prosper *Lib. cont. Collator. cap.* 19.; eique consentiunt Ambrosius *in cap.* 10. *Luc.*, Augustinus *Lib. XIV. de Civ. cap.* 17., Ful-

Fulgentius *Lib. de Incarn. et grat. cap.* 13. Scientiam vero naturalem, licet omnino non amiserit, multum tamen obscuratam, multisque erroribus obnoxiam habuit, ut saepe docet Augustinus: *approbare*, inquit, *falsa pro veris, ut erret invitus; non est natura instituti hominis, sed poena damnati*; et alibi, *nolentibus subintravit ignorantia rerum agendarum*. Ergo.

*Prob.* 4a. et 5a. *pars*. Cum mens hominis per peccatum a Deo defecerit, cui subjecta esse debuit, justo Dei judicio factum est, ut omnes facultates, quae menti subjectae esse debuerant, ab ipsa deficerent, eique aperta rebellione reluctarentur: imo ipsa mens sibimetipsa contraria per inordinatum sui ipsius amorem, quem Graeci φιλαυτιαν vocant, in boni electione sibimetipsa impedimento esset. Hoc autem ita in primis parentibus per peccatum accidisse, patet 1.° ex Scriptura, quae refert, eos post peccatum pudore nuditatis correptos *consuisse sibi folia ficus, et fecisse sibi perizomata*: 2.° ex *Augustino*, qui millies docet, ex peccato Adae secutam concupiscentiam, et difficultatem bene agendi: 3.° ex eo quod Augustinus ipse, aliique Patres docent, Adam per peccatum amisisse liberum arbitrium, hoc est libertatem a difficultate; nam libertatem a necessitate, quae creaturae rationali essentialis est, nec amisit, ut suo loco ostendemus, nec amittere potuit. *Libero arbitrio male utens homo et sese perdidit, et ipsum .... cum libero peccaretur arbitrio, victore peccato, amissum est liberum arbitrium.* Quod saepe repetit ipse, aliique Patres (a). Unde tritum est illud apud Augustinum. *Sunt omni animae peccanti ista duo poenalia, ignorantia, et difficultas*: quae difficultas ex cupiditate effraeni oritur. Ergo.

*Prob.* denique 6a. *pars* ex ipsa Dei sententia, qua *Hevae* dixit: *multiplicabo aerumnas tuas, in dolore pa-*

ries

(a) *Enchirid. cap.* 20. *Epist.* 217. *al* 107. *ad Vital. Serm.* 131. *al.* 2. *de verb. Apost. cap.* 6.; *Prosper Sentent.* 152. *Chrysostomus Hom. XXIII. in Matth*, *Concil. Arausic. II. can.* 13., *Bernad. de Grat. et lib. arb. et. alii.*

*ries filios etc.* Adae vero: *maledicta terra in opere tuo; in laboribus comedes ex ea cunctis vitae tuae diebus: spinas et tribulos germinabit tibi, et comedes herbam terrae: in sudore vultus tui vesceris pane; donec revertaris in terram, de qua sumtus es: quia pulvis es, et in pulverem reverteris*: quibus verbis omnes vitae mortalis aerumnas complexus est Dominus. Ergo.

### *Corollarium*

Merito ergo Patres docent, hominem peccati merito non solum fuisse supernaturalibus donis spoliatum, sed etiam vulneratum in naturalibus: et eo sensu explicant parabolam hominis, qui a latronibus spoliatus, vulneratus, ac semivivus relictus est in via *Luc. X.* Ita docent Ambrosius *in Luc. X.*, Augustinus *Lib. II. Quaest. Evang. q.* 19. Beda *in Luc.* aliq. Unde Magister *Lib. II. Dist. XXV. Per illud*, inquit, *peccatum naturalia bona in homine corrupta sunt, et gratuita detracta.* Falluntur ergo qui cum Medina 1a. 2ae. *Q. LXXXV. art.* 3. *et al.* docent, solis supernaturalibus donis spoliatum hominem, eum catholica doctrina sit, ipsam naturam per peccatum fuisse mutatam in deterius. Vulnera autem naturae inflicta quatuor recenset, et explicat S. Thomas 1.a 2.ae *Q. LXXXV. art.* 3. secundum quatuor praecipuas naturae dotes, *intellectum*, *voluntatem*, *concupiscibile*, *et irascibile.* Vide Bellarminum *Lib. de Grat. prim. hom.* cap. 5. *et Lib. VI. de amiss. Grat. cap.* 8., Gonet *De statu naturae lapsae Disp. IV. art.* 3.

*Dices cont.* 3m. *part.* Fides non amittitur, nisi per peccatum infidelitatis, ut definit Concilium Trid. *Sess. VI. can.* 27. *et al.* contra Novatores. Atqui non constat, Adam peccasse contra fidem, ut supra diximus. Ergo saltem Adam non amisit fidem.

℟ *Dist. maj.* In statu naturae lapsae, *conc.* In statu naturae integrae, in quo peccavit Adam, *neg.* misericordiae igitur Dei est, quod hodie homini peccanti fidem non auferat, quod juste facere posset, ut docet Augustinus *Lib. III. de lib. arb. cap.* 18.; et aliquando facit, ut ait Apostolus *I. Tim. I.* 19. de quibusdam, qui circa fidem naufragarunt, eo quod bonam conscientiam repu-
le-

lerunt; et *Cap. VI.* de iis, qui avaritiam *appetentes erraverunt a fide.* At hanc misericordiam non merebatur Adam in tanta rerum supernaturalium scientia delinquens. Justum enim est apud Deum, ut qui sciens recta, non facit, ipsam recti scientiam amittat, ut loquitur *Augustinus.*

*Inst.* Si primi parentes amisissent fidem, non potuissent ad Deum converti, cum fides sit justificationis exordium: ut dicemus suo loco. Atqui revera conversi sunt post peccatum. Ergo.

℟. *Dist. maj.* Non potuissent converti, si Deus ex meritis Christi non dedisset eis iterum gratiam fidei, *conc.* Secus, *neg.* Gratiam igitur fidei, quam beneficio Creatoris acceptam amiserant, restituit eis gratia Redemptoris.

*Objic.* II. *contra totam prop.* Nimis durum videtur, et dedecens bonitatem Dei propter unius pomi gustum tam magnam irrogare poenam. Ergo.

℟. *Dist. ant.* Si non consideretur magnitudo illius peccati, *Transeat.* Secus, *neg.* *Quisquis hujusmodi damnationem vel nimiam, vel injustam putat, metiri profecto nescit quanta fuerit iniquitas in peccando, ubi tanta erat non peccandi facilitas. Sicut enim Abrahae non immerito magna obedientia praedicatur, quia ut occideret filium res difficillima est imperata; ita et in paradiso tanto major inobedentia fuit, quanto id quod praeceptum est, nullius difficultatis fuit. Et sicut obedientia secundi hominis eo praedicabilior, quo factus est obediens usque ad mortem; ita inobedentia primi hominis eo detestabilior, quo factus est inobediens usque ad mortem. Ubi enim magna est inobedientiae poena proposita, et res a Creatore facilis imperata, quisnam satis explicet, quantum malum sit non obedire in re facili, et tantae potestatis imperio, et tanto terrenti supplicio?* Augustinus *Lib. XIV. de Civ. cap.* 15.

## C A P. X.

*De primorum parentum resipicentia, et salute.*

*Adv.* DEus peccantem hominem non deseruit; sed ipsam damnationis sententiam temperavit promissione Redemptoris ex muliere nascituri, qui caput serpentis, id est diaboli ipsius superbiam contereret. *Gen. III.* 15. *Inimicitias*, inquit ad serpentem, *ponam inter te et mulierem, et semen tuum et semen illius, ipsa conteret caput tuum*; seu ut habet textus Hebraicus, *ipsum* (semen) *conteret caput tuum*. Ex hujus promissionis fide omnium hominum salutem pendere voluit. Quaeritur ergo, utrum ipsi primi parentes ex fide Redemptoris justificati, et salvi facti sint. Fuerunt enim haeretici Encratitae, qui, Tatiano praeeunte, Adamum salvum esse negarunt secundo Ecclesiae saeculo. *Rupertus Abbas* ea de re dubitavit, licet cum aliqui conati sint excusare; vel quia aliorum, non suam sententiam protulit, vel quia nondum constabat apud omnes auctoritas Libri Sapientiae, unde praecipuum eruitur pro salute Adae argumentum.

### P R O P O S I T I O

*Adam per poenitentiam salutem consecutus est. Idem dicendum est de Heva.*

*Prop.* I Sap. X. 1. *Haec illum, qui primus formatus est a Deo pater orbis terrarum . . . custodivit, et eduxit illum a delicto suo.* Ergo.

*Prob.* II. *ex Traditione.* Irenaeus *Lib. III. cap.* 34., Tertullianus *Lib. II. cont. Marcion cap.* 25, aliique Patres (*a*) uno ore Tatianum, et Encratitas in hoc capi-

(a) Origenes *Hom. XXXV. in Matth.* Epiphanius *Haeres. XLVI.*, Eusebius *Lib. IV. Hist. cap.* 29. *aliiq.*

pite confutarunt. Unde Augustinus *Epist. ad Evod. XCIX* nunc *CLXIV*. Et *de illo quidem primo homine, quod ibidem solverit* ( Christus ) *Ecclesia fere tota consentit*. Et in Litaniis S. Mariae Majoris Romae, teste *Laurentio Berti*, inter alia dicitur : *Sancte Adam, ora pro nobis*. Vide Bellarminum *Lib. III. de Amiss. gr. cap.* 12., et Natalem Alexandrum *Sacc. II. Dissert. XVII.*

*Prob.* III. rationibus *Irenaei*. Quarum praecipuae sunt 1.° Deus non maledixit Adae, et Hevae, sicut serpenti : 2.° potuisset diabolus gloriari, se non fuisse perfecte a Christo victum, si primi homines non fuissent ab ejus jugo liberati : 3.° ipse Adam Abel, et alios filios suos sacrificiorum rationem, totamque religionem edocuit. Ergo etc. Addi potest vetus traditio, cujus testes Cyprianus *Lib. de Resurr. Christi*, Origenes ( *loc. cit.* ) et alii (*a*) : Adam scilicet sepultum in ipso Calvariae monte, ubi crucifixus est Dominus, ut secundus Adam primi delicta dilueret. Sed quia de hac traditione Hieronymus *in cap. XXVII. Matth.* dubitat, licet alibi eam sequatur *Epist. ad Marcellam*, non illa est ad propositum necessaria.

*Objectiones solvuntur.*

*Objic.* I. Verba ex *Lib. Sapientiae* depromta non probant Adami poenitentiam, et salutem ; 1.° quia nonnulli codices habent *eduxit illum de limo terrae*, non *a delicto suo* ; 2.° quia statim additur : *et dedit illi virtutem continendi omnia* : quae verba Christo potius, quam Adamo conveniunt. Ergo.

℟. *Neg. ant.* et *ad* 1*m.* respondeo, melioris notae Codices tum Graecos, tum Latinos, et Patres, qui eundem locum recitant, Vulgatae nostrae lectionem probare. *Ad* 2*m. virtutem continendi omnia* esse ipsam dominationem Adamo datam super res omnes terrenas ; ac proinde ea verba etiam Adae convenire.



(a) Epiphanius *Lib. I. adv. haeres.* Chrysostomus *Hom. LXXXIV. in Joan.* Vide Bellarminum *loc. cit.*

*Objic.* II. *Heb. XI.* 4. Apostolus primum inter justos locum dat *Abeli*, non *Adae*; atque ipsum Abel velut initium Ecclesiae statuit. Atqui si *Adam* salutem esset consecutus, primo erat loco numerandus. Ergo.

℞. *Dist. maj.* Dat Abeli primum locum inter justos, qui pro justitia *subiere* mortem, vel peculiari fide fuerunt insignes, *conc.* Dat primum locum absolute, *neg.*

*Objic.* III. Bernardus *Lib. de modo beate vivendi*: *Adam*, inquit, *in infernum cecidit, quia inobediens fuit.* Ergo.

℞. 1.° *Neg. ant.* Liber enim ille *Bernardi* non est, ut ostendunt eruditi. 2.° *Dist. ant.* Cecidit in infernum quatenus id peccato suo meruit, *conc.* Cecidit actu, *Subdist.* Si nomine inferni intelligas sepulcrum, sive mortem, in quam Adamus incidit propter inobedientiam, *conc.* Si intelligas ipsum damnatorum carcerem, *neg.*

*Objic.* IV. Deus *Angelis peccantibus non pepercit.* Ergo multo minus homini.

℞. *Neg. cons.* Cur Deus homines, non Angelos redimere, et liberare voluerit, varias causas tradidere Patres; vel quia humana natura imbecillior erat; vel quia minoribus cumulata donis; vel aliam ob causam nobis ignotam, ita ut agere potius Deo gratias pro ejus misericordia, quam ejus consilia scrutari debeamus, et interim exclamare cum Apostolo: *O altitudo divitiarum sapientiae, et scientiae Dei! Rom. XI.* 33.

## C A P. XI.

### *De transfusione peccati Adae in ejus posteros, sive de peccato originali.*

*Adv.* I. PRimum hominem per peccatum sibi soli, et non ejus propagini nocuisse, docuerunt Manichaei, Pelagiani, Sociniani, Anabaptistae, atque omnes increduli. Pelagiani tamen aliquando ut sententiam temperarent, monstrosius errarunt, docentes, mortem quidem, aliasque poenas ex Adam derivatas esse in posteros, nullo modo peccatum, ita ut irrogetur a Deo poena sine culpa: quem errorem Zwingliani etiam profes-

fessi sunt, et in eundem ipse *Erasmus* inclinare visus est.

II. Contra ea praecipuum est Ecclesiae catholicae dogma, ex Adam in omnes ex illo natos peccatum, et damnationem; ex Christo vero in omnes ex illo renatos justitiam, et vitam aeternam derivari. Expendendum igitur hic est accuratius 1.° utrum revera originale peccatum sit: 2.° quid sit: 3.° quomodo traducatur. 4.° an aliquis a communi lege fuerit exceptus: 5.° quaenam ejus peccati sint poenae tum in ista, tum in altera vita.

## §. I.

### *Demonstratur, peccatum originale in omnes Adae posteros derivari.*

## PROPOSITIO

*Omnes homines per Adae peccatum nasci peccato, morti, aliisque miseriis obnoxios, dogma fidei est.*

*Prob. I. ex Scriptura* 1.° *Rom. V.* 12. *Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, et per peccatum mors, et ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt*; et *v.* 19. *per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi.* 2.° Psal. L. *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum: et in peccatis concepit me mater mea.* 3.° Job. XIV. 4. *Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine?* quod clarius in versione LXX. sic habet: *nemo mundus a sorde, nec infans, cujus est unius diei vita super terram*: quibus verbis hic locus saepe citatur a veteribus. 4.° II. Cor. V. 24. *Si unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt.* Et *Ephes. II.* 3. *Eramus natura filii irae, sicut et ceteri.* Ergo.

*Prob. II. ex PP.* De *Augustino* nullum est dubium, qui hoc dogma pluribus in libris contra haereticos fortius asseruit, ut in libris *contra Julianum*, *Lib. de peccato originali*, *Lib. contra duas Epist. Pelagianor.*, *et ali-*

*alibi.* Patres autem *Augustino* antiquiores ipse S. Doctor profert contra Pelagianos, quorum praecipui sunt hi, *Irenaeus*, *Cyprianus*, *Hilarius*, *Gregorius Nazianzenus*, *Basilius*, *Ambrosius*, *Chrysostomus*, *Hieronymus*. Ex quibus concludit: *Non aliud de peccato originali, ex quo Christi Ecclesia constituta est, divinarum Scripturarum Tractatores scripserunt, non aliud a majoribus acceperunt, non aliud posteris tradiderunt.* De iis vero, qui *Augustinum* secuti sunt, res est manifesta. Sufficiat pro omnibus Fulgentius *Lib. de Fide ad Pet. cap.* 26 *Firmissime tene, et nullatenus dubites, omnem hominem ... cum peccato originali nasci, impietati subditum, mortique subjectum, et ob hoc natura irae filium.* Idem docent SS. Pontifices Innocentius I. *in Epist. ad Conc. Carthaginense et Milevitanum*, Zosimus *in Epist. ad diversos orbis Episcopos*, Leo M., Gregorius M. et alii (*a*).

*Prob.* III. ex Conciliis Diospolitano, Cartaginensi, cui interfuit *Augustinus*, Milevitano, Arausicano II., Ephesino, Florentino, quorum definitiones et verba secutum Tridentinum *Sess. V. can.* 2. inquit: *Si quis Adae praevaricationem sibi soli, et non ejus propagini asserit nocuisse . . . . aut inquinatum illum per inobedientiae peccatum, mortem, et poenas corporis tantum in genus humanum transfudisse, non autem et peccatum, quod est mors animae, anathema sit.*

*Prob.* IV. *ratione Theologica.* 1.° Parvuli baptizantur ex Apostolica traditione: imo sollicite semper cavit Ecclesia, ne quis eorum sine baptismo moreretur. Atqui

(a) Ignatius *Epist. ad Trallens.* Justinus *Dial. cum Tryph.*, Iraeneus *Lib. V, cap.* 17., Tertullianus *Lib. de anima cap.* 40. Cyprianus *Epist. ad Fidum*, Hilarius *in Psal. CXVIII.*, Basil. *in Ps. XXXI. et al.* Ambrosius *in Apolog. David, et alibi apud August.* Cyrillus *Hieros. Cateches. II.* Nazianzenus *Orat. III. de pace, et al.* Hieronymus *in cap.*, 6. *Oseae, et al.*, Syricius *Epist. I. ad Himer.*, Chrysostom. *Homil. ad Neoph. et al.*, Reticius, et Olympius *ap. Augustin. Lib. cont. Julian. cap.* 2. *etc.*

qui baptizantur in remissionem peccatorum. Baptismus enim lavacrum est, quo homines peccato moriuntur, ut consepulti cum Christo, in novam renascantur vitam, ut ait Apostolus *Rom. VI.* Unde Cyprianus *Ep. ad Fidum*: *prohiberi*, inquit, a baptismo *non debet infans, qui nihil peccavit, nisi quod ex Adam carnaliter natus, contagium mortis antiquae propria nativitate contraxit.* Et Concilium Milevitanum *Can.* 2. *Placuit, ut quicumque parvulos recentes ab uteris matrum baptizandos negat, aut dicit in remissionem peccatorum eos quidem baptizari, sed nihil ex Adamo trahere originalis peccati, quod lavacro regenerationis expietur, anathema sit.* 2.° In administratione Baptismi Ecclesia semper adhibuit exorcismum, exufflationem, ut diabolum ab anima baptizandi foras expellat. Atqui si parvuli nullum haberent peccatum, ex quo potestati satanae subjecti essent, hic ritus esset superstitiosus, imo naturae auctori Deo injuriosus. His argumentis Augustinus ubique urget, et ad incitas redigit Pelagianos, qui Apostolicam hanc traditionem, et consuetudinem vetustate robustam reprehendere non audebant, nec poterant. 3.° Tanta est hujus vitae miseria cum tanta dignitate humanae naturae conjuncta, ut homo ipsis ethnicis philosophis aenigma visus sit. Supra autem docuimus, non decuisse divinam sapientiam, bonitatem, providentiam tantis malis innocentem hominem obruere. Unde Augustinus *Lib. IV. cont. Julian. cap. ult.* enumeratis vitae mortalis aerumnis: *Quid igitur*, inquit, *restat, nisi ut causa istorum malorum sit aut iniquitas, vel impotentia Dei, aut poena primi, veterisque peccati?* Et S. Thomas *Lib. IV. cont. Gen. cap.* 52. *Considerando*, inquit, *divinam providentiam, et dignitatem superioris partis humanae naturae, satis probabiliter probari potest, causam hujusmodi defectus esse poenalem; et sic colligi potest, humanum genus peccato aliquo originali esse infectum.* Quod autem ait, *satis probabiliter*, significat probationem, quae ad revincendos gentiles, contra quos scribebat, satis idonea videatur. Haec probatio valet etiam in hypothesi naturae purae. Fatentur enim ejus patroni, non tanta futura fuisse in illo statu mala, quanta in isto experimur. Ergo etc. Vide haec fusius apud Bellarminum *Lib.*

*Lib. IV. de amiss. grat.* Natalem Alex. *Hist. Eccl. Saec. V. Dissert. XXI. etc.*

*Objectiones solvuntur.*

*Objic.* I. Verba illa Apostoli *Rom. V.* 12. intelligi possunt eo sensu, quod Adam pessimum dedit inobedientiae exemplum; atque ita per ipsum intravit peccatum in mundum. Ergo nihil probant de peccato originali. Hinc *Erasmus* cum Apostoli locum sic latine reddidit: *propter unum hominem peccatum in mundum introiit . . . et sic in omnes homines mors pervasit, quatenus omnes peccaverunt.*

℟. *Neg. ant.* 1.° Quia Ecclesia catholica semper eum locum de peccato originis, non de peccato imitationis explicavit; et ita prorsus intelligendum definivit Concilium Milevitanum *Can.* 2. et Tridentinum *Sess. V. Can* 4. 2.° Quia Apostolus ibi Adamum Christo opponit, ita ut sicut a Christo justitia, ita ab Adamo peccatum derivetur. At a Christo non solum exemplo, sed etiam interiori gratiae inspiratione justitia derivatur in renatos. Ergo et ab Adamo peccatum. 3.° Quia si Apostolus de exemplo tantum locutus esset, potius dicere debuisset per diabolum, quam per Adam peccatum intrasse in mundum, cum ille primus fuerit peccati auctor. 4.° Quia Apostolus peccatum, et mortem peccati effectum, ait, ex Adamo in posteros pervasisse. At mors regnat etiam in parvulis, qui Adamum nullo pacto nosse, aut imitari potuerunt. Ergo loquitur de peccato in omnes homines ex Adam transfuso *occulta tabificatione naturae*, ut ait *Augustinus*, per quod omnes moriuntur. *Erasmi* autem versio pluribus peccat; 1.° quia quod est in Graeco *δια ενος ανθρωπε* vertit *propter unum hominem*; cum praepositio *δια* cum genitivo significet *per*, non *propter*; 2.° quia nulla ratione verbum *διηλθεν* vertit *pervasit*, pro pertransiit; et verba *εφ' ω in quo* vertit *quatenus*; licet etiam sic explicata eundem habeant sensum.

*Inst.* 1.° Apostolus ibidem v. 19. explicans, quo sensu per unum hominem peccatum in mundum intravit, subdit: *sicut per unius inobedientiam peccatores constituti*

*tuti sunt multi.* Atqui si de peccato loqueretur originis, non diceret *multi*, sed *omnes*. Ergo loquitur de peccato imitationis.

℟. *Dist. maj.* Et in laudato textu idem est *multi*, quod *omnes*, *conc.* Aliud est, *neg.* Ait enim: *sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem; sic et per unius justitiam in omnes homines in justificationem vitae. Sicut enim per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi: ita et per unius obeditionem justi constituentur multi.* Ergo quos prius dixerat *omnes*, postea dicit *multos*; quia revera omnes illi multi sunt: quod in aliis Scripturae locis observare licet. Vide Augustinum *Lib. VI. cont. Julian. cap.* 12.

*Inst.* 2.° Ex Apostolo sicut ex Adam in omnes transiit damnatio, ita ex Christo justitia. Atqui justitia ex Christo non in omnes homines transiit; sed tantum in eos, qui mortem Christi per baptismum imitantur. Ergo non in omnes transit Adae peccatum; sed in ejus dumtaxat imitatores.

℟. *Dist. maj.* Ita ex Christo justitia transit in renatos ex Christo, *conc.* In alios, *neg.* Sensus ergo est sicut peccatum transit in omnes, qui carnali generatione nascuntur ex Adam; ita justitia in omnes, qui spiritali regeneratione renascuntur ex Christo.

*Inst.* 3.° Addit Apostolus *ibid. Si unius delicto multi mortui sunt: multo magis gratia Dei . . . In plures abundavit.* Atqui gratia non abundat in omnes homines. Ergo multo minus Adae peccatum.

℟. *Neg. cons.* Quod enim in vulgata est *plures*, in Graeco est πολλους *multos*: unde plures illi non *comparative* accipiendi sunt, quasi plures justificentur ex Christo, quam inficiantur ex Adam; sed absolute pro multis. Illud autem *multo magis* non est referendum ad *plures*, sed ad verbum *abundavit*: hoc est multo magis gratia Dei abundavit in multos. Vide *Estium* in hunc Pauli locum, et S. Thomam *in Comment.*

*Objic.* II. *Ezech. XVIII.* 20. *Filius non portabit iniquitatem patris.* Ergo.

℟. *Dist. ant.* Non portabit iniquitatem patris *originalem*, quae infecit naturam et patris, et filii, ideoq. est propria etiam ipsius filii, *neg. Personalem*, *conc.*

Quod

Quod enim Deus minatus fuerat, se visitaturum iniquitatem patrum in filios usque ad tertiam, et quartam generationem, promittit hic, se non facturum in novo Testamento; sed peccata *actualia*, et *personalia* ipsi animae peccanti, non filiis, si parentes non imitentur, imputaturum. At peccatum originale ita est in parentibus, ut fiat etiam generatione proprium filiorum. *Parentum peccata*, inquit Augustinus *Lib. VI. cont. Julian. cap. 4.*, *modo quodam dicuntur aliena, et rursus modo quodam reperiuntur et nostra. Aliena quippe proprietate sunt actionis, et nostra sunt contagione propaginis. Quod si falsum esset, profecto grave jugum super filios Adam a die exitus de ventre matris eorum nullo modo justum esset.*

*Objic.* III. *Rom. V. 14. Regnavit mors ab Adam usque ad Moysen etiam in eos, qui non peccaverunt in similitudinem praevaricationis Adae.* Ergo non omnes in Adam peccaverunt.

℟. *Neg. cons.* Sensus enim est, etiam eos, qui non sunt transgressi propria voluntate legem ab ipsis cognitam, sicut transgressus est Adam, fuisse morti obnoxios; quia jam in omnes peccatum Adae trasmissum fuerat, et per peccatum mors.

*Objic.* IV. *II. Cor. V. 1.° Omnes nos manifestari oportet ante Tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum, sive malum.* Ergo nemo ob alienum factum vel praemio afficietur, vel poena; ac proinde nullum est originale peccatum.

℟. *Neg. cons.* Nam, ut arguit Augustinus *Lib. VI. cont. Jul. cap. 4* vel parvuli sistentur ante Christi tribunal, vel non. Si non sistentur, ergo haec Apostoli sententia de adultis tantum intelligitur, qui etiam de peccatis propria voluntate admissis rationem reddent. Si vero sistentur; cum non sint illi propriorum actuum capaces, id gessisse censentur, quod aliena voluntate contraxerunt; hoc est vel peccatum ex inobedientia Adae, ex quo nati sunt; vel justitiam ex obedientia Christi, ex quo sunt renati; alioquin dicendum esset, eos in tribunali Christi, nec bono, nec malo afficiendos, quod absurdum est, etiam in sententia adversariorum, qui contendebant, eos vita aeterna donandos.

*Objic.* V. cum Calvinistis. Saltem negari non potest, ex Apostolo filios fidelium nasci a peccato originali immunes; ait enim *I. Cor. VII.* 14. *Sanctificatus est vir infidelis per mulierem fidelem, et sanctificata est mulier infidelis per virum fidelem; alioquin filii vestri immundi essent, nunc autem sancti sunt.* Quem locum indicat Tertullianus cum ait *Lib. de Anima cap.* 39. *Nulla ferme nativitas munda est, utique Ethnicorum. Hinc enim et Apostolus ex sanctificato alterutro sexu sanctos procreari ait, tam ex seminis praerogativa, quam ex institutionis disciplina.* Ergo.

℟. *Neg. ant. Ad confirm. dist. ant.* Nunc autem sancti sunt, quia ad sanctitatem per baptismum pervenerunt, *conc.* Quia nati sunt sancti, *neg.* Vult ergo Apostolus, non separari conjuges, si alteruter Christianus fiat; quia saepe accidit, ut alter alterum ad veram religionem adducat, atque ita ipsi filii per baptismum sanctificentur, qui alioquin in peccato remansissent. *Tertullianus* vero non vult, filios fidelium absolute nasci sanctos; subdit enim: *quasi designatos tamen sanctitati, ac per hoc etiam saluti, intelligi volens fidelium filios ... ut hujus spei pignore matrimoniis, quae retinenda censuerat, patrocinaretur. Alioquin meminerat dominicae definitionis, nisi quis nascetur ex aqua, et Spiritu, non ibit in Regnum Dei; idest non erit sanctus: Ita omnis anima eousque in Adam censetur, donec in Christo recenseatur, tamdiu immunda quamdiu recenseatur.* Vult ergo esse sanctos, si cum infidelium filiis comparentur; hi enim *cum idololatria obstetrice nascantur, jam in partu Lucinae, Dianaeque devoventur*; illi vero quasi ab ipsa nativitatis conditione, et parentum institutione sanctitati devoventur.

*Inst.* Idem Tertullianus *Lib. de Baptismo cap.* 18. *Quid festinat, inquit, innocens aetas ad remissionem peccatorum?* Ergo parvulos habuit ut innocentes; ideoque non baptizandos, nisi adultos.

℟. *Dist. cons.* Habuit ut innocentes, quatenus actualia peccata propria voluntate nondum admiserunt, *conc.* Quatenus omni peccato immunes sint, *neg.* Vult ergo, utilius esse baptismum differre non solum parvulis, verum etiam adultis, donec quadam maturitate roboren-

tur

tur, tum ut adolescentiae peccata omnia abluant, tum ut baptismi leges, et Christianae religionis officia noscant. Quam *Tertulliani* rationem reprobavit semper Ecclesia. *Parvulos innocentes merito nuncupamus, secundum id quod ait Apostolus, nondum natos nihil egisse boni, sive mali; non secundum id quod ait: per unius inobedientiam peccatores constituti sunt multi*, ut inquit Augustinus *Lib. I. cont. Julian. cap.* 6.

*Objic.* VI. Chrysostomus *Homil. ad Neophytos* ait: *Infantes baptizamus, cum non sint coinquinati peccato, ut eis addatur sanctitas* (a). Ergo non immerito *Erasmus, Dallaeus*, aliique sentiunt, *Chrysostomum* docuisse non culpam, sed poenam ex Adamo trahi.

*R. Dist. ant.* Quamvis non sint coinquinati peccato actuali; *conc.* Originali, *neg. Peccata dixit, parvulos non habere, sed propria*, inquit *Augustinus*, respondens *Juliano* Chrysostomi auctoritatem opponenti *Lib. I. cont. Julian. cap.* 6.: quod et probat ex Graeco textu, in quo non dicitur, parvulos non esse peccato inquinatos, sed non *habere peccata* τα παιδια βαπτιζομεν καιτοι αμαρτηματα ουκ εχοντα quod proprie actualia peccata significat. *Absit, absit, hoc malum de tanto viro credere, aut dicere; absit inquam, ut Constantinopolitanus Joannes tot, ac tantis Coepiscopis suis, maximeque Romano Innocentio, Carthaginensi Cypriano, Cappadoci Basilio, Nazianzeno Gregorio, Gallo Hilario, Mediolanensi resistat Ambrosio*, inquit Augustinus *Lib. I. cont. Jul. cap.* 2. Quae enim mens *Chrysostomi* fuerit, patet non

(a) Ita prorsus habet *Chrysostomus* tum in editione Basileensi anni MDXXV., tum in Parisiensi anni MDLXXXVIII.; Graecus enim ejus Homiliae textus fortasse periit, exceptis fragmentis *ab Augustino*, aliisque recitatis; neque a Savilio, Morellio, Montfauconio editus est. Quamvis enim in priori editione ita posuerimus: *ut eis detur, vel addatur sanctitas*: non ideo tamen id fecimus, quasi utrumque verbum Chrysostomus adhibuerit, dubitans, utrum *primam*, an *secundam* gratiam, parvuli per baptismum accipiant; sed ut significaremus idem esse *detur*, quod *addatur*. Addatur, inquam, gratia naturae, et remissioni originalis peccati.

non solum ex aliis locis ab *Augustino* recitatis verum etiam ex hac ipsa Homilia ad Neophytos: *Venit*, inquit, *semel Christus, invenit nostrum chirographum paternum, quod scripsit Adam. Ille initium induxit debiti, nos faenus auximus posterioribus peccatis. Numquid*, infert Augustinus, *contentus fuit dicere paternum chirographum, nisi adderet nostrum, ut sciremus, antequam foenus posterioribus peccatis augeremus, jam illius chirographi paterni ad nos debitum pertinere?*

*Inst.* 1.° *Chrysostomus* ut eos refellat, qui dicebant, baptismum ad solam peccatorum remissionem valere, utitur exemplo parvulorum, qui baptizantur, licet peccata non habeant. Atqui hoc exemplum nihil valeret, si parvulis etiam peccatum aliquod in baptismo remitteretur. Ergo.

℟. *Dist. maj.* Ut refellat eos, qui dicebant, baptismum valere ad solam remissionem peccatorum per extrinsecus factam condonationem injuriae, *conc.* Per interiorem maculae ablutionem, quae fit per infusionem gratiae, *neg.* Eos ergo confutat ibi S. Doctor, qui asserebant, ad hoc tantum valere baptismum, ut Deus injuriam, culpamque condonet: quae quidem exterior condonatio, cum non possit habere locum nisi in actuali peccato; recte opponit exemplum parvulorum, qui actualia peccata non habent, et tamen baptizantur, ut, infusa gratia, maculam abluant originalis peccati, fiantque sancti, haeredes Dei, cohaeredes Christi etc. Itaque enumerat ibi decem baptismi effectus: liberari a peccato, gratiam sanctificantem accipere, justum reddi, adoptari in filium Dei, jus adipisci ad haereditatem, fieri Christi fratrem, cohaeredem, membrum, templum, et instrumentum Spiritus Sancti. Quibus recensitis, ait: *Vides quot sint baptismi largitates. Multis quidem videtur, caelestem gratiam in peccatorum tantum remissione consistere. Nos autem honores computavimus decem* (in quibus primum locum habet liberari a peccato) *Hac de causa et infantes baptizamus etc.*

*Inst.* 2.° Chrysostomus saepe dicit, mortem, non peccatum ex Adamo in nos derivatam. Sic *in Hom. X. in Epist. ad Rom.* in illa verba: *sicut per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi:* quae-

quaestionem movens, qui fieri possit, ut, uno peccante, alius peccatum incurrat, quod dicit esse absurdum, eam sic solvit: *Quid igitur hoc loco verbum hoc peccatores significat? Mihi videtur, tantundem significare, quantum illud; supplicio obnoxii, ac mortis rei.* Ergo.

℟. *Dist. ant.* Mortem, non peccatum actuale, *conc.* Non peccatum *habituale*, quod *Chrysostomus* peccatum *radicale* appellat, *neg.* Vult scilicet *Chrisostomus*, absurdum esse, ut uno peccante, alter peccare dicatur, quod de peccato actuali verum est. Sed cum ait, omnes per Adam factos esse *obnoxios supplicio*, *reos mortis*, fatetur, homines ex Adam alterius generis peccatum contrahere, propter quod justum supplicium mortis subeunt, cum mortis rei sint. Inquit enim eadem *Homil. X. in Epist. ad Rom. Quod Christo crux et sepulchrum, hoc nobis baptisma fuit, quamvis non iisdem in rebus. Ille enim carni et mortuus, et sepultus est; nos autem peccato utrumque.* Et *Homil. XL. in I. ad Cor. Deus in regenerationis lavacro mentem gratia tangit; radicale peccatum evellit etc.*

*Inst.* 3.° Idem Chrysostomus *Hom. XVII. in Epist. I. ad Cor.* ait: *Quid igitur faciam, inquis, propter illum pereo? Minime propter illum. Neque enim tu sine peccato permansisti. Quod si non idem peccatum, tamen aliud commisisti.* Et *Homil. XXXIX. in I. Cor.* explicans illud: *sicut in Adam omnes moriuntur: Quid igitur, dic mihi, num omnes in Adam mortui sunt? Quomodo ergo Noë justus saeculo suo fuit? etc. itaque si hoc de corpore dictum esse velimus, constabit oratio; si autem de justitia, et peccato, nequaquam.* Ergo semper *Chrysostomus* mortem ex Adamo derivatam concedit, peccatum negat.

℟. *Neg. cons.* 1.° Quia loquitur *Chrysostomus* de baptizatis, in quibus mortalitas quidem ex Adamo remanet; peccatum autem nullo modo, ac proinde si pereunt, non propter Adam, sed propria voluntate pereunt. 2.° Quia loquitur non de morte peccati temporali, et reparabili per gratiam Dei, sed de morte perpetua. Ideo ait, non omnes mori in Adam, quia multi salvi fiunt, ut Noë, Abraham, aliique; ideoque qui morti aeternae ad-

addicitur, culpa sua perit. Adde, ista dici a *Chysostomo* vehementius, more oratorum, ad excutiendam populi socordiam. Vide Berti *Lib. XIII. cap.* 2.

*Objic.* VII. Gregorius Nissenus *Orat. de infant. Nec ab initio quidem* ( infans ) *prorsus in animum morbum admisit.* Et Theodoretus *Lib. V. haeretic. fab. cap.* 18. *Quorsum infantes baptizamus, qui peccatum nondum gustarunt?* Ergo.

℟. *Dist. ant.* Nyssenus, et Theodoretus negant, parvulos admisisse peccatum actuale, *conc.* Originale, *neg.* *Nyssenus* enim *in Psalmos cap.* 16. aperte dicit: *Sordes hominis peccatum est, quod una cum humana orditur natura, quoniam in peccatis concepit me mater mea. Theodoretus* vero *in cap. V. Epist. ad Rom. Dicit itaque divinus Apostolus, quod cum Adam peccavisset, et mortalis factus esset, utrumque ad genus pervenit, idest peccatum, et mors. Ad omnes mors pervasit, in quo omnes peccaverunt. Non enim propter primi parentis peccatum, sed propter suum unusquisque mortis decretum suscipit*; etiam parvuli, qui actualis peccati rei non sunt propter suum peccatum moriuntur, quia Adae peccatum fit nascendo unicuique proprium, ut explicat Tridentinum.

*Objic.* VIII. Clemens Alexandrinus *Lib. III. Strom. Dicant ergo*, inquit, *nobis, ubi fornicatus est infans natus? vel quando sub Adae cecidit execrationem qui nihil est operatus?* Deinde loca Scripturae, quae peccatum originale probant, alio sensu explicat, dicens: *Et quando dixit David: in peccatis conceptus sum: dicit quidem prophetice matrem suam, sed Heva fuit mater viventium; et si in peccatis fuit conceptus, non est ipse in peccato, neque vero ipse peccatum etc.* Ergo.

℟. 1.° Adeo obscurus est iste locus *Clementis*, ut Bellarminus *de amiss. grat. Lib. IV. cap.* 9. putet, in eo non sententiam contineri *Clementis*, sed objectionem *Julii Cassiani*, contra quem ibi disputat, quae tamen *Bellarmini* responsio contextui non cohaeret. Si dicamus cum *Vossio*, et aliis, *Clementem* non satis percepisse doctrinam de originali peccato, nihil nutat catholica veritas; quid enim unus adeo obscure loquens praevalere poterit adversus Scripturas, et perpetuam omnium pa-

Patrum, et totius Ecclesiae catholicae traditionem? Sed his omissis.

℟. 2.° *Dist. ant.* Ex *Clemente* infans non cecidit sub Adae execrationem, non est in peccato in sensu haereticorum, quos ibi confutat, *conc.* In sensu catholicorum, *neg.* Disputat enim ibi *Clemens* contra *Julium Cassianum* e grege *Encratitarum*, qui dicebant, nuptias esse a malo Deo institutas; ipsamque generationem peccatum esse, ad eumque sensum detorquebant verba *Psalmi L. in peccatis concepit me mater mea*; ipsam denique naturam humanam esse secundum corpus malam, Deoque execrabilem; secundum animam vero esse contaminatam peccatis in altera vita, quam fingebant, commissis. Hoc igitur negat *Clemens*, aitque 1.° infantem nihil umquam fuisse operatum: 2.° quod ait David *in peccatis concepit me mater mea*, referendum esse ad *Hevam*, quae mater fuit cunctorum viventium; quia ab illa primum commissum est peccatum, quod ab Adamo postea perpetratum, universum genus humanum infecit. Ceterum quod *Clemens* peccatum originale agnoverit, ex eo patet, quod *Lib. I. Paedagogi cap.* 6. vocat baptismum *regenerationem, et lavacrum, per quod peccata absterguntur*; non ignorabat autem, baptismum ex Apostolica traditione etiam parvulis ministrari.

*Objic.* IX. Origenes Clementis discipulus in Commentario *in Epist. ad Rom.* ait verba Apostoli: *per unum hominem peccatum introivit in mundum*, ita esse intelligenda, ut per mundum significentur homines mundani, atque carnales, qui praevaricationem Adae imitantur. Ergo negat originale peccatum, quod praecipue ex hoc Apostoli loco probatur.

℟. *Trans. ant.* De Origene enim nos non multum oportet esse sollicitos, utpote qui sine dubio Pelagianis praelusit. Unde quamvis multa ejus testimonia Theologi congerant pro peccato originali, ut est illud *Lib. IV. cont. Cels. In Adamo omnes moriuntur, et damnati sunt in similitudinem praevaricationis Adami, nec tam de uno quopiam, quam de toto humano genere Scriptura divina loquitur*; tamen etsi demus, eum errasse in hac parte, nihil nobis auctoritas ejus incommodaret. Ceterum non negabat, nasci homines in peccatis,

tis, quae animae admiserant antequam detruderentur in corpora, atque eorum peccatorum remissionem ablui baptismo. Ob quem errorem a nobis supra refutatum, non idem omnino sentiebat, quod Pelagiani.

*Objic.* X. Omne peccatum est voluntarium; et hoc, ut fatetur *Augustinus*, adeo verum est, ut nullo modo sit peccatum, si voluntarium non sit: hinc peccatum ab ipso *Augustino* definitur: *dictum*, *vel factum*, *vel concupitum contra legem aeternam Dei.* Atqui animae recens creatae non est voluntarium peccatum Adae, nec ipsi ullo modo notum; alioquin ejus peccatum esset actuale. Ergo illam contrahere peccatum originale, contrarium est rationi, ac proinde falsum.

℟. *Dist. maj.* Omne peccatum est voluntarium eo modo, quo peccatum est, *conc.* Alio modo, *neg.* Omne igitur peccatum voluntarium est, dispari tamen ratione; peccatum enim *actuale*, et *personale* voluntarium, imo et liberum est, voluntate actuali, et personali; originale vero peccatum voluntarium est, et liberum voluntate originali, ipsius scilicet hominis, a quo natura humana habet originem.

*Instit.* 1.° Repugnat voluntarium voluntate originali; voluntarium enim est a principio interiori cognoscente singula. Atqui voluntas Adae est aliena, et ignota animae infantis post tot saecula nati, aut nascituri. Ergo.

℟. *Neg. subs. et Dist. maj.* Voluntarium est a principio interno cognoscente singula, si est voluntarium *actuale*, et *personale*, *conc.* Si est voluntarium *habituale*, et *originale*, *neg.* Quemadmodum enim non repugnat, multa vitia non solum corporea, ut morbi, podagra, phtisis; sed etiam spiritalia, ut superbia, iracundia etc. a parentibus in filios traduci, ita etiam non repugnat, ab Adamo in universum genus humanum traductum esse hoc vitium originale, quo ipse se voluntarie maculavit, atque in seipso tamquam in radice naturam humanam vitiavit, atque corrupit.

*Inst.* 2.° Haec vitia, quae a parentibus in filios traducuntur, non sunt in iis peccata, nisi cum in aetate adulta voluntarie iis servire incipiunt, alioquin incidemus in *prop. LII.* a Summis PP. *Pio V.* et *Greg. XIII.* in

in *Bajo* damnatam: *omne scelus ejus est conditionis, ut suum auctorem, et posteros eo modo inficere possit, quo infecit prima transgressio.* Ergo a pari quodcumque vitium ab Adamo transfusum non potest in posteris ejus esse peccatum.

℟. *Neg. cons. et parit.* Ratio discriminis in eo est, quod proximorum parentum vitia non ipsam naturam humanam inficiunt, sed illam jam originali labe vitiatam, reddunt ad unum, aut aliud actuale peccatum procliviorem: cum ergo actuale peccatum esse non possit, nisi voluntarium, et liberum *actuali*, et *personali* voluntate, sequitur, ea vitia non esse in pueris peccata, donec iis voluntarie in adulta aetate consentiant. Contra vero peccatum Adae ipsam naturam vitiavit, et *habitu* aversam reddidit ab universa lege naturae, et Dei, ut clarius explicabimus infra, ubi agemus de modo, quo peccatum originale traducitur.

*Inst.* 3.° Hoc facile persuaderi posset, si anima traduceretur a parentibus; sed cum haec innocens a Deo creetur; fieri non potest, ut corpori infusa habitualem, et veram noxam contrahat, cum nondum propriorum actuum sit capax. Ideo *Augustinus* in quaestione de origine animae semper fluctuavit; quia scilicet videbat, eam cum doctrina de peccato originali ita connexam, ut si animae de novo in singulis crearentur hominibus, peccatum originale explicari non posset. *Hujus damnationis*, inquit *Epist. CLXVI. al. XXVIII. ad Hieron.*, *in parvulis causam requiro; quia neque animarum, si novae fiunt singulis singulae, video esse ullum in illa aetate peccatum, nec a Deo damnari aliquam credo, quam videt nullum habere peccatum.* Vide totam Epistolam *ad Hieron.* nec non *Epist. CXC. al. CLVII. ad Optatum, Libros de Anima, et de origine Animae.* Ergo.

℟. *Neg. ant.* 1.° Quia non est negandum, quod fide certum est, quia quomodo id fiat, nescimus. Unde ipse *Augustinus Lib. III. de peccat. mer. cap.* 4. *Ego autem*, inquit, *nisi refellere istorum argumenta non valeam, video tamen inhaerendum esse iis, quae in scripturis sunt apertissima.* 2.° Quia etiam, posito dogmate ho-

hodie apud Theologos certo de creatione animarum in singulis, explicari potest traductio peccati originalis, ea ratione, quam suppeditat ipse *Augustinus*; et nos fusius explicabimus suo loco; quia scilicet anima corpori infusa *tamquam in vase vitiato corrumpitur Lib. V. cont. Julian. cap.* 4. non quidem actuali voluntate, sed *habituali* vitio, quo concupiscentiis carnis fit subdita. Nec dubitavit Augustinus, quo pacto anima recens creata, et infusa corpori *habituale* vitium contraheret; sed quomodo id non esset contrarium justitiae Dei, qui animam infundit corpori, ubi certe peccatum contrahit: unde ait *loc. cit. Profecto aut utrumque vitiatum ex homine trahitur, aut alterum in altero tamquam in vase vitiato corrumpitur, ubi occulta justitia divinae legis includitur.*

*Inst.* 4.° Ergo saltem originale peccatum conciliari non potest cum justitia Dei, qui animas recens creatas infundit corporibus, in quibus peccato, et deterrimis peccati poenis subjiciuntur. Ergo etc.

℟. *Neg. ant.* Cum enim Deus ab aeterno constituerit, ut disposito corpori infundatur anima, non debuit ob Adae culpam creationis ordinem suspendere. *Praevaricatio hominum dispositae a saeculis creationis ordinem turbare non potuit*, inquit Prosper *Resp. ad Object. Vincent. IV.* Permittit enim, ut universalis provisor, malum, ex quo majus bonum eruit, et cui praestantissimum remedium redemtionis opposuit. Caeterum *occultam justitiam* dicit *Augustinus*; quia licet justitiae Dei rationem aliqua in re intelligere non valeamus; tamen quin *justissime Deus* agat, dubitare non possumus.

*Inst.* 5.° Si Deus ipse immittit animam in corpus, in quo certe maculatur, vel Deus ipse est peccati auctor, vel damnandae cum Manichaeis nuptiae, ex quibus tantum producitur malum. Atqui falsum consequens. Ergo.

℟. *Neg. seq. maj.* Neutrum sequitur ex doctrina de originali peccato. Deus enim naturam creavit bonam, quae se ipsa maculavit; ejus autem culpa universalem creationis ordinem suspendere non debuit. *Non ex creatione Dei est vitium, quod voluntario motu natura collegit, sed etiam de vitiata per seipsam natura Deus* in

*institutionem suae creationis exequitur*, inquit Gelasius *Epist. VII.*

*Inst.* 6.° Non peccat ille qui condidit, non peccat ille qui genuit, non peccat iste, qui nascitur; per quas ergo rimas peccatum ingreditur? Ergo.

℟. Cum Augustino *Lib. II. de nupt. cap.* 27. *et Lib. III. cont. Julian. cap.* 24. *Quid quaerit latentem rimam, cum habeat apertissimam januam? per unum hominem, ait Apostolus: per unius debitum, ait Apostolus: per inobedientiam unius hominis, ait Apostolus: quid quaerit amplius? quid quaerit apertius?* Per peccatum itaque Adae vitiata natura, ille, qui nascitur, non peccat, sed *habituale* peccatum contrahit.

*Inst.* 7.° Nemo dat, quod non habet. Atqui parentes baptizati originale peccatum non habent. Ergo saltem illorum filii illud non contrahunt.

℟. *Dist. min.* Non habent originale peccatum, sed habent adhuc vitiatam naturam, quae in ipsis peccatum non est propter baptismi gratiam, *conc.* Secus, *neg.* Naturam igitur, quam ab Adamo vitiatam acceperunt, vitiatam quoque filiis communicant: sed in ipsis quidem haec corrupta natura, peccatum non habet; quia in baptismo deletum est: in parvulis peccatum habet; quia nondum est baptismo deletum. Explicat id Augustinus exemplo oleae, cujus semen non oleam, sed oleastrum producit; aliisque similibus, nosque clarius explicabimus inferius.

## §. II.

### *De peccati originalis natura.*

*Adv.* I. Etsi certissimum est originale peccatum, incerta tamen ejus natura est; sicut multa certo novimus, quorum naturam ignoramus. Inter haereticos *Illyricus* Lutheranus *Lib. de Just. Orig.* putat, illud esse substantiam quandam malam, ita ut ipsa animae substantia per diaboli fraudem de bona in malam mutata sit. Ceteri vero Lutherani, et Calvinistae volunt, non aliud esse *formaliter*, nisi ipsam *concupiscentiam*, quae cum

cum in baptizatis remaneat, hinc inferunt, non deleri, sed tegi per baptismum originale peccatum.

II. Inter Catholicos quatuor sententiae sunt. 1.° *Albertus Pighius*, et *Catharinus* tenent, originale peccatum esse extrinsecus petitam denominationem ab actuali Adae peccato. 2.° Recentiores Scholastici post Anselmum *Lib. de Conc. Virg. cap.* 2. docent, esse privationem justitiae originalis *inadequate* acceptae pro gratia sanctificante; 3.° Gregorius Ariminensis *in II. Dist. XXX. q.* 2. *art.* 1., Henricus Gandavensis (*Ibid. q.* 1. *art.* 2.) *Juveninus*, *Estius*, Theologique omnes ex Augustiniana Schola affirmant, originale peccatum *materialiter* quidem esse ipsam concupiscentiam, quam Ariminensis *morbidam qualitatem* appellat; *formaliter* vero esse concupiscentiae ipsius reatum: quo nomine non intelligunt obligationem subeundae poenae, sed dominatum in animam, ejusque voluntatem, propter quem dominatum anima rea est poenae. 4.° Thomistae cum *Goneto*, *Contensonio*, *Gottio*, aliisque docent, *materialiter* esse concupiscentiam, *formaliter* vero privationem justitiae originalis, sive sanctificantis gratiae: quae sententia non multum recedit a doctrina Augustinianorum, et fortasse nonnisi verbis differt; ideo enim inest animae *reatus*, sive concupiscentiae dominatus, quia deest illi gratia sanctificans, qua habitu convertatur ad Deum.

III. Ne tamen in obscuro laboremus, observandum est, concupiscentiam quadruplici sensu intelligi posse: 1.° pro actibus inordinatis, qui contra rationem insurgunt: 2.° pro habituali appetitu sensibili rerum naturae congruentium, servato rationis ordine: 3.° pro habituali propensione ad voluptates sensibiles contra rationis ordinem: 4.° pro vitio omnium animae virium, et facultatum, seu *habituali* propensione ad quodcumque malum. Porro nemo dixerit, concupiscentiam, tribus prioribus modis intellectam, peccatum originale constituere: non primo: quia actus illi sunt effectus originalis culpae: non secundo; quia appetitus ille bonus est: non tertio; quia cupiditas illa vitiosa rerum sensibilium, pars quaedam est mali, sed non totum malum sola constituit. Itaque cum concupiscentiam hic nominabimus, eam quarto tantum sensu intelligimus, quo

sensu eam intellexit Apostolus *Gal. V.* 19. qui postquam dixit, carnem concupiscere adversum spiritum, enumerans opera carnis, omne genus peccatorum recenset. Atque ita illam saepe intelligit *Augustinus*, et *S. Thomas* (a).

IV. Denique illud etiam animadvertendum est, veteres quosdam Scholasticos concupiscentiam putasse qualitatem quandam, ab anima reipsa distinctam, sive ut ajunt *positivam entitatem*: quae opinio multis rationibus explodenda est. Nos itaque concupiscentiam dicimus vitium quoddam, morbum, atque languorem, ut saepe loquitur *Augustinus*. Nunc singula expendamus.

## PROPOSITIO I.

***Peccatum originale non est substantia mala, ut asserit Illyricus. Est fidei dogma.***

*Prob.* Omnis substantia bona est, quia a Deo est, ita ut nullum possit esse *ens*, nulla substantia, nisi bona, ipseque diabolus quoad substantiam bonus sit. Ergo peccatum originale non est substantia, sed potius defectio ab ipsa substantia, quae Deus est. Adde, hunc errorem incidere in Manichaeorum haeresim, qui ideo statuebant principium quoddam malum, quia peccatum non in defectu, sed in substantia mala ponebant: ex quo sequebatur, agnoscendam esse primam aliquam substantiam malam, quae peccati prima causa foret. Ergo.

### *Diluuntur Objecta.*

*Objic.* I. Habitus vitiosi mali sunt. Atqui non distinguuntur reipsa a substantia animae. Ergo ipsa animae substantia, habitibus illis depravata, mala est.

R.

(a) Augustinus *Lib. XIV. de Civ. cap.* 2. *et seq. et Lib. XV. cap.* 7. *Lib. II. cont. Julian. cap.* 8. Hieronymus *Q* 8. *ad Algasiam*, S. Thomas 1. 2. Q. *LXXXII. art.* 3.

℟. *Dist. maj.* Mali sunt, quatenus per illos substantia animae deficit a recto ordine, *conc.* Mali sunt propter aliquid *positivum*, et *substantiale*, *neg.* Malitia ergo, quae in vitiosis est habitibus, non substantia, sed defectio a substantia dici debet.

*Objic.* II. Homo per peccatum ex filio Dei factus est filius diaboli; ideoque ad impios dicebat Christus: *Vos ex patre diabolo estis Joan. VIII.* 44. Ipsa igitur ejus substantia per peccatum mutata est.

℟. *Dist. ant.* Factus est filius diaboli per imitationem, *conc.* Per substantiam, *neg.* Imitatio autem illa, per quam homo, qui ad imaginem Dei factus est, similis fit diabolo, non est aliqua substantia, sed substantiae ipsius defectus. Caeterum ipsa substantia diaboli mala non est.

*Inst.* Imago Dei in homine substantia est. Atqui peccatum destruit in homine imaginem Dei, et diaboli imaginem inducit. Ergo.

℟. *Dist. min.* Peccatum destruit in homine imaginem Dei quoad accidentia, sive dona supernaturalia, et rectum ordinem, *conc.* Destruit imaginem *substantialem*, quae sita est in ipsa natura animae rationalis, *neg.* Idem dicas de imagine diaboli, quae per peccatum inducitur, Imago enim illa *accidentalis* est, quatenus ipsam animae substantiam, quae bona remanet, privat recto ordine, quem habebat.

## PROPOSITIO II.

*Peccatum originale non esse formaliter ipsam concupiscentiam, dogma fidei est.*

*Prob.* I. Concupiscentia remanet in baptizatis. Atqui in iis non remanet peccatum Nam 1.° Apostolus *Rom. VI.* 4. *et* 2. confert destructionem peccati, et renovationem animae, quae fit in Baptismo, cum morte, et resurrectione Christi: *Consepulti*, inquit, *sumus cum illo per baptismum in mortem: ut quomodo Christus surrexit a mortuis per gloriam Patris, ita et nos in novitate vitae ambulemus . . . . qui mortui sumus peccato, quomodo adhuc vivemus in illo?* Et *Rom. VIII.* 1. *Ni-*

*Nihil ergo nunc damnationis est eis, qui sunt in Christo Jesu.* 2.° Joannes *Ep.I. cap. I.* 7. *Sanguis*, inquit, *Jesu Christi Filii ejus emundat nos ab omni peccato*. Ergo concupiscentia non est formaliter ipsum originale peccatum. Quod et confirmatur apertius ex illo *Jac. I.* 15. *Concupiscentia cum conceperit, parit peccatum*. Non est ergo ipsa per se peccatum.

*Prob.* II. Augustinus *Lib. I. de Nupt. et conc. cap.* 23. *Concupiscentia non est peccatum in regeneratis, quando illi ad illicita opera non consentitur . . . Sic autem vocatur peccatum, quia peccato facta est, cum jam in regeneratis non sit ipsa peccatum; sicut vocatur lingua locutio, quam facit lingua, et manus vocatur scriptura, quam facit manus. Itemque sic vocatur peccatum, quia peccatum, si vicerit, facit; sicut vocatur frigus pigrum, non quod a pigris fiat, sed quod pigros faciat.* Quibus apertissimis Augustini sententiis victus Calvinus *Lib. III. Instit. cap. III. §. 10. Inter illum* Augustinum, *et nos*, inquit, *hoc discriminis videri potest interesse, quod ipse quidem cum fideles concedat, quamdiu in corpore mortali habitant, sic illigatos teneri concupiscentia, ut non possint non concupiscere, eum tamen morbum peccatum vocare non audet, sed . . . tunc demum fieri peccatum docet . . . quando primae appetitioni cedit voluntas; nos autem illud ipsum pro peccato habemus.*

*Prob.* III. ex omnium Catholicorum consensu, et definitione Concilii Trid. quod *Sess. V. can.* 5. *Si quis*, inquit, *per Jesu Christi Domini nostri gratiam, quae in baptismate confertur, reatum originalis peccati remitti negat; aut etiam asserit, non tolli totum id, quod veram, et propriam peccati rationem habet; sed illud dicit tantum radi, aut non imputari: anathema sit . . . Manere autem in baptizatis concupiscentiam, vel fomitem, haec Sancta Synodus fatetur, et sentit: quae cum ad agonem relicta sit, nocere non consentientibus, sed viriliter per Christi Jesu gratiam repugnantibus, non valet ... Hanc concupiscentiam, quam aliquando Apostolus peccatum appellat, Sancta Synodus declarat, Ecclesiam catholicam numquam intellexisse peccatum appellari, quod vere, et proprie in renatis peccatum sit,* sed

*sed quia ex peccato est, et ad peccatum inclinat. Si quis autem contrarium senserit, anathema sit.*

*Objectiones.*

*Objic.* I. Apostolus *Rom. VII.* in persona hominis regenerati (ut fatetur, et probat *Augustinus*) loquens, vocat concupiscentiam peccatum: *Non ego operor illud, sed quod habitat in me, peccatum*; legem membrorum, legem carnis, legem peccati repugnantem legi Dei; *Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meae, et captivantem me in lege peccati.* Atqui, ut inquit Calvinus *Ibid.* §. 11. *quis repugnantiam adversus legem Dei malam esse neget? quis impedimentum justitiae neget esse peccatum?* Ergo ipsa concupiscentia, qua homo per Adae peccatum implicatus nascitur, originale peccatum est.

℟. *Dist. maj.* Ex *Augustino*, et Tridentino supra laudatis, Apostolus concupiscentiam appellat peccatum per metaphoram, quia ex peccato est, ad peccatum inclinat, et peccatum, cum vicerit, seu cum conceperit, facit, *conc.* Vere, et proprie, *neg. Dist.* etiam *min.* Repugnantia adversus legem Dei, et impedimentum justitiae malum est *materiale*, *conc. Formale*, *subdist.* cum voluntas illi servit, *conc.* Cum reluctatur, *neg.* Non negamus, malum esse, hoc est pravitatem quandam, *αταξιαν*, seu *inordinationem*, ut inferiora superioribus non subjiciantur; sed cum peccatum nonnisi in voluntate sit, si illa a rebellantibus potentiis non vincitur, non potest in ea esse peccatum.

*Inst.* 1.° Concupiscentia odio habetur, et prohibetur a Deo, praecepto illo: *non concupisces.* Atqui nihil odio habetur a Deo praeter peccatum proprie dictum. Ergo.

℟. *Dist. maj.* Odio habetur a Deo tamquam materialis quaedam pravitas, et *αταξια*, *conc.* Tamquam *formale* peccatum, *subdist.* Si voluntas ei serviat, *conc.* Si resistat, *neg.* Cum ergo praecepta nón dentur, nisi voluntati; hinc sequitur, praecepto illo *non concupisces* id solum vetari, ne concupiscentiae serviatur; quod aliter alio in loco dicitur, *Eccli. XVIII.* 30. *Post concupiscentias tuas non eas*; id vero praecipi, ut quantum possumus

mus, per corporis afflictationes, nostrique victoriam, ac veluti negationem, concupiscentiam minuamus, quo fiet, ut tamquam praemium in patria ipsius concupiscentiae immunitatem plenam, completamque destructionem perpetuo duraturam accipiamus.

*Inst.* 2.° Primum, et maximum Dei praeceptum est, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota mente, et tota anima, ex totis viribus.* Atqui ille, cui vel minimum concupiscentiae inest, etiam invito, non diligit Deum ex toto corde, anima, mente, viribus, ut patet. Ergo ipsa concupiscentia proprie peccatum est, et praecepti violatio.

℟. *Dist. min.* Ille, cui concupiscentia inest, non diligit Deum ex toto corde, quia aliquando voluntarie obedit concupiscentiae, *conc.* Si semper concupiscentiam vinceret, *neg.* Imo qui concupiscentia oppugnatur, si illam semper, et in omnibus vinceret, magis, et plenius, et laudabilius observaret praeceptum illud dilectionis; sed quia dum homo rationis capax esse incipit, non potest sine speciali Dei privilegio omnes omnino vitare lapsus; ideo praeceptum aliquando transgreditur, et quidem voluntarie, ut suo loco explicabimus.

*Inst.* 3.° *Augustinus* licet aliquando concupiscentiam proprie peccatum esse negaverit, ut declinaret tela Pelagianorum, qui illum eo nomine Manichaeorum haeresis accusabant; tamen Pelagianis prostratis, non dubitavit illam vere, et proprie appellare peccatum. Sic. *Lib. V. cont. Julian. cap.* 3. *Sicut*, inquit, *caecitas cordis et peccatum est, quo in Deum non creditur, et poena peccati, qua cor superbum digna animadversione punitur, et causa peccati, cum aliquid mali cordis caecitate committitur; ita carnis concupiscentia, adversus quam bonus spiritus concupiscit, et peccatum est, quia inest illi inobedientia adversus dominatum mentis, et poena peccati est, quia reddita est meritis inobedientis, et causa peccati, defectione consentientis, vel contagione nascentis.* Multa huic similia *Augustini*, aliorumque Patrum loca congerit Kemnitius *in Exam. Conc. Trid.* Quibus verbis concupiscentiam peccatum vocat, non solum quia effectus, et causa est peccati; verum etiam quia ipsa peccatum est. Ergo.

℟.

℟. *Neg. ant.* Augustino, et veritati injuriosum. Ad *confirm. dist. ant.* ut supra. Concupiscentia peccatum est, quia inest ei inobedientia adversus dominatum mentis, peccatum, inquam, *materiale*, conc. *Formale*, et proprium, *subdist.* Si mens illi sit subdita, *conc.* Si resistat, *neg.* Patet responsio ex dictis.

*Objic.* praeterea Lutherus Augustinum *Lib. I. de Nupt. et conc. cap.* 25. *et* 27. docuisse, peccatum in baptismo dimitti *non ut non sit*, *sed ut non imputetur*, et ipsum peccatum per baptismum *transire reatu*, *actu manere.* Sed hoc insigne mendacium est. *Augustinus* enim non ait, peccatum, sed concupiscentiam manere actu, et non imputari post baptismum; quia mens ei jam habitu non servit. Fusius hac de re disserit Bellarminus *De amiss. grat. Lib. V. cap.* 7. *et seq.*

## PROPOSITIO III.

*Peccatum originale non est ipsum Adae delictum extrinsecus imputatum ejus posteris, ut volunt Pighius, et Catharinus.*

*Prob.* I. *Rom. V.* 12. *Per unum hominem peccatum intravit in hunc mundum, et per peccatum mors.* Atqui Adae peccatum dici non potest *intrasse* in ejus posteros, cum fuerit personae illi peculiaris actus. Ergo. Praeterea ibidem Apostolus comparat peccatum, quod ex Adamo trahitur, cum justitia, quae derivatur ex Christo. *Sicut per inobedientiam unius peccatores constituti sunt multi: ita et per unius obeditionem justi constituentur multi.* Atqui justitia, quae in homines derivatur ex Christo, non est ipsa Christi justitia extrinsecus illis imputata, ut suo loco dicemus; sed ipsis intrinsecus inhaeret. Ergo et peccatum, quod trahitur ex Adam.

*Prob.* II. Concilium Tridentinum *Sess. V. can.* 3. declarat, peccatum originale inesse unicuique proprium: *Si quis hoc Adae peccatum, quod origine unum esse, et propagatione, non imitatione transfusum, omnibus inest unicuique proprium etc.* Et addit in *ead. Sess.* per baptismum deleri in parvulis quidquid veram, et pro-

propria

priam peccati rationem habet. Atqui exterior imputatio peccati Adae non sufficit, ut originalis culpa insit unicuique propria; et in baptismo deleatur. Ergo merito *Catharini*, et *Pighii* sententia a Theologis omnibus rejicitur ut *erronea*. *Suarez* quidem illam etiam haereseos censura notat. Sed quia Bellarminus *De amiss. grat. Lib. V. cap.* 16. ait, agnovisse *Pighium*, et *Catharinum* in parvulis, praeter imputationem peccati Adae, etiam privationem originalis justitiae, reatum etc. ideo ab haereseos censura abstinendum ducimus.

## PROPOSITIO IV.

*Peccati originalis natura sita est in concupiscentia cum reatu, seu cum privatione originalis justitiae; ita ut concupiscentia se habeat ut materiale peccati, reatus vero ut formale.*

*Prob.* I. Nihil est fere in Augustini Libris contra Pelagianos frequentius, et clarius inculcatum, quam concupiscentiam esse originale peccatum, eam remitti in baptismo, quoad reatum, licet quoad actum maneat. *Respondetur*, inquit *Lib. I. de Nupt. et conc. cap.* 25., *dimitti concupiscentiam carnis in baptismo, non ut non sit, sed ut in peccatum non imputetur, quamvis autem reatu suo jam soluto, manet tamen.* Itaque in baptismo peccatum originale dimittitur. Sed Augustinus ait, in baptismo remitti concupiscentiam quoad reatum. Ergo ipsa concupiscentia, quatenus cum reatu conjuncta est, peccatum originale constituit. Et in eodem Libro *cap.* 23. *Haec concupiscentia, quae solo sacramento regenerationis expiatur, profecto peccati vinculum generatione trajicit in posteros, nisi ab illo et ipsi regeneratione solvantur.* Quod saepissime aliis in locis repetit (*a*). Ne-

(a) *Lib. I. de Nupt. et conc. cap.* 23. *et* 24. *lib. II. cap.* 33. *lib. II. cont Julian. cap.* 3. 5. 9. 10. *lib. V. cont. eundem cap.* 7. *lib. VI. cap.* 6 7. 8. *lib. De peccat. merit. cap.* 9. 10. 29 *lib. II. cap.* 4. *Serm. XII. de verb. Apost. in Ps. LVII. lib. I. Retract. cap.* 15. *et al.*

Neque audiendi sunt qui dicunt, ideo *Augustinum* vocare concupiscentiam cum reatu peccatum originale, quia cum peccato originali conjuncta, et ab illo producta est; quis enim umquam dixerit, ignem esse fumum quia fumus cum igne conjunctus, et ab illo productus est? Ergo.

*Prob. II.* ex S. Thoma 1. 2. *Q. LXXXII. art.* 3. *Privatio justitiae originalis, per quam voluntas subdebatur Deo, est formale in peccato originali: omnis autem alia inordinatio virium animae se habet in peccato originali sicut quiddam materiale.* Quae verba frustra conantur in alienum sensum detorquere recentiores, urgentes illa verba; *sicut quiddam materiale*, quasi innuat Angelicus Doctor, concupiscentiam non esse proprie *materiale* peccati originalis. Frustra, inquam; nam ideo sic loquitur, quia concupiscentia non est corpus aliquod, aut substantia; sicut cum Tridentinum ait, actus poenitentis esse *quasi materiam* Sacramenti poenitentiae. Ergo concupiscentia cum privatione originalis justitiae, ex qua privatione mens non subditur Deo, sed ipsi concupiscentiae, originale peccatum est.

*Prob. III.* ex S. Bonaventura *in II Dist. XXX: art.* 2. *Q.* 1. *Concedendum est, sicut rationes ostendunt, et Magister dicit in litera, quod originale peccatum est concupiscentia non quaecumque, sed concupiscentia prout claudit in se debitae justitiae carentium, haec autem est concupiscentia immoderata, et intensa, adeo ut sit carnis ad spiritum praedominantia.* Ergo.

*Prob. IV.* Tridentina Synodus *Sess. V. can.* 5. ait, concupiscentiam in renatis non esse peccatum. Ergo pro certo habet, illam in iis, qui nondum renati sunt, esse peccatum. Non est autem peccatum actuale cujus infantes non sunt capaces; est igitur peccatum *habituale*, et originale.

*Prob. V.* ratione S. Bonaventurae *Ibid. In omni peccato est aliqua conversio ad commutabile bonum vel in actu, vel in habitu*; quod est sapientissime ab *Augustino* usurpatum axioma. *Si igitur peccatum originale est peccatum; ergo ibi est aliqua conversio inordinata ad bonum commutabile. Sed conversio inordinata ad bonum commutabile nihil est aliud quam concupiscentia.*

*Er-*

inde veram, et propriam peccati rationem amplius non habet. Ita Augustinus *Lib. I. de pecc. merit. et remiss. cap. ult. et alibi*: quem nimis intemperanter, atque audacter *Vasquez* censura notare non est veritus. *Bellarminus* vero loquitur adversus eos, qui concupiscentiam fingebant, esse *positivam qualitatem*, et nescio quam *entitatem*, quod non probamus.

*Inst.* 1.° Si concupiscentia pertineret ad peccati originalis naturam, tamquam ejus materia, peccatum post baptismum maneret actu, transiret reatu. Atqui hoc fieri non potest; quis enim dixerit, homicidium *ex. gr.* aut sacrificium idolis oblatum manere actu sine reatu? Ergo.

℟. *Dist. maj.* Quoad materiam, *conc.* Quoad *formalem* rationem, sive naturam, *neg.* et *Dist. min.* Fieri non potest in peccatis actualibus, quale est homicidium, aut idololatria in exemplo adducta, *conc.* In peccatis habitualibus, *neg.* Videmus enim, in iis, qui peccandi consuetudine implicati sunt, etiam soluto per baptismum, aut per absolutionem sacramentalem vinculo reatus, manere tamen adhuc pravum habitum, contra quem animus gratia Dei jam sanatus dimicare debet, ne in voluntarios actus prorumpat. Unde merito talia objicienti Juliano respondet Augustinus *Lib. VI. cont. Jul. cap.* 19. *Idolis itaque sacrificatum factum est transiens, non vitium manens. Nullo modo igitur simile est, quod pro simili ponendum putasti. Nullo modo, inquam, simile est sacrificium transiens manenti concupiscentiae.*

*Inst.* 2.° Si reatus peccati originalis solveretur in baptismo, manente adhuc ejus materia; sequeretur, eum qui voluntarie gratiam baptismi per peccatum amittit, iterumque concupiscentiae subditur, incidere iterum in originale peccatum, posseque iterum baptizari. Absurdum *consequens.* Ergo et *antecedens.*

℟. *Neg. seq. maj.* Quodcumque enim post baptismum admittitur peccatum, semper *actuali* peccantis voluntate fit, non originaria ipsius Adae; ac proinde non est *originale*, sed *actuale*, per alia remedia sanandum, a Christo instituta pro baptizatorum reconciliatione, et sa-

salute, in quibus baptismi character nullo umquam actuali peccato deletur.

*Objic.* III. Concupiscentia non in omnibus aequalis est, sed in nonnullis vehementior. Atqui peccatum originale in omnibus idem est. Ergo.

℟. *Dist. maj.* Non in omnibus aequalis est quoad actum, quia pro varia corporis, aut pravae consuetudinis dispositione varios producit actus, *conc.* Quoad habitum, seu *inordinationem habitualem*, *neg.* Ita S. Thomas 1a. 2ae. *Q. LXXXII. art.* 4. Quod illustrari potest exemplo rationalis animae, quae in omnibus hominibus ejusdem generis est; alioquin diversa esset hominum natura; et tamen in nonnullis est ingenium promtius, et mens quodammodo divinior, et memoria tenacior; in aliis vero ita infirmae mentis facultates, ut stupidi videantur: quod ex varia corporis, humorum, aliarumque causarum, quae mentem afficiunt, dispositione oritur.

*Objic.* IV. auctoritatem Anselmi, qui *Lib. de Conceptu Virg. cap.* 26. sic habet: *Hoc peccatum, quod originale dicitur, aliud intelligere nequeo in ipsis infantibus, nisi ipsam, quam supra posui, factam per inobedientiam Adae justitiae debitae nuditatem.* Ergo.

℟. *Dist. ant.* Non aliud ex *Anselmo* est peccatum originale praeter justitiae nuditatem, si inspiciatur ejus ratio *formalis*, *conc* Materialis, *subdist.* Si per nuditatem justitiae intelligas privationem tum gratiae sanctificantis tum recti ordinis omnium animae virium, et facultatum, *conc.* Si intelligas solam privationem gratiae sanctificantis, *neg.* Responsio patet ex dictis.

*Inst.* Peccatum originale est peccatum *habituale.* Atqui in omni peccato *habituali* ipsa privatio justitiae propter actum pravum, qui praecessit, constituit peccati naturam, licet nullus contractus sit ex actu malo habitus vitiosus. Ergo idem dicendum de peccato originali; ejus scilicet naturam etiam esse in privatione gratiae sanctificantis propter Adae inobedientiam: concupiscentiam vero esse ejus appendicem.

℟. *Dist. min.* Si privatio justitiae intelligatur pro *habituali* aversione a Deo, et conversione ad creaturam, *conc.* Si pro sola privatione gratiae sanctificantis, *neg.* Fatemur itaque, in peccato originali, sicut in quocumque

que *habituali* peccato; conversionem *habitualem* ad creaturam esse *materiale*: habitualem vero aversionem a Deo, per quam ipsa voluntas subdita fit cupiditati, esse *formale* peccati. In eo tantum originale a ceteris habitualibus differt, quod in illo generalis est conversio ad quaecumque illicita propter culpam Adae, qui in se naturam humanam pessima concupiscentiae tabe vitiavit; in aliis vero conversio ad peculiaria mala, quae liberae peccantis voluntati placuerunt. Sed quia privatio gratiae est aversionis illius, et conversionis poena; idcirco, si privatio justitiae de ipsa gratiae privatione intelligatur, negamus, in ea sitam esse naturam cujuscumque habitualis peccati, nisi forte per *metonymiam*, qua nomen effectus causae tribuitur. Vide *Berti*, *Estium*, aliosque, qui hanc fusius doctrinam pertractant.

## §. III.

### *Quomodo peccatum originale traducatur.*

*Adv.* I. Non est ad salutem necessarium scire, quo tandem modo peccatum originale traducatur, sicut contra necesse est scire illius existentiam, et modum, quo deleri possit. Sic necesse non est, inquit *Augustinus*, scire modum, quo quis in puteum decidit, sed sufficit ad illius miseri salutem scire, eum cecidisse, et modum, quo possit inde extrahi, illumque adhibere. Quod si modus traductionis originalis culpae esset scitu necessarius, etiam illum revelasset Deus. *Credo quod etiam hinc divinorum eloquiorum clarissima auctoritas esset, si homo illud sine dispendio promissae salutis ignorare non posset*, inquit idem Augustinus *Lib. II. de pecc. merit. cap. ult.* Igitur deficiente hic revelationis face, in varias theologi sententias abeunt.

II. Veteres nonnulli putarunt, animas hominum a parentibus traduci; atque ideo ex anima Adae peccatrice nonnisi peccatrices animas prodire potuisse. Hanc sententiam, de qua ut supra vidimus *cap. II.* semper dubitavit *Augustinus*, nos ibidem refutavimus.

III. Theologi, qui nolunt, concupiscentiam esse materiale peccati originalis, putant, Deum pactum quoddam

dam cum Adamo inivisse, vel legem sanxisse, ut si ille justitiam conservaret originalem, velut haereditatem transmitteret eam ad posteros; sin desereret, omnes nepotes suos illa privaret.

IV. In Schola *Augustini* communis sententia eet, peccatum originale ab Adamo ad posteros per concupiscentiam transmitti. Cum enim concupiscentia sit *materiale* illius peccati, atque ea peste Adam naturam suam infecerit, necessario factum est, ut ea suos quoque posteros inficeret, ac labefactaret. Si enim videmus, minora vitia aliquando a parentibus in filios derivari, cujus rei explicatio non Theologorum, sed physicorum est; multo magis hoc concupiscentiae vitium, quod penitus in ipsa viscera, ossa, et medullas penetraverat primi parentis. Porro licet anima sine peccato creetur a Deo, tamen infusa corpori tabe ista infecto; propter naturale corporis, animique commercium, inficitur et ipsa; cum enim careat gratia, quam Deus post Adae culpam nonnisi per Christum dare voluit renatis in Christo, non potest non esse subdita concupiscentiae, atque habitu a Deo aversa, et ad creaturas inclinata, donec per gratiam Salvatoris habitu convertatur ad Deum, fiatq. illi concupiscentia carnis involuntaria.

## PROPOSITIO I.

*Peccatum originale non traducitur in Adae filios ex pacto, quod Deus cum primis parentibus inierit.*

*Prob.* I. Altum est hujuscemodi pacti, aut legis silentium tum in Scriptura, tum in traditione, praesertim in *Augustino*, qui doctrinam originalis peccati funditus rimatus est. Ergo gratis fingitur.

*Prob.* II. Hypothesis ejus pacti modum traductionis peccati, tantum abest ut explicet, quin potius obscuriorem reddit, ipsumq. dogma fidei de transfusione originalis culpae incredulorum cavillis, et irrisioni videtur objicere. Quis enim credat, Deum optimum, sapientissimum, aequissimum, sanxisse hoc pactum, ut in voluntate unius hominis, quem certissime sciebat esse peccaturum, reponeret voluntates tot millium hominum non dum nato-

rum

rum, ita ut quod ille primus vellet, omnes voluisse censerentur; atque hinc poenis aeternis punirentur? Ergo.

*Objic.* Scriptura, et Patres docent, omnes in Adam peccasse *Rom. V.* 12. *In quo omnes peccaverunt . . . per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi.* Augustinus *Lib. XVI. de Civ. cap.* 27. verba illa *Gen. XVII. Masculus, cujus caro circumcisa non fuerit delebitur anima illa de populo suo; quia pactum meum irritum fecit*, ita explicat, ut ipsi parvuli in Adam transgressi sint pactum, et legem Dei: *testamentum dissipavit quando in Adam cum omnibus et ipse peccavit.* Et *Epist. XCVIII. al. XXIII. ad Bonif. Traxit ergo reatum, quia unus erat cum illo, et in illo, a quo traxit, quando eum traxit, admissum est.* Ambrosius *in cap. XV. Luc. Fuit Adam, et in illo fuimus omnes. Periit Adam, et in illo omnes perierunt.* Bernardus *Serm. I. in Dom.* 1. *post. Oct. Epiph. Aliena est* (culpa) *quia in Adam omnes nescientes peccavimus; nostra, quia etsi in alio, nos tamen peccavimus.* Ergo.

℞. *Dist ant.* Omnes in Adam peccaverunt, et pactum, sive legem Dei violarunt, *moraliter*; quia scilicet Adam peccando causam posuit, ex qua omnes ejus posteri peccatum contraherent, *conc.* Omnes in Adam peccarunt *physice*, *neg.* Sicut cum dicitur in Scripturis *in Deo faciemus virtutem*, *in te inimicos nostros ventilabimus cornu*, *in te eripiar a tentatione*, sensus est, Deum per gratiam suam ad haec bona opera nos movere; sic cum dicimur peccasse in Adam, idem sensus est. Vide haec fusius apud Berti, *Lib. XIII. cap.* 6. ubi nostram sententiam solide confirmat.

## PROPOSITIO II.

***Causa, et modus transfusionis peccati originalis est ipsa concupiscentia.***

*Prob.* I. *ex PP.* 1.° *Augustinus* id saepe docet contra Pelagianos. *Hac concupiscentia, quae solo sacramento regenerationis expiatur, profecto peccati vinculum generatione transit in posteros Lib. de Nupt. et conc. cap.*

23. Et *Lib. V. cont. Julian. cap.* 15. docet, ideo Christum peccatum originale contrahere non potuisse, quia non per concupiscentiam carnali generatione conceptus est. *Quod autem attinet ad peccati originalis in omnes homines transitum, quoniam per concupiscentiam carnis transit, transire in eam carnem non potuit, quam non per illam Virgo concepit.* Idem saepissime repetit (*a*). 20. *Augustino* consentiunt alii PP. *Origenes*, sive Auctor *Comment. in Epist. ad Rom.* Origeni attributus: *Qui ex nulla viri contagione, sed solo Spiritu Sancto super Virginem veniente, et virtute Altissimi obumbrante, venit ad corpus immaculatum, naturam quidem corporis nostri habuit; pollutionem tamen peccati, quae ex concupiscentiae motu conceptis traditur, omnino non habuit.* Ambrosius *Comment. in Isaiam ap. Augustinum Lib. I. cont. Jul. cap.* 4. *et al. Male Heva parturivit, . . . ut unusquisque concupiscentiae voluptate concretus . . . prius subiret delictorum contagium; quam vitalis spiritus munus hauriret* Idemque docent *Fulgentius Leo M.*, *Gelasius*, *Beda*, *Bernardus*, *Innocentius III.*, *Hugo Victorinus*, *Magister sententiarum*, *S. Thomas*, *Bonaventura*, *Ariminensis*, aliique (*b*). Ergo etc.

*Prob.* II. Infecta Adami natura concupiscentiae labe, idem vitium in prolem transfundi, nemini mirum videri debet. Atqui licet concupiscentia non sit formale peccatum, tamen anima ipsa, corpori sic vitiato infusa naturaliter eidem vitio subditur, ac proinde contrahit concupiscentiae reatum, ut supra explicavimus, et uberius patebit ex objectionum solutione. Ergo etc.

*Di-*

---

(a) *Lib. II. Op. imp cont Jul. Cap.* 25. *Lib. II. de pecc. merit cap.* 6. 15. 27. 28. *Lib. I. de Nupt. et conc cap.* 2. *Lib. XI. cont. Julian. cap. ult. et alibi.*

(b) Fulgentius *de lib. arb. et grat.* Leo M. *Serm. V. de Nativ. Dom.* Gelasius *Ep. VIII.* Beda *Lib. aliquot. Quaest. XIV.* Bernardus *Epist. CLXXIV. Serm. IV. in Vig. Nat. et al.* Hugo Victorinus *in Ep. ad Rom. Q* 106. et *in Summa Sent. Tract. III. cap.* 12. Innoc. III. *in Psal. L.* Magister *Lib. II. Sent. XXXI. Dist. et XXX.* et ibi ejus Commentatores.

## *Diluuntur objecta.*

*Objic.* I. Licet possit intelligi, quo pacto infecta per concupiscentiam Adami natura, idem vitium traducatur in corpora, aliasque animales potentias posterorum; nequit tamen intelligi quo pacto vitium hoc ipsam animam, quae sine peccato a Deo infunditur corpori, afficiat, et inficiat. Ergo rejiciendus est hic modus traductionis peccati.

℟. *Neg. ant.* Nam posita arctissimi commercii lege inter animam, et corpus, mirandum potius esset, si corporeum hoc vitium ipsam animam non inficeret, et habitu ad res illicitas inclinaret, atque ita a Deo averteret.

*Inst.* 1.° Si Deus creando animam infunderet ei gratiam, quam Adae in ipsa creatione largitus est, certum est, tunc concupiscentiam in anima non fore peccatum: sicut infusa per baptismum gratia, ipsius concupiscentiae reatus solvitur. Atqui Deus non ideo denegat animae gratiam, quia infundenda est corpori concupiscentia infecto; quin potius haec ratio esset majoris gratiae largiendi. Ergo semper confugiendum est ad pactum, sive legem primitus a Deo sancitam ut si Adam praeceptum violaret, denegaretur ejus posteris gratia, qua ablata, anima in corpore maculatur; atque haec ratio transfusionis peccati est.

℟. *Trans. min. Neg. cons.* Quaecunque enim causa ponatur, cur Deus Adae posteris non largiatur in ipsa creatione gratiam, quam Adamo largitus est; sive quia Spiritus Sanctus longe est a tali generatione, quae semper fit per aliquod concupiscentiae peccatum: sive quia id omnino exigunt aliae occultae rationes sapientiae, et justitiae Dei, ut amissa a primo homine gratia Creatoris, nonnisi per Redemtorem restitueretur posteris; id tamen certum est, nunquam tribuendum esse peccatum privationi gratiae, sed semper ipsius hominis voluntati. Ita cum homo adultus, justo Dei judicio privatus efficaci gratia, labitur in peccatum, non potest pro peccato suo privationem gratiae Dei caussari, sed voluntatem suam accusare debet. Pari ratione, cum anima infantis

peccato inficitur originali, non debet accusare Deum, qui gratiam justo judicio, quamvis occulto, denegavit; sed ipsum Adam, qui naturam humanam in se, tamquam in radice ita vitiavit, ut animae posterorum sine peccato creatae, peccato inficerentur cum corporibus infunduntur. Si enim haec naturae non esset facta corruptio, profecto anima infantis etiam sine gratia Dei peccatum non haberet, sed esset in pura natura.

*Inst.* 2.° Haec habitualis inclinatio animae ad creaturas, et aversio a Deo non est animae ipsi recens creatae peccatum, quia non libera. Ergo non potest eo modo traduci peccatum.

℟. *Dist. ant.* Non est libera libertate actuali ipsius animae, *conc.* Libertate originali ipsius Adae, qui seipsum, naturamque suam liberrime vitiavit, *neg.* In peccatis actualibus ipsa peccantis voluntas, ac libertas necessaria est: in peccato originali sufficit libertas ejus, qui originem humanae naturae in seipso maculavit. Ita saepe respondet Augustinus Pelagianis ista objicientibus. *Hoc recte dicitur propter proprium cujusque peccatum, non propter primi peccati originale contagium. Quod tamen et ipsum a mala voluntate primorum hominum sumpsit exordium*, inquit *Lib. III. cont. Julian. cap.* 5. *et al.* Quare hoc, inquies? quo modo id explicandum? Respondeo 1.° non catholicorum, sed haereticorum est ista interrogatio *quo modo id sit*? unde Pelagiani saepe iis armis utebantur: 2.° haec quaestio non minus contra pactum illud moveri potest; posito enim eo pacto, transgressio Adae culpa non esset animae recens a Deo creatae; quare ergo Deus ejus voluntatem in Adamo posuit? quomodo id explicandum? 3.° Non negamus in hoc, sicut in ceteris fidei dogmatis, semper aliquid remanere obscuritatis, quae nos terrere non debet a profitenda veritate: si enim in rerum natura tot sunt rerum genera oculis nostris subjecta, quorum rationes ignoramus; multo magis in rebus a Deo revelatis, ut observat Augustinus *Lib. VI. cont. Julian. cap.* 7. 4.° In nostra, et *Augustini* sententia facile explicatur, quomodo originale peccatum sit voluntarium, et liberum: voluntarium quidem, non sola voluntate Adami, sed ipsius infantis recens nati, cujus voluntas concupiscentiae subdita, ha-

bi-

bitu quodam, iniqua, impia nascitur; liberum vero libertate Adami. At in hypothesi pacti inter Deum, et Adamum initi, peccatum originale non solum non est nascenti liberum, sed nec voluntarium.

*Inst.* 3.° Quod non est voluntarium, ac liberum actuali, et personali voluntate peccantis, non potest a Deo odio haberi, aeternoquè supplicio puniri; nisi ponamus, illud, pro supremo dominatu in res creatas, posuisse in primi parentis libera voluntate omnium ejus posterorum voluntates, non secus ac principes pro supremà in rem publicam potestate, crimina quaedam in filiis etiam reorum puniunt. Ergo etc.

℟. *Neg. ant.* Deus enim odio habet actus, ac habitus vitiosos, et contraria ratione diligit actus, atque habitus bonos, et laudabiles, ut patet in parvulis, quos Deus aeterna gloria dignos censet, et donat propter *habitualem* justitiam per Christum ipsis infusam in baptismo, licet non sit ipsis justitia illa voluntaria, et libera actuali voluntate. *Quamvis igitur*, inquit Estius *in II. Dist. XXX.* §. 8. *apud homines, qui ea sola vident, quae foris apparent, praemium non habeat habitus bonus in mente latens, nec supplicium recipiat habitus malus, sed solae externae actiones vel bonae, vel malae; apud Deum tamen, qui corda intuetur, sicut actiones internae, ita et habitus, qui sunt veluti continui quidam actus interni, retributionem accipiunt.*

*Objic.* II. Si secluso Dei pacto, peccatum originale ex ipsa rei natura per concupiscentiam traduceretur, jam explicatu facilimum esset, quomodo peccatum primi parentis sit unicuique posterorum, si non liberum, saltem voluntarium. Atqui *Augustinus* semper fluctuavit incertus de modo, quo peccatum illud traducitur. Unde ait *Lib. de morib. Eccl. cap.* 32. *Hoc peccato antiquo nihil est ad praedicandum notius, nihil ad intelligendum secretius.* Et *Serm. XCIV. al. XIV. de Verb. Apostoli*: *Ego istam quaestionem profundam sentio, et ad ejus fundum rimandum vires meas idoneas non agnosco.* Ergo sententiam nostram vel non probavit Augustinus, vel vidit, eam quaestioni non satisfacere.

℟. *Dist. min.* Dubitavit Augustinus, utrum peccatum originale traheretur per traducem ipsius animae, an per

per infusionem animae in vitiatum corpus, *conc.* Dubitavit, utrum posita nova animarum creatione, peccatum originale traheretur eo modo, quo dictum est, *neg.* *Ut ergo*, inquit *Lib. V. cont. Julian. cap. 4. et anima, et caro pariter utrumque puniatur, nisi quod nascitur, renascendo emendetur*, *profecto* (en quomodo, sine ambiguitate loquitur) *aut utrumque vitiatum ex homine trahitur, aut alterum in altero tamquam in vitiato vase corrumpitur, ubi occulta justitia divinae legis includitur. Quod autem horum sit verum, libentius disco, quam dico, ne audeam docere quod nescio.* Tractat ista fusius Berti *Lib. XIII. Cap. 6.*

### *Corollarium.*

Christus ergo, qui sine ulla carnali concupiscentia genitus est ex Virgine, nullum contrahere debuit, nec potuit originale peccatum, licet factus sit in similitudinem carnis peccati. Contra omnes homines cum in concupiscentia, et cum concupiscentia, et per concupiscentiam generentur, debent sine dubio originalem contrahere culpam, nisi aliquis ex speciali privilegio ita praeveniatur gratia Dei, ut eam actu non contrahat. Quod privilegium utrum B. Virgini sit concessum (de hac enim sola movetur quaestio) videbimus in sequenti capite.

### *Scholion.*

In his, quae de natura, ac traduce peccati originalis toto hoc Capite disputavimus, notanda est, atque cavenda diligenter *Baji* doctrina, qui asserit *Prop. XLVI. Ad rationem, et definitionem peccati non requiri voluntarium*: ideoque concludit *Prop. XLVII. Unde peccatum originis vere habet rationem peccati sine ulla relatione, ac respectu ad voluntatem, a qua originem habuit*, Ideoque *sine ulla relatione*, ac *respectu* ad voluntatem Adae, ait *Prop. XLVIII. Peccatum originis est habituali parvuli voluntate voluntarium, et habitualiter dominatur parvulo, eo quod non gerit contrarium voluntatis arbitrium*; ut ex ejus sententia ipsa per se concupiscentia

a sit *formaliter* originale peccatum, quod a *Luthero* positum supra confutavimus. Quidquid igitur hic diximus, ita intellectum volumus, ut ab hac *Baji* doctrina, qualiscumque sit, longe abhorreat, atque in *Norisii*, *Berti*, aliorumque catholicorum sensu explicetur.

## §. IV.

*Utrum B. Virgo Maria ex speciali privilegio peccatum originale non contraxerit.*

*Adv.* I. Cum generalis sit Apostoli sententia *Rom. V.* 12. *in quo omnes peccaverunt*, nec ullus hominum, excepto homine et Deo Jesu Christo, sine carnali concupiscentia concipiatur, per quam concupiscentiam peccatum originale traducitur; hinc nemo temere a nobis est ab hac generali sententia excipiendus, nisi aut Scriptura, aut traditione, aut Ecclesiae auctoritate exceptio illa firmetur.

II. Ecclesia definire adhuc noluit, utrum B. Virgo ex generali illa Apostoli sententia excipienda sit. Nam 1.° *Sixtus IV.* prohibuit tantum poena excommunicationis, ne quis haereseos notam inureret affirmantibus immaculatam B. Virginis conceptionem, quam Constitutionem Concilium Tridentinum *Sess. V.* confirmavit. 2o. *Pius V.* et *Paulus V.* poena suspensionis vetuerunt, ne publice, ubi promiscue fidelium multitudo virorum, ac mulierum convenire solet, propugnaretur sententia negans immaculatam Virginis Conceptionem: id tamen permiserunt in Academicis disputationibus, ubi nulla timetur occasio scandali. 3.° *Gregorius XV.* non solum prohibuit in Academicis disputationibus, verum etiam in scholis, privatisque colloquiis, ne quis asserere auderet, B. Virginem in peccato conceptam, *nisi aliquibus fuerit indultum*: indultum autem Dominicanae familiae scimus; licet plurimi ex illa Schola Theologi pro Immaculata Conceptione decertaverint, atque decertent. Caeterum iidem Pontifices professi sunt, nolle se his decretis controversiam definire. *Cum nondum aeterna sapientia Ecclesiae suae tanti mysterii penetralia patefecerit, in Dei, Romanorumque Pontificum auctoritate* de-

*debent fideles populi conquiescere*, inquit *Gregorius XV.* in Epistola ad Regem Hispaniae.

III. De hac controversia plurima, atque ingentia edita sunt volumina a viris doctis. Nos ex instituti brevitate ea, quae scitu necessaria sunt, atque sufficiunt, afferemus; cetera peculiaris Dissertationis argumentum esse possunt.

## PROPOSITIO

### *B. Virgo Maria sine ulla originalis peccati labe concepta est.*

*Prob.* I. *ex Script. Cant. II.* 2. *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias.* Et *Cant. IV.* 7. *pulchra es amica mea, et macula non est in te.* Quae verba licet de Ecclesia, praesertim triumphante, debeant intelligi; tamen cum a Patribus, et ab Ecclesia etiam Catholica in divinis Officiis B. Virgini aptentur, satis probabiliter ostendunt, illam sine ulla semper macula fuisse.

*Prob.* II. *ex PP.* 1.° Ambrosius *in Psal. CXVIII. Serm. XXII.* de Maria ait: *Virgo per gratiam ab omni integra labe peccati.* 2.° *Hieronymus* in ea verba *Psal. LXXVII. deduxit eos in nube diei*, ait, nubem illam significasse B. Virginem, de qua addit: *pulchre dixit, diei; quia nubes illa non fuit in tenebris, sed semper in luce.* 3.° Augustinus *Lib. de nat. et grat. cap.* 42. *Excepta sancta Virgine Maria, de qua propter honorem Domini nullam prorsus, cum de peccatis agitur, haberi volo quaestionem. Unde enim scimus, quid ei plus gratiae collatum fuerit ad vincendum omni ex parte peccatum, quae concipere, ac parere meruit, quem constat, nullum habuisse peccatum?* Licet autem ibi S. Doctor de peccatis actualibus disputet; tamen etiam de originali eum intelligendum esse suadetur: 1.° quia ejus sententia generalis est: *cum de peccatis agitur*: 2.° quia ex ejus constanti doctrina nemo ab actuali peccato fuit immunis, qui originali fuit maculatus, ut patet ex *Lib. V. cont. Julian. cap.* 9.: 3.° B. Virginem ab originali labe immunem pronunciant *Sedulius*, *Auctor* libri *de*

Ope-

*Operibus Cardinalibus Christi inter Opera Cypriani, Sophronius, Damascenus, Idiota, Petrus Damiani, Anselmus* etc.

*Prob.* III. Ecclesia catholica festum celebrat Immaculatae Conceptionis B. Mariae Virginis, Graeca quidem antiquius; Latina vero paulatim a tempore *Bernardi* in nonnullis peculiaribus Ecclesiis permisit: deinde ad omnem catholicam Ecclesiam praecepto extendit. At qui Ecclesia non celebrat festum, nisi de re sancta, quod *S. Thomas* ponit ut certum. Ergo. etc.

Huic argumento, quod maximi est roboris, duo respondere solebant adversarii: 1.° Ecclesiam celebrare festum non de *primo instanti*, quo B. Virgo in peccato concepta est, sed de secundo, in quo per gratiam fuit sanctificata: 2.° *objectum* illius festi non esse ipsam Virginis Conceptionem, sed beneficium Dei qui largitus est Mundo Virginem, quae Mater Dei mox futura erat. Sed utrumque effugium praecluserunt SS. Pontifices, et Ecclesia. Nam Alexander VII. in Bulla, quae incipit *Sollicitudo omnium Ecclesiarum* anni MDC LXII. declaravit, *objectum* ejus festi esse *primum* illud *instans*, quo B. Virgo concepta est; et haec eadem est omnium fidelium, ideoque ipsius Ecclesiae mens.

*Prob.* IV. Ex Sum. Pontificum auctoritate; qui non solum prohibuerunt, contrariam sententiam vel publice vel privatim defendi, sed etiam sententiam nostram uti piam semper novis privilegiis exornarunt; approbarunt Officia, et Missas, in quibus conceptis, apertisque verbis B. Virgo ab originali culpa immunis praedicatur: concesserunt indulgentias hoc mysterium pie colentibus: Ordines etiam religiosos, et Congregationes sub titulo *Immaculatae Conceptionis* vel fundarunt, vel probarunt, vel privilegiis auxerunt; ita ut de mente Sedis Apostolicae nullus sit dubitandi locus. Innumera ad hanc rem momenta vide apud *Antonium Gravois Lib. de Ortu, et progressu Cultus, ac Festi Immac. Conc.*

*Prob.* V. Ex Concilio Basileensi *Sess. XXXVI. Doctrinam illam asserentem, gloriosam Virginem Dei genitricem Mariam praeveniente, et operante divini numinis gratia singulari, numquam actualiter subjacuisse origina-*

*ginali peccato, sed immunem semper fuisse ab omni originali, et actuali culpa, sanctamque, et immaculatam; tamquam piam, et consonam cultui ecclesiastico, fidei catholicae, rectae rationi, et Sacrae Scripturae, ab omnibus catholicis approbandam, tenendam, et amplexandam definimus, et declaramus, nullique de cetero licitum esse in contrarium praedicare, et docere.* Licet autem tunc Concilium non esset OEcumenicum, pluribus Episcopis jam cum Eugenio IV., qui Basileense dissolverat, Florentiam convenientibus; tamen cum adhuc Basileae essent multi, iique doctissimi viri, decretum illud non levis est ponderis, cum praesertim accedat omnium Academiarum, Theologorum, et fidelium consensus. Ergo etc. Vide de hoc argumento laudatum *P. Gravois*, apud quem invenies etiam copiosissimum catalogum eorum, qui pro hac sententia scripserunt (*In Summario Documenorum*).

### *Solvuntur Objectiones.*

*Objic.* I. Sententia Apostoli *Rom. V.* 12. *in quo omnes peccaverunt*, generalis est, a qua Patres docent, solum excipiendum esse Christum. *Omnis caro, excepta illa, quae sine peccato venit in similitudinem carnis peccati, sub peccati origine, et sub peccati lege nata est*, inquit Hilarius *ap. Augustin. Lib. II. cont. Julian. cap.* 4. Idemque alii affirmant. Ergo.

℟. *Dist. ant.* Patres docent, solum Christum excipiendum esse a generali illa Apostoli sententia, quatenus ille unus alio modo, ac ceteri homines conceptus, nec actu contraxit peccatum, nec debitum contrahendi habuit, *conc.* Quatenus *solus* actu non contraxit peccatum, *neg.* Solus ergo Christus sine carnali concupiscentia genitus, lege illa non tenebatur. Reliqui homines, qui ordinaria via generantur, ipsa etiam B. Virgo, debitum peccati illius contrahendi habuerunt; quod dicimus contra eos Theologos, qui B. Virginem etiam ab eo debito eximunt. Sed quia Deus in ipsa animae creatione gratiam contulit; ideo peccatum actu non contraxit.

Inst.

*Inst.* 1.° Verbum illud *peccaverunt* non debitum, sed ipsum peccatum actu contractum significat. Ergo cum Patres docent, solum inde excipiendum esse Christum, ipsam B. Virginem volunt actu contraxisse peccatum.

℟. *Neg. ant.* Si enim eo sensu intelligeretur verbum illud, jam impossibile esset, Deum servare aliquem e posteris Adae a generali contagione peccati; quia si omnes actu jam contraxissent in Adamo peccatum, contradictionem involveret, aliquem peccatum illud actu non cotrahere. Hoc autem nemo dixerit. Sensus ergo illorum verborum est: ita per Adae peccatum vitiatam esse naturam, ut quicumque ex Adam ordinaria via nascitur, generali contagione maculetur, nisi Deus velit aliquem speciali privilegio servare, sicut de B. Virgine sentit Ecclesia.

*Inst.* 2.° Patres docent, ipsam B. Virginem fuisse per Christum redemtam; idque ad fidem pertinet; ait enim Apostolus *Rom. V.* 18. *Sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem: sic et per unius justitiam in omnes homines in justificationem vitae.* Atqui si B. Virgo peccatum originale actu non contraxit, non fuit redemta per Christum; nam *nec redemtus dici potest, nisi qui fuerit per peccatum ante captivus*, inquit *Zosimus P. ap. Augustinum Ep. CXCI. al. CLVII.* Ergo.

℟. *Neg. min.* Liberari enim, et redimi dicitur non solum ille, qui jam servus est, sed etiam ille, qui nisi defenderetur, ac liberaretur, in servitutem sine dubio redigendus esset. *Quemadmodum*, ait Augustinus *in Psalm. LXXXV.*, *si medicus videat tibi imminentem aegritudinem forte ex aliquo labore, et dicat: parce tibi, requiesce, recte dicis medico: liberasti me ab aegritudine, non in qua jam eras, sed in qua futurus eras. Nescio quis habens causam molestam, mittendus erat in carcerem, venit alius, defendit eum. Gratias agens quid dicit? Eruisti animam meam de carcere. Suspendendus erat debitor, solutum est pro eo: liberatus dicitur de suspendio.* Et *Lib. II. Confess. cap. 7. Gratiae tuae deputo quaecumque non feci mala*; et mox: *omnia mihi dimissa esse fateor et quae mea sponte feci mala, et quae te duce non fe-*

*feci*. Verba autem *Zosimi* recte concludunt contra Pelagianos, qui ex Scripturis fateri cogebantur, parvulos redemtos esse per Christum, et tamen asserebant, nullum esse in natura humana vitium; ita ut parvuli nullo modo captivi essent nec quoad actum, nec quoad debitum contrahendi peccatum.

*Inst.* 3.° Tantum abest, ut Patres docuerint, B. Virginem non contraxisse actu peccatum originale, quin potius adeo constanter asseruere contrarium, ut *S. Bernardo* nostra sententia omnino nova, ideoque explodenda visa sit. Ait enim in *Epistola ad Canonicos Lugdunenses*, qui festum Conceptionis celebrare incipiebant *Epist. CLXXIV. Numquid Patribus doctiores, aut devotiores sumus? Periculose praesumimus quidquid eorum in talibus prudentia praeterivit. Non ita praecipitanter, atque inconsulte paucorum sequenda simplicitas imperitorum.* Idem sentit *Bernardo* coaevus *Anselmus Lib. Cur Deus homo cap.* 16. Imo et post *Bernardum* idem visum est *Alberto Magno*, *Alensi*, *S. Thomae*, *Bonaventurae* etc. Ergo etc.

℟. *Dist. ant.* Nova visa haec sententia *Bernardo*, aliisque propter clariorem veteris doctrinae explicationem, *conc.* Propter ipsam doctrinam, *neg.* Sicut in ipsis fidei dogmatis, cum adhuc obscura esset traditio ante Ecclesiae definitionem, nonnulli Patres contrariam sententiam tenuerunt; qui tamen si vixissent eo tempore, quo Ecclesia clarius mentem suam aperuit, sententiam mutassent; ita multo magis accidit in hoc dogmate, quod ad fidem non pertinet. Veteres quidem Patres, ut *Ambrosius*, aliique generatim docuerunt, Mariam Virginem fuisse *integram ab omni labe peccati, numquam fuisse in tenebris, sed semper in luce etc.* quibus verbis *implicite* significabatur, eam ab ipsa originali labe fuisse immunem. Sed cum clarius id explicari coeptum est, res nonnullis visa est nova; qui tamen si hodie viverent, pro maxima, quam praeseferebant erga Ecclesiam reverentia, sententiam communem amplecterentur. Unica enim ratio, quae *S. Bernardum* et *S. Thomam* retinuit ab illa asserenda, haec est; quia scilicet eo tempore nondum universalis Ecclesia festum Conceptionis cele-

celebrabat. *Quod autem dixi*, inquit Bernardus, *absque praejudicio dicta sint sanius sentientis, Romanae praesertim Ecclesiae auctoritati, atque examini totum hoc, sicut et cetera, quae ejusmodi sunt, universa reservo, ipsius, si quid aliter sapiat, paratus judicio emendare.* Et S. Thomas 3. *P. Q. XXVII. art.* 1. probat, B. Virginem fuisse in utero sanctificatam, ideoque natam esse sanctam, ex eo quod non *celebratur festum in Ecclesia, nisi pro aliquo sancto*; ac proinde cum celebretur in Ecclesia festum Nativitatis Mariae Virginis, necesse est, eam fuisse sanctam. Et *art.* 2. ubi quaestionem de Immaculata Virginis conceptione pertractat, cum sibi objecisset, Ecclesiam celebrare festum Conceptionis, respondet, hanc non esse universalis Ecclesiae consuetudinem, sed aliquarum ecclesiarum, quam Romana Ecclesia tolerat, et explicari potest non de prima Conceptione, sed de sanctificatione Virginis in utero matris. Quid ergo nunc diceret piissimus Doctor, si videret, Ecclesiam universam hoc festum celebrare, Romanam ecclesiam non tolerare, sed praecipere, et apertissime explicare, *objectum* ejus festi non esse sanctificationem, sed ipsam Conceptionem B. Virginis? Denique *Anselmus* cum clare dicat in Libro *de Conceptu Virginis*, eam in Conceptione immaculatam, ne sibi videatur contrarius in Libro *Cur Deus homo*, explicandus est benigne de peccato originali contracto quoad debitum, non quoad actum.

*Objic.* II. Ipsa B. Virgo morti, aliisque hujus vitae aerumnis subjecta est. Atqui mors est poena peccati, dicente Apostolo *Rom. V.* 12. *et per peccatum mors:* Ergo etc.

℞. *Dist. min.* Mors est poena peccati vel quoad actum, vel quoad debitum contracti, *conc.* Quod actum tantummodo contracti, *neg.* Quemadmodum ergo post baptismum, ablato etiam originali peccato, mors, aliaeque calamitates remanent; quia Deus a peccato liberare nos voluit, non a miseria; ita in B. Virgine accidit, quae servata a peccato, ad majorem virtutis profectum, et fidelium solatium iisdem aerumnis objecta est, quae tamen in ea poenae rationem non habuerunt.

§. V.

## §. V.

### *De poenis peccati originalis.*

*Adv.* I. Poenae originalis peccati vel corpus, vel animum afficiunt; item vel ad mortalem hanc vitam pertinent, vel ad futuram.

II. Poenae autem tum corporis, tum animi, in hac vita homini in peccato originali nascenti inflictae, sunt eaedem, quas supra diximus subiisse Adamum post peccatum, nempe in corpore mortem, aliasque hujus vitae aerumnas, ipsas etiam aeris adversas tempestates, terraeque sterilitatem; in animo vero ignorantiam in intellectu, malitiam in voluntate, infirmitatem in appetitu irascibili, cupiditatem in *concupiscibili*, ut fusius exponit S. Thomas 1a. 2ae. *Q. LXXXV. art.* 3.

III. Hae autem poenae tantae sunt, ut homo non solum supernaturalibus donis spoliatus sit, verum etiam in ipsis naturalibus vulneratus; ita ut mentis caecitas, concupiscentia, aliaeque calamitates longe majora sint, quam essent si homo in pura natura, in hypothesi impossibili, fuisset conditus. *Omnium mortalium*, inquit Augustinus *Lib. XXII. de Civ. cap.* 22., *progeniem fuisse damnatam, haec ipsa vita, si vita dicenda est, tot et tantis malis plena, testatur. Quid enim aliud indicat horrenda quaedam profunditas ignorantiae, ex qua omnis error existit, qui omnes filios Adam tenebroso quodam sinu suscipit, ut homo ab illo liberari sine labore, dolore, timore non possit? Quid amor ipse tot rerum vanarum atque noxiarum, et ex hoc mordaces curae, perturbationes, moerores? Quis ignorat cum quanta ignorantia veritatis, quae ipsis etiam infantibus manifesta est, et cum quanta abundantia vanae cupiditatis homo veniat in hanc vitam, ita ut si dimittatur vivere ut velit, et facere quidquid velit, in haec ipsa facinora, et flagitia, quae commemoravi, vel cuncta, vel multa perveniat? . . . Nonne hinc apparet, in quid veluti pondere suo proclivis, et prona sit vitiosa natura, et quanta ope, ut hinc liberetur, indigeat?* Haec apud

apud omnes certa sunt, paucis exceptis, qui contra communem Patrum, et Theologorum sententiam contendunt, hominem ex peccato originali nasci quidem supernaturalibus donis spoliatum, sed in naturalibus integrum. Contra *quid sanatur*, inquit idem Augustinus *Lib. de nat. et grat. cap.* 19. *si nihil est vulneratum, nihil sauciatum, nihil debilitatum, atque vitiatum?* Uno igitur verbo: quidquid est in hac vita ignorantiae in intellectu, earum scilicet rerum, quae sunt scitu necessariae; infirmitatis, vel pravitatis in voluntate, aliisque facultatibus, sive potentiis; quidquid in vita molestum; id omne poena peccati originalis est.

IV. Sed de poenis alterius vitae major controversia est. Pelagiani quidem, qui peccatum originale negabant, cum asserere non possent, parvulos sine baptismo decedentes regno coelorum potiri contra apertissimam Christi sententiam *Joann. III.* 5. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei*; distinxerunt inter Regnum caelorum, et vitam aeternam; ita ut parvuli sine baptismo mortui, donarentur quidem aeterna vita, et quadam beatitudine aeterna, regno tamen caelorum carerent. Quorum vanissimas subtilitates confundit ipse Christus *Matth. XXV.* ubi postquam de electis dixit *v.* 34. *venite benedicti, possidete regnum, etc.* subjungit, *v.* 46. et ibunt justi *in vitam aeternam*, utrumque idem esse significans. Haec Pelagianorum sententia sine dubio haeretica est.

V. At inter Catholicos *Ambrosius Catharinus*, et *Albertus Pighius* opinati sunt, parvulos in peccato originali decedentes, post universale judicium, naturali quadam beatitudine in terris fruituros, tamquam in terrestri Paradiso, sapientia, et moralibus virtutibus praeditos, nec deesse iis etiam, si sit opus, Angelorum commercium. Nos catholicam doctrinam ordine explicabimus.

## PROPOSITIO I.

*Dogma fidei est, parvulos in peccato originali decedentes privari vita aeterna, scilicet beata Dei visione.*

*Prob.* I. ex Scriptura 1.° *Joan. III.* 5. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei.* Atqui regnum Dei est ipsa vita aeterna. Nam in eodem capite quod antea dixerat Christus regnum Dei, mox vocat vitam aeternam, *ut omnis, qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam aeternam.* Et *Matt. XXV.* ut paulo ante diximus, utrumque eodem sensu in eodem contextu accipitur. 2.° *Rom. V. Per unius delictum in omnes homines in condemnationem.* Ergo.

*Prob.* II. ex Augustino, qui totus est in refellenda Pelagianorum distinctione inter Regnum Dei, et vitam aeternam.

*Prob.* III. ex Conciliis Carthaginensi, Milevitano, Diospolitano, quorum definitiones Sedes Apostolica confirmavit. *Novellos haereticos Pelagianos*, inquit Augustinus *Lib. II. de Orig. animae cap.* 12., *justissime Conciliorum Catholicorum, et Sedis Apostolicae damnavit auctoritas, eo quod ausi fuerint non baptizatis parvulis dare quietis, et salutis locum, etiam praeter regnum caelorum.* Et Concilium Florentinum *Sess. ult.* definit, *illorum animas, qui cum actuali peccato, vel solo originali decedunt, mox in infernum descendere, poenis tamen disparibus puniendos.* Denique Tridentinum *Sess. V. can.* 4. *Si quis parvulos . . . . dicit . . . nihil ex Adam trahere originalis peccati, quod regenerationis lavacro necesse sit expiari ad vitam aeternam consequendam . . anathema sit.* Ergo etc.

PRO-

## PROPOSITIO II.

***Fictitia est naturalis beatitudo, quam parvulis in originali peccato morientibus pollicentur Pighius, et Catharinus.***

*Prob.* I. ex Augustino *Lib. I. de Orig. animae cap.* 6. *Non baptizatis parvulis nemo promittat inter damnationem, regnumque caelorum, quietis, vel felicitatis cujuslibet, atque ubilibet medium locum, hoc enim eis etiam haeresis Pelagiana promisit.* Et innumeris in locis contra Pelagianos agens, ex ipsis baptismi caeremoniis, exorcismis scilicet, exsufflationibus etc. probat, parvulos sine baptismo decedentes manere sub potestate diaboli, ideoque in regno tenebrarum. Concinunt et alii Patres, docentes, parvulos sine baptismo perire in aeternum, fore in aeterna miseria, mitti in gehennam (*a*). Denique Concilium Florentinum supra laudatum definiens, parvulos descendere in infernum puniendos, omnem naturalem beatitudinem prorsus excludit.

*Prob.* II. Licet *Pelagius* non explicaverit, quid per vitam aeternam intelligeret, quam docebat dari parvulis sine baptismo decedentibus, verisimilius tamen est, eum intellexisse beatitudinem naturalem, ut multis probant *Petavius*, *Norisius*, *Estius*, aliique. Etenim fatebatur, parvulos ante baptismum nullo supernaturali dono exornatos per ipsum Sacramentum adoptari in filios Dei: *illo regenerationis lavacro adoptari ex filiis hominum in Dei filios, non negatis imo etiam praedicatis*, ait Augustinus *Lib. II. cont. duas Epist. Pelag. cap.* 6. Atqui non erat adeo stupidus, ut assereret, eos per dona naturalia pervenire ad supernaturalem beatitu-

 di-

(a) Cyprianus *Epist. ad Fidum.* Leo M. *Epist. XCV.* Auctor *Lib. de vocatione gentium* Prospero tributus *Lib. II. cap.* 22. *et* 24. Fulgentius *de fide ad Pet. cap.* 3. *et* 27. et *Lib. de Incarn. cap.* 14. Gregorius *Lib. IV. Moral. cap.* 3. *et Lib. IX. cap.* 12.

dinem. Ergo *Pighii*, et *Catharini* sententia videtur ipsissima haeresis Pelagiana.

### *Solvuntur Objecta.*

*Objic.* I. Patres supra laudati, et Concilium Florentinum docent quidem, parvulos descendere in infernum, esse in damnatione, in potestate diaboli etc.; sed hanc damnationem etiam post universale judicium duraturam in aeternum non affirmant. Ergo nihil vetat asserere, post judicium universale parvulos in naturalem illam beatitudinem transferendos.

℟. *Transeat ant. neg. cons.* tum quia temerarium est asserere quod nulla Scripturae, aut traditionis auctoritate nititur; tum quia communis fidelium sensus est, in universali judicio sententiam non fore diversam a judicio particulari; tum denique quia ex communi catholicorum sententia ait Anselmus *Lib. de Conc. Virg. cap.* 22. *Post diem judicii nullus erit Angelus, aut homo, nisi aut in regno Dei, aut in inferno.*

*Objic.* II. Augustinus *Lib. III. de lib. arbitr. cap.* 23. *Quis novit*, inquit, *quid ipsis parvulis in secreto judiciorum suorum bonae compensationis reservet Deus?* Ergo putavit, admitti posse medium quendam locum inter damnationem, regnumque caelorum.

℟. *Dist. cons.* Hoc putavit quando junior scribebat contra Manichaeos, *transeat*. Quando rem profundius contra Pelagianos tractavit senior, *neg.* Ita Augustinus ipse *Lib. De dono persever. cap.* 12. respondet Semipelagianis ipsi objicientibus quod in Libris *de Lib. arb.* contra Manichaeos scripserat. *Frustra itaque mihi de illius libri mei vetustate praescribitur . . . . Si enim quando Libros de libero arbitrio laicus coepi, Presbyter explicavi, adhuc de damnatione infantium non renascentium, et de renascentium liberatione dubitarem, nemo, ut opinor, esset tam injustus, atque invidus, qui me proficere prohiberet, atque in hac dubitatione remanendum mihi esse judicaret.* Dixi *transeat*, quia in Libris *de Lib. arb.* Augustinus id unum agebat, ut contra Manichaeos, qui Scripturas non admittebant, in qui-

quibus peccatum originale adstruitur, tamquam causa malorum, quae in hac vita adulti simul, et parvuli experiuntur, demonstraret, ex malis, quae parvuli patiuntur morientes ante rationis usum, non sequi, ut agnoscendum sit malum rerum principium, sive Deus malus. Posita enim falsa Manichaeorum hypothesi, quod haec mala non ex peccato originali manant, potest bonus Deus aliquid bonae compensationis in altera vita parvulis illis reservare pro malis naturalibus, quibus hic opprimuntur. Hinc ipse Augustinus *Epist. CLXVI. al. XXVIII. ad Hieron. De Baptismo*, inquit, *parvulorum, in eodem libro non quidem sufficienter, sed quantum illi operi satis esse videbatur, utrumque respondi . . . non tamen de damnatione eorum parvulorum, qui sine illo ex hac vita migrant, tunc aliquid dicendum putavi.*

## PROPOSITIO III.

***Parvuli ob amissam supernaturalem beatitudinem contristantur.***

*Prob.* I. auctoritate, et ratione Augustini *Lib. VI. cont. Julian. cap. 4. Si hoc eis non erit malum, non ergo amabunt regnum Dei tot innocentes imagines Dei: si autem amabunt, et tantum amabunt, quantum innocentes amare debent regnum ejus, a quo ad ejus imaginem creantur, nihil ne mali in hac separatione patientur?* Fingi autem non potest, parvulos non amare regnum Dei, ad quod ipsa eorum natura divinitus ordinata toto impetu contendit. Ergo de aeterna ejus amissione non contristari non possunt.

*Confirm.* Constans est doctrina SS. Patrum, longe majorem in inferis esse poenam exulare a Regno Dei, quam ipso igne quamvis vehementissimo torqueri. Hinc Augustinus *Enchir. cap.* 112. *Perire*, inquit, *a regno Dei, alienari a vita Dei, carere tam magna multitudine dulcedinis Dei . . . tam grandis est poena, ut ei nulla possint tormenta, quae novimus, comparari.* Cui

concinunt *Chrysostomus*, et *Basilius* (a). Et Theologi vulgo amissionem Regni caelestis poenam damni appellant; quia sicut quidquid boni cogitari potest, continetur in summo bono; ita quidquid damni cogitari potest, continetur in amissione summi boni. Fingi ergo non potest, eam poenam parvulos tristitia non afficere.

*Prob.* II. Parvuli sine baptismo decedentes sunt *filii irae Ephes. II. 3.* hoc est, ut explicat S. Thomas *Lect. I. in cap. 2. Ephes.* post *Augustinum*, filii vindictae, poenae, et gehennae. Et Concilium Florentinum (*Sess. ult.*) etiam eos, qui in solo originali peccato moriuntur, definit, in infernum descendere *poenis puniendos.* Sed poena non est, quae non est voluntati adversa, ideoque eam tristitia non afficit. Ergo. etc. Merito igitur Estius *in II. dist. XXX. §. 7.* ait, contrariam opinionem evacuare originale peccatum, utpote cui nulla poena infligatur.

*Dices.* S. Thomas *in II. Dist. LXXXIII. q. 2. art. 2.* ait: *Nihil omnino dolebunt* (parvuli) *de carentia visionis beatificae.* Ergo etc.

℟. *S. Thomam* in Summa retractasse nonnulla, quae junior scripsit in Libros sententiarum. Quare nisi praematura morte fuisset prohibitus Summam Theologicam absolvere, fortasse, ut erat *Augustini* studiosissimus, et hanc opinionem rejecisset, ut plures ex ejus discipulis rejecerunt.

PRO-

(a) Chrysostomus *XLVII*, ad *Pop. Ant.*, Basilius in Psal. *XXXIII*,

## PROPOSITIO IV.

***Sententia affirmans**, parvulos sine baptismo defunctos **puniri** etiam **poena** sensus, in comparatione adultorum **mitissima**, congruentior est Scripturarum, **et** Patrum auctoritati; fidei tamen dogma non est.*

***Prob.** 1a. pars.* I. *ex Script. Matt. III.* 12. ***Cujus ventilabrum in manu** sua: et permundabit aream suam: et **congregabit** triticum suum in horreum, paleas autem **comburet igni inextinguibili**.* Et *Matth. XIII.* 30. ***Colligite primum zizania**, et alligate ea in fasciculos ad **comburendum**; triticum autem congregate in horreum **meum**.* Et *Matth. XXV.* 41. *Tunc dicet his, qui a sinistris **erunt**; **discedite** a me maledicti in ignem aeternum.* Denique *Apoc XX. Qui non est inventus in Libro vitae scriptus, missus est in stagnum ignis.* Atqui Parvuli **in** originali peccato morientes non sunt triticum, non sunt oves, non sunt scripti in Libro vitae. Ergo in ignem mittentur cum paleis, et zizaniis ad comburendum. Apposite ergo Augustinus *Serm. XIV. de Verb. Apost. cap.* 3. *Venturus est Dominus, et judicaturus **de vivis**, et mortuis, sicut Evangelium loquitur, duas partes facturus est, dexteram, et sinistram. **Sinistris dicturus** est: **Ite in ignem aeternum**, qui paratus est **diabolo**, et angelis ejus: **Dextris dicturus**: venite benedicti **Patris mei**, percipite **regnum**, quod vobis paratum **est ab origine mundi. Nullus relictus est medius locus, ubi ponere queas infantes . . . . Qui non in dextera, procul dubio in sinistra. Ergo qui non in regnum, procul dubio in ignem aeternum.***

*Prob.* II. *ex PP.* 1.° De Augustino nullus est relictus ambigendi locus, non solum ex verbis paulo ante laudatis, sed et ex aliis, quae sparsim habet in suis operibus contra Pelagianos, ut *Lib. III. Op. imp. cont. Julian. n.* 199. *Si non eruitur a potestate tenebrarum, et **illic remanet parvulus, quid miraris, in igne aeterno cum***

*dia-*

*diabolo futurum, qui in Dei regnum intrare non sinitur?* Nec *Juliano* objiciente, hanc sententiam esse durissimam, Augustinus eam emollit, nisi quod futuros ait parvulos in *damnatione omnium mitissima, et levissima. Lib. V. Cont. Julian. cap. 11. Lib. I. de pecc. merit. cap. 16. Enchir. cap. 93.* 2.° Fulgentius *Lib. de fide ad Pet. cap. 27. Firmissime tene, et nullatenus dubita, non solum homines jam ratione utentes, verum etiam parvulos, qui sive in uteris matrum . . . . moriuntur, sive jam de matribus nati sine Sacramento Sancti Baptismatis . . . . de hoc saeculo transeunt, ignis aeterni sempiterno supplicio puniendos.* Quod etiam alibi docet *Lib. I. de veritate praedest. cap. 12. et Lib. de Incarn. et grat.* 3.° Gregorius M. *Lib. IX. Moral. cap. 12. Perpetua tormenta percipiunt, qui nihil propria voluntate peccaverunt.* 4.° Idem docent *Hieronymus, Isidorus*, aliique, quos vide apud Norisium *Vindic. Augustin.* qui hac de re copiose, et erudite disseruit. Hinc Sylvius 2a. 2ae. *Q. LXXXVI. art. 2.* ait, hanc sententiam *Scripturis, et Patribus esse conformiorem.* Imo Petavius *Tom. I. Lib. IX. cap. 10.* et l' Herminier *Tom. VI. p.* 441. putant, eam a Concilio Florentino definitam.

*Prob.* 2a. *pars.* A saeculo XII. quo Magister sententiarum *Lib. II. Dist.* 33. scripsit, infantes nullam ignis poenam sensuros, qui in eum Commentaria scripserunt passim eam sententiam amplexi sunt, ne ipsis quidem exceptis Scholae principibus *S. Thoma, Bonaventura, Scoto*; ita ut evaserit in Scholis catholicorum communis, licet non defuerint, nec desint, qui veterum doctrinam, quam in *prima prop. parte* probavimus, defendant, quos longo ordine recenset *Norisius.* Laudantur etiam pro ea Scholasticorum opinione nonnulli Graeci Patres, ut Nazianzenus *Orat. XL. in S. Bap.* qui ait: *Nec caelesti gloria, neque supplicio a justo judice afficientur, utpote qui licet signati non fuerint, improbitate tamen careant, atque hanc jacturam passi potius fuerint, quam fecerint.* Et Nyssenus, qui *Orat. I. Immatura mors*, inquit, *neque in doloribus, ac moestitia esse eum, qui sic vivere desiit, intelligendum esse, nobis suggerit.*

Et

Et quamvis Graecorum Patrum auctoritas hac in re minor habeatur, quam Latinorum, quos exercui haeresis Pelagiana, et *S. Thomas* non immerito credatur hanc opinionem rejecturus, si summam Theologicam absolvisset, cum aperte scribat *Lib. III. cont. Gent. cap.* 156. absurdum esse aliquos inveniri, qui nec beatitudinem, nec poenam habeant, *cujus contrarium*, inquit, *ostenditur ex eo, quod dicitur Matth. XXV. Quod omnibus in divino judicio existentibus dicitur. Venite, possidete paratum vobis regnum, vel discedite in ignem aeternum*; tamen ob tanti praesertim Doctoris reverentiam, eorum opinio, qui asserunt, parvulos in originali peccato morientes non affici poena sensus, nulla potest censura notari, et probabiliter utcumque defendi. Ideo etiam eorum objectiones praetermittimus, quas vide, si vacat, refutatas apud Laur. Berti *Lib. XIII. cap.* 6. Illud tamen monemus, ne quis imprudenter pro concione unam, vel alteram sententiam tamquam fidei dogma obtrudat, sed alterutram in privatis ad matres admonitionibus historico modo referat, prout expedire judicaverit, aut ad eas ob mortem filiorum consolandas, aut terrendas, ne eorum culpa parvuli sine baptismo moriantur.

## *Libri Conclusio.*

DEus igitur in seipse perfectus, atque beatus; ut immensos bonitatis suae extra se thesauros effunderet, pulcherrimam hanc Mundi molem condidit, inque rationales substantias, Angelos scilicet, atque homines ad imaginem, et similitudinem suam effecit, ut divinae naturae consortes, beatitatis participes, et cum ipsa divinarum Trinitate personarum aeterna societate conjunctae, perpetua pace, atque laetitia fruerentur. A qua tamen societate Angeli multi superbia recedentes primum hominem Adam, atque in eo universum hominum genus in ruinam impulerunt; ut qui debuerant esse etiam corpore spiritales, facti etiam mente carnales, jumentisque similes, aliqua etiam ex parte pejores, in aeternum, post mortalem hanc

hanc, aerumnisque plenissimam vitam, cum desertoribus Angelis supplicium mitterentur. Tantum efficere potuit malorum unum superbiae peccatum. Quod autem tantae calamitati remedium hominibus suppeditaverit Deus, in sequenti libro dicendum est, ut quoniam patrimonium amplissimum prodegimus, atque in profundum prolapsi sumus, oblata spe, surgere studeamus.

*Finis Lib. V.*

# INDEX CAPITUM



CAP.

CAP.

---

*ERRATA* | CORRIGE

| | | |
|---|---|---|
| Pag. 2. | δεδιδαγματα | δεδιδαγμεδα |
| 43. | *figarae* | *figurae* |
| 89. | *esiam* | *etiam* |
| 98. | Altera vero | Alter vero |
| 108. | porsequitur | prosequitur |
| 119. | in quae | in qua |
| 187. | perfecto | perlecto |
| 224. | *Dragone* | *Dracone* |
| 312. | arbitri | arbitrii |
| 322. | testatum | statum |

A. S. E.

IL CARDINALE ARCIVESCOVO DI NAPOLI

PRESIDENTE DELLA GIUNTA PERMANENTE DELLA PUBBLICA ISTRUZIONE.

Gennaro Reale Pubblico stampatore di questa fedelissima Città umilmente espone che desidera ristampare un' opera intitolata *Institutiones Theologicae* per uso della gioventù divisa in 6. tomi dell' Autore D. Gaetano de Fulgore, perciò prega l' Eminenza Sua di accordargli un revisore, e l' avrà ut Deus.

*Addì* 15 *Gennaro* 1822.

Per disposizione di Sua Eminenza, il Regio Revisore Signor Canonico Lavitrano avrà la compiacenza di rivedere la soprascritta opera, ed osservare se vi sia cosa contro la Religione, ed i dritti della Sovranità, col farne rapporto in iscritto alla Giunta.

*Il membro della Giunta Deputato*

FERDINANDO CANONICO PANICO

*Napoli 4 Febbrajo 1822*

La Giunta permanente per la Pubblica Istruzione.

Veduta la domanda di Gennaro Reale Pubblico Stampatore per dare alle stampe l'opera intitolata *Institutiones Theologicae.*

Veduto il parere del Regio Revisore Signor Canonico Lavitrano; permette che la indicata opera si stampi, ma ordina che non si pubblichi se prima lo stesso Regio Revisore non attesti di aver nel confronto riconosciuta la impressione uniforme all' Originale approvato, e non sia eseguita la consegna ad essa Giunta delle sedici copie ordinate dal Real Decreto de' 24 Dicembre 1817.

Il Presidente = firmato

L. CARDINALE ARCIVESCOVO

*Il Segretario Generale, e Membro della Giunta* = firmato

ANGELO ANTONIO SCOTTI

*Neapoli die 25 Januarii anni 1822.*

Institutiones theologicae a viro doctissimo Cajetano de Fulgure Canonico Aversano conscriptae, et jam a prima editione mihi notae, et probatae; dignissimae sunt, quae novis typis evulgentur. Tanta enim aviditate ab adolescentibus clero adscriptis exoptantur, ut Exemplaria, quae adhuc supersunt, eorum votis, sufficere non possint. Accedit doctorum hominum judicium, qui has Institutiones commendant, quum contineant sanam, et Catholicam doctrinam, accuratam theologicae scientiae discussionem, selectam propositionum seriem, quae aut ipsam Catholicam Fidem, aut in rebus non definitis saniores, probatiores, graviores sententias complectuntur. Nihil in iis extat, quod regulis morum, aut regni tranquillitati adversetur. Mihi igitur gratulor, quod expectationem publicam, quam in ipso hujus operis ortu aliquo modo familiari epistola praeoccupavi, publico judicio confirmatam viderim. Teque, Eminentissime, et Reverendissme Praesul, exoro, ut novae huic editioni libenter assentiaris.

*Humillimus, addictissimus famulus*

CANONICUS JOACHIM LAVITRANO





